

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA

Sala: B

Estante: 1


Numero: 53

Soi de O. Pedro Pablo
Serrano



~~4
3-171
Ba 2-6
A
19-51~~

~~Bo
71
7~~



ANISSONIORV MAJOAN. POSTAL
M. DE LXXX
CON. PR. 1800

i 11814238

R-14978

FRANCISCI
HENRIQUEZ
DE VILLACORTA

DOCTORIS MEDICI,

A CVBICVLO REGALI

PHILIPPI IV. ET CAROLI II.
ARCHIATRI,

In Insigni Theologorum Cœnobio Medicâ togâ olim illustrati, nunc verò in
Complutensi Academia Doctoris Primarij, necnon in Facultate
Medica Primarij Professoris,

LAUREÆ DOCTORALIS MEDICÆ COMPLUTENSIS

TOMUS TERTIUS.

QVO CONTINENTUR

TRACTATUS De Methodo medendi.
De Alimentorum facultatibus.
De Alimentorum facultatibus in particulari,
De victûs ratione in morbis acutis.
De Balneorum natura. & usu.
De Prognosticis & de Arte prænoscenti,

De Crisibus. & diebus decretoriis,
De Facultatibus.
De Venenis.
De Locis affectis Resolutiones Theoricæ.
Disputatio Apologetica de sanguinis missione
ex talo.

Pro eo certamine quod vocatur

ALPHONSINA.

CUM INDICIBUS NECESSARIIS.



LUGDUNI,

Sumptib. ANISSONIORVM & JOAN. POSUEL.

M. DC. LXXX.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

FRANCISCI

HENRIQUE

DE VILLACORTA

DOCTORIS MEDICI

ACADEMIAE REGIAE

PHILIPPICAE CAROLINAE

ARCHIATRIS

in hujus Theophrasti Medicis et omnium illarum, quae videntur
Compluribus Academiis Doctoris Philippi Henrici de Villacorta
Medici Philippi Henrici

ACADEMIAE REGIAE PHILIPPICAE CAROLINAE

TOMUS TERTIUS

DE CONTINENTIA

De Continetia Libellus

De Continetia Libellus

De Continetia Libellus

De Continetia Libellus

De Continetia Libellus

De Continetia Libellus


De Continetia Libellus

De Continetia Libellus

Ita et certamine quod vocantur

LIBER PRIMUS

CUM INDICIBUS NECESSARIIS



LUGDUNI.

ANISSONIORVM CIVITATVM POSUER.

M. DC. LXXV.

CUM PRIVILEGIO REGIS



NOBIL STRENUO, MAGNIFICO, ATQUE EXCELL.

DOMINO, PATRONOQUE MEO D. D.

JOANN. FRANCISCO DE LA CERDA
ENRIQVEZ A FAN DE RIVERA.

DU CI AUGVSTOBRIGÆ, SEGOBRIGÆ,
Cardona Flavij Atuenfis, & Lerma: Marchioni Danij, Comares, &
Pallars, Tartesu, Cogolludo, atque Compluti: Comiti Emporiarum,
Pradas, & Sanctæ Gadeæ, Eldanæ, & Buendia. Civitatis, & Juno-
nis Promontorij: Vice-Comiti Villarmur: Domino perunico
Maximo Civitatum Solsona, Lucenti, & Baronix Entença Arbe-
ca, Iuneda, Driola, Vegueria, & Segarra: Præfecto Majori Castellæ,
& VVandalix, hujusque Notario Majori, Equiti Aurei Agni, eximie
nobilitatis insignis: Præfecto Cubiculi Regij summo, Excelsioris
Regij Senatus à consiliis. Et nunc Consilij Indiarum Præsidi, &c.

D. O. C. C.

DOCT. FRANCISC. HENRIQVEZ DE VILLACORTA
Archiater olim Magni PHILIPPI IV. nunc CAROLI II.
Hispaniarum, & Indiarum Regis Potentissimi, &c.



*QUEM AD MODUM veteres illi Medici Apol-
lini tanquam primo Archiatro suarum lucubrationum
consecrabant monumenta, & Triumphantes Romani
Imperatores Jovi suo Pheretrio, & Capitolino hostium
spolia, & imagines, armæque cum ingenti voto dicabant:
Sic ego (Princeps Excellentissime) diu nuper multumque cogitabam,
meum, cuinam Patrocinatori hac mea quoque spolia, & hoc votivum
animi mei opus ex obscuris taciturnitatis latebris egredi cupiens, commu-
nem, placidamque exoptans lucem, magnumque queritans Patronum, ap-
pendere, & consecrare possim, vel debeam; atque etiam sub cuius bonis
auspiciis securo pede, manuque munita tertium meorum Operum Tomum
edere valeam? Sed esse magnam Macenatum illustriumque Virorum co-
piam quis diffitebitur? nemo quidem, imò & ego fateor. Verum nobilif-
simæ tui animi indoles ad id me impulit, ut nullum tibi summo Præfecto
& Fautori mihi & Socius à nostro Rege concessio præferre debeam, neque
audeam difficillimum enim existimo reperire alium sub cuius tutela hoc*

Epistola Dedicatoria.

meum Opus in lucem prodeat securius. Ergo (ô Princeps generosissime) tuo excelso nomine, tuoque præclarissimo patrocinio toto Orbe noto, totâ Hispaniâ celeberrimo frontispicium hujus Operis condecorare permittere digneris obsecro. Ita enim cum Horatio gestiens decantabo;

Mæcenas atavis, edite Regibus,

O & præsidium & dulce decus meum.

Tutelarium laudes suorum, progenitorum facta, propriâque, virtutes, famam, gloriam, nomen, & sapientiam alij posteritati mandant, & meritò; Possunt equidem illa, & verbis exprimi, & calamo exarari: At verò (Princeps Amantissime) tuarum laudum cumulum, magnitudinemque virtutum, famæ, gloriæ, nominis, sapientiæ, & eruditionis, & tuorum Antecessorum cum infinita sint, nec verbis, neque certis terminis circumscribi queunt. Tot tamque præclara gesta quomodo intra angustissimos terminos arctissimâque pomeria concludi erit possibile? ergo id ad me eo prætermittetur consilio, quod meas ad tantum onus subeundum impares esse vires cognoverim. Illud dixisse satis esto,

Nam quæ ramosa numerabis in ilice frondes,

Nec quot apes Hyblæ, nec quot in Alpe feræ,

Nec mihi tot laudum genera hîc comprehendere fas fit;

Centeno quamvis glorier ore loqui.

Garrula satis silentij vox; nam si rem in me reciperem tantam, tanquam difficilem Provinciam aggrederer, ne mihi contingeret timerem, (Magnanime Heros) quod pauperi illi (si fabulosa jactare licet) qui unico solum munere gaudens, Iovi tantum tentabat offerre, Deorum aggrediens fanum, sed humana mens pauperem impellebat, ut prius singulorum veneraretur altare. Templi igitur lustrat magnitudinem, hîc Martis admiratur arma, ibi Iani providentiam intuetur, aut Neptuni remigia colit, atque omnium denique indagatâ facinorum profunditate, qui primo limine donum Iovi debitum judicabat, dubium jam maximè, cui nam illud offerat prospice quæritantem, & quod Iovi dicare tentaverat munus, cunctis Deorum consecrat Aris. Hæc moliebatur pauperis acumen, fortassis quidem ficta, sed in præsentiarum mihi meritò mutuanda. Tua enim Celsitudini undequaque venustarum virtutum condecoratum affluentia Templum mens ingressu penetrans, tanta magnanimitati laudè dirigere revolvens, decoris stirpis veneratur claritatè, humanitatis intuetur nitorem, prudentiæ colit majestatem, ut quæ primò reverentia cultu illam magnanimitati debitam proclamabat, despectis reliquis, non linguâ (uti dixi) non calamo æquandis virtutibus, cui nam incultam offerat loquelam hæsitat, & balbutit, inopisque exemplum sequens, omnibus simul voluntatem offerens, maximam consequitur piaculi consuetudinem. Vale Augustissime Princeps, in longum vale.


Huicque tuo foetum prælustri sydere natum

Suscipe, conde, fove: Suscipe, prome, fave.



AD BENIGNUM LECTOREM P R Æ F A T I O .

ACCEPTE, Candidissime Lector, Laureæ nostræ Doctoralister-
tium, quem promissimus Tomum, quo ultima exercitatio (quæ
Alphonsina nominatur) expleta omninò est; Opus quidem utilissi-
mum pro morborum medela: sciesque jam non solum Principum
Medicinæ sacraria, mentem aperire, sed etiam an ea vera sint, discernere,
si nostris Operibus te totum dederis, atque diligenter, & indefessâ curâ vaca-
veris. Et cum plures Philosophiæ, ac Medicinæ studiosos viros, illorum desi-
derio flagrantem viderem, typis excudenda, diligenter curavi, nectanto bo-
no Sapientium desiderium orbari volui, ut uberioribus fructibus in publi-
cos usus, & exercitationes publicas, quas Complutensis nostra Academia di-
cavit, redundaturis, frui semper, atque sæliciter possis. Et quidem ob hanc
piam, & christianissimam causam, nos tot noctium evigilatis, emensisque
laboribus, exhaustis lucernarum fuliginibus, dierumque sudore assiduo, in
publicam posteriorum utilitatem, hæc promere pergimus, & ut nihil inta-
ctum pro nostra Laurea relinquamus, tibi libenter offero Tractatum de Ali-
mentorum facultatibus, ut possis selectiora alimenta pro corporis alimonia
offerre: de Victûs ratione, ut ritè modum alendi ægrotantibus, absque in-
juria aliqua præcipias: de Methodo medendi, ut Galénica, & priscorum do-
gmata, in medendis affectionibus instituas: De Crisibus, & diebus decreto-
riis, ut motus speciales naturæ & morborum judicia varia contempleris: De
locis affectis Theoricæ resolutiones pro tyronibus, ut innumerabiles hostes
debellare queas: De Venenis, ut horribilia eorum accidentia devastare inten-
das: De Balneis, ut ipsorum usum satis antiquum, & utilissimum valde pro
sanitate tuenda, & pluribus extirpandis morbis studiosis suadeas. Et tandem
ut controversiam celebrem circa sanguinis missionem ex talo in viris, & gravi-
dis nostro sæculo denuò machinatam dirimere, citra plura homicidia possis, &
vulgarem, & nefariam opinionem ab ignorantia tenebris excludas. Precor
ergo libenter, ut si quæ defectuosa videantur suppleas, (Lector amice) aut
errata corrigas; id certè grato animo feram; non enim detrahit, qui verum
profert, ut corripiat, sed qui falsum imponit, ut dedecoret. Vale.



CLARISSIMO VIRO AC PRÆSTANTISSIMO

NOSTRI SÆCULI PHILOSOPHO
D. FRANCISCO HENRIQUEZ
DE VILACORTA,

Doctori Medicinæ olim Complutensi Primario, Catholici Hispaniarum
Regis Caroli Secundi Cubiculario Medico, Rationalis Medicinæ
Archonti, immortalitatis Candidato.

SUUS OBSERVANTISS. D. JOANNES DETORRALVA
in Universitate Complutensi Medicinæ Professor, Vespertinæ
Cathedræ Moderator.

S. D.



^a Petr. Crint de hon. discip. lib. 17. c. 12.
^b Caf. fiod. in var. apud Crint. ubi sup.

^c Rodi gin. lect. antiq. lib. 29. cap. 23.
^d Idem ibidem.

^e Pro- verb. cap. 15.

^f Passerat. Diction. lat.

IRAMUR passim egregia Artificum Opera, jam pyramidum moles certantes cælo, opulentia barbaricæ ostentationem efferentes, jam labyrinthos, inexplicabilesque nodos. Taceo Tarentini columbam, metalla mugientia, æneos angues Boëthij insibilantes, & id genus alia argumenta, quæ meritò apud Erasmmum ociosa miracula nuncupantur.^b *Parva quidem hæc sunt* (ut crism Cassiodori libem) *quibus cælum imitari fas est.* Enimverò quum ea sit mortalium conditio, ut nominis immortalitati impensius quisque, quàm communi utilitati consulere videatur, plura etiam ingenia, & quidem eorum, qui hæc mechanica despicientes super æthera scandunt, propriæ famæ duntaxat, ut Serviles illi, non minùs prospexere: hinc Græcorum signa ad insaniam usque legimus in marmoribus. ^c Septuaginta tria millia tribuuntur Rhodiis, nec pauciora Athenis, & Olympiæ. ^d At Romæ comptum est tantam fuisse statuarum copiam, ut alter adesse lapideus populus diceretur. Quorum plerosque hominum impunè dixerim populares lapides inter marmora nobiles, inter Philosophos non benè merentes.

Iam dulciter ad aures vibrant verba illa tua (Clariss. Vir) quibus in præfatione satis compta secundi Voluminis lectoris animum accendis. *Abst* (inquis) *potestertatis anhelitus.* Quibus nedum famam indipiscis, sed veram prorsus immortalitatis gloriam, juxta illud apophthegma Agefilai Magni omnium foribus appingendum, qui sciscitanti quonam pacto apud homines gloriam obtineret, respondisse fertur: *Si dicas optima, facias autem pulcherrima.* Verba optima sunt opportunus sermo, ut comprobat Salomon in Proverbiis. ^e *Letatur* (inquit) *homo in sententia oris suis, & sermo opportunus est optimus.* Nòrunt Latini significationis vim, quæ maximam præse ferat utilitatem, & commodum; ^f opportunus enim Ob præpositionem, & nomen portus elementa habet, quòd navigantibus sint portus utilissimi, optatissimique; unde opportunus sermo ille perindè ac optimus habetur, qui sese totum in utilitatem, doctrinamque diffundit, vacuum verò vel è saxis redire perspicuum est, quem nec retusa capiunt, quando secundum gratitudo hominum, mènisque discipulorum fideliter in ævum servat. Optima profectò verba modularis, famæ contemnis strepitum, totamque navas operam in opportunitatem legentium. Iam verò quænam facis? Nonne & pulcherrima? studiis semper à juventutis flore, usque ad maturiorem autumnum traditus, nunc jam pulcherrimos pariter ac uberrimos ingenij tui partus in bonum publicum edis, in quibus (non augeo rem) tot nullius ad huc stylo libatas controversias in lucis novæ theatrum educis, ut non sciam, utrùm in interpretando singularem artem, an in respondendo plusquam mortale acumen obstupescam. Accedunt referata sacramenta hucusque in penitiori archivo Hippocratis, & Aristotelis recondita, quædamque in penentralibus naturæ indagandis, vel ingenij fulgetra quibus legentium mentes excutis, ac dirigis in centrum veritatis.

ratis. Austerulas Medicinæ materias adeò metaphysicæ subtilitatibus exornas, adeò concinnas inelytis Syrenum spoliis, ut meritò mihi oculos per cuncta accuratissimè circumferenti non semel illud Statij summa admiratio obrulerit usurpandum: ^a *Cælonè peractum fluxit opus?* ^b *At quod Deus magnæ, quantumques* Stat. 1. *Opus illud est* (ut Claudiani præconium Tibi potiùs adaptandum appareat) *ma-* Syl. *teriâ clausum, declamatione conspicuum, obstruatum propositione, disputatione re-* h Sidon. *seratum, & quanquam propter hamata syllogismorum puncta tribulosum, ver-* lib. 4. *nantis tamen eloquij flore mollitum, quodque pretiosius est, tota illa dictio sic ca-* cap. 3. *suratim subcinctâ, quòd profluens, quam rebus amplam, strictamque sententiis, sentias plus docere, quàm dicere.* Verùm quia non arbitrum ago, fat sit de Opere, sine, ut propriùs loquar, de hoc Cimeliarchio tuo, quasi perfunctoriè dicere omnia simul elogia complecti, quorum arduam censuit Plinius dignitatem; ⁱ *Vetustis siquidem novitatem dat, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscu-* i C. Plin. *ris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus verò naturam, & natura sua* præfat. ad Vesp. *omnia.* paf.

Manus admoveram huic Operi, & non ^x *ex commodo*, ut alibi Seneca Lucillo ^k suo, nec quasi saltu folia delibavi, sed ex ocio, atque eruditionis studio primum, ^{Senec. epist. 46.} & secundum Volumen perlegeram, quo factum est, ut tertium affatim desiderarem. Votis annuisti: optatò jam tertius advenit hujus mirabilis Serti nexus, qui quàm ingentem de se expectationem concitârat optimè fovit, ac vicit, ut quæ *præconium* habuissent ^m *sigillatim distributa, haberent junctâ miraculum.* Plenior ⁱ Tibi gloria, quàm Livio ex priori Volumine accreverat, & illustrissimus ille ¹ *Hi-* Caf. *storographus, sibi adblanditum esse, ut Romani nominis gloriam prosequere-* siod. 4. *tur, operisque sui causam egisse, scribere non erubuit. Te verò, Magister Opti-* Var. *me, discipulorum tuorum causam egisse non ambigo, sententiam Plinij Junio-* epist. 4. *ris laudabiliter insequentem.* ^m *Ecquidem ita sentio* (inquit ille) *peculiarem in stu-* m Plin. *diis causam eorum esse, qui difficultatibus victis utilitatem juvandi prætulerunt* præf. ad *gratia placendi.* ^{Vesp.} Novimus & magna opera imperfecta mansisse, vel morte invi- ⁿ *ibidem.* dente arti nascenti, vel ita jubente Numine, ut quo nemo perficere deinceps posset, eò longiùs divulgaretur Artificis præstantia: Accidisse id legimus Apelli ex Venere, quam Cois inchoavit, eam siquidem imperfectam nemo usquè adhuc potuit ad præscripta lineamenta perficere. Verùm & hoc quoque neglexisti paucissimorum trophæum, quòd veriùs, si in primo, vel secundo Libro fisteres, obtineres. Quis enim perficeret opus? Quis tertium tuæ Laureæ nexum implicaret? Quis uam circumduceret, aut clauderet periodum, vel eximiam illam Callitechniam tuam felicìus æmularetur?

Idcirco Te, quem nec philautia tenuit, nec nominis insigne præconium, & amicorum preces, & laureandorum progressus movèrè, ut incepto Operi colophonem adderes, quo nec minimam certè partem tuorum in discipulos meritòrum referri continget, ob quos edocendos asperum sanè doctrinæ tramitem complanâsti, nè quid pedem in palæstris offenderet. Hoc unum verò ex tam multis oculos eruditos in admirationem rapiet, quòd tam, multa tamque implexa homo occupatus absolveris, & præsertim quum medium tempus distentum, impeditumque quâ officiis maximis, quâ conservatione, & conversatione principum hæc viderint Te dictasse, quod acris ^o *profectò ingenij, incredibilis studij, sum-* C. Plin. *mæque vigilantia præclarum argumentum est apud Plinium in suo avunculo* ubi supr. *peritissimo, & mihi quidem inexhaustæ legendi aviditatis indicium est hominem in Regum curia victitantem, non modò libros legere, sed & volumina edere omni eruditione majora. Non cessat Tullius usque modo, ex eo quod Cato in curia legeret, ipsius studium amplificare.* ^p *Erat* (inquit) *in eo inexhausta aviditas* ^p *legendi, nec satiari poterat. quippe. qui in ipsa curia soleret legere.* Cice- ro de fin. lib. 2.

Porò ad Cleanthis lucernam hoc Opus extractum esse nec ingratitude inficiabitur, quum luce clarius sit Auctorem nostrum medium tempus, scilicet, dies, officiosius quidem, quàm alibi Plinius, in Hispaniarum curia communi salutijam diù impendisse; & quod totum ferè tempus in Catholici Regis nostri Caroli II. valetudinem impensius consecraverit, unde non immeritò, sed æquiùs longè Doctorem nostrum decent verba illa Plinij apud nostræ Facultatis Professores, præcipuèque apud Candidandos usurpare. ^q *Homines sumus, & officiis occupati,* ^q *succursivis que temporibus ista curamus, id est nocturnis, ne quid vestris putetis cessatum horis: dies vobis impendimus, cum somno valetudinem computamus, vel hoc solo* C. Plin. præf. ad Vespaf.

premio contenti, quod dum ista (ut ait M. Varro) musinamur pluribus horis, vivimus. Vivit ecquidem ille, dum pro eorum eruditione laborat, quorum horas vocare licet eas, quibus lauream artificiosè contextit, ut triumphali lauro, & agonismate inclyto coronentur.

Operis jam inscriptionem indigitavimus *Laurea Complutensis* nomine insignitur, quæ Autoris sui tempora, tanquam alterius Apollinis in æternum cinget triplici amænissimo circumligata nexu, id est, triplici hoc Volumine totam Universi, Artisque^r harmoniam ternario numero complectente. Memoratu dignum est *Æsculapium* nusquam antè lauro coronatum esse, donec ex fonte sui nominis triplex ejus arboris^s ramus erumperet, quod factum esse arbitror, vel, ut pro tribus Medicinæ generibus triplici ferto donaretur, vel prorsùs, ut ex tunc Doctori nostro triplicem pro triplici Volumine coronam prætexeret. Est etiam laurus sibi quidem sterilis, sed terræ fœcundissima; ^r *terra*, siquidem [ait Plinius] *quando vomere laureato proscinditur feracior est*, in quo herclè Magisterij laudem æmulatur, satiant siquidem Magistrorum spem non proprij quidem fructus, sed discipulorum profectus: unde aptius in posterum Complutum nostrum, etsi aliàs laudabilis divitiarum Campus, Laureâ istâ excultum non curabit novales Athenarum agros, quàm sulcus *Ægypti Libyæ arenas.* ^u Laurum item vaticam arborem observo, idcirco, apud Eustathium (ut ait Rodiginus) Daphne^x nuncupatur, quòd musicæ intentionem præferat; sive cum intentione canere. Igitur ex crepantis modo eventus rerum veteres aucupabantur, ut si abundè perindè ac sonantiùs crepuisset, felicitatem portendi, si verò tacita deflagrasset, inauspicatissimum arbitrarentur: primum comprobat Tibullus.

Laurus ubi bona signa dedit: gaudete Coloni.

Secundum vero Propertius.

Et tacet extincto laurus adusta foco.

Triumphalem Tuam Laurum (Clariss. Vir) Compluti audivimus faustissimè crepitantem, non quidem livoris igne, qui statim magnitudine splendoris extingueretur, sed eo prorsus, quem tanquam in hædera suppliciter sese adglutinante, atque foliis se lauri veluti protegente contra fulmina (talia sunt argumentorum tela in Palæstriten jaculata) addiscendi amor accendit in eis, qui pro corollis decertârunt in hac nostra jam feraciori arena. Gratulor ergo nostræ Facultatis Athletis; quòd tam bona signa dederit, quòdque tam prospera, secundaque in certaminis litterarij eventibus nostra Daphne cecinerit: postquam enim illam perlegerint, resonat subtiliùs ac resonantiùs Medicinæ palæstra, nemo siquidem tam obscurus fuit (ut de Pliniano Opere² Erasmus loquitur) *quin illustris esse cæperit, posteaquam huic operi manum admovit*, quod nemini contigit evolvere, quem non reddiderit eloquentem. Dignus igitur es (Præclarissime Vir) ut Spem Medicæ doctrinæ te appellem, ut alibi Cicero Virgilium Latinæ doctrinæ Spem ex Bucolico poemate nuncupavit; quin imò & intellectum nostri Complutensis Athenæi, ut sui Plato non semel Aristotelem dixit; & ut paucis absolvam, utque bonâ gratiâ digrediar, libuit Plinij verba, quibus M. Tullium effert, paucis mutatis transcribere. ^a *Salve primus omnium Parens palæstræ appellande. Primus in Medicina arena triumphum, linguaque scholasticæ Lauream merito. Complutensiumque Laurearum Parens, atque* (ut Dictator Cæsar de Cicerone scripsit) *omnium triumphorum Lauream ad apte majorem, quanto plus est ingenij terminos in tantum promovisse, quàm imperij.*

Tandem Te enixè deprecor, ut, quam concipimus spem, foveas; tria siquidem ista volumina me præsentire faciunt plurimorum faustissimam non minùs utilium sobolem, quàm assiduus labor, perennèque studium tuum desiderantibus omnibus promittit. ^b *Laboriosa* namque Lia magnam sibi post Levi natum, profapiam pollicetur, ^b *nunc quoque* (dicens) *copulabitur mihi maritus meus*; cujus rationem reddit: *Eo quod pepererim ei tres filios.* Liberi mentis libri sunt, jam tres, eosque nobilissimos procreâsti; undè nullo modo ambigendum videtur, quin multos alios jam ferè parturire videâre; quo pacto fiet, ut posteritatem, quam in ærate gloriæ, annisque palmæ contemnis, in libris tuis, atque in discipulis longiorem, pulchriorèmq; meritò nanciscêre. Ita Superi sospitent, quorum fidem pro tuo Phœnicis ævo Complutensis hæc Palæstra, egoque enixiùs comprecamur. Vale.

DOCTOR.



DOCTOR MICHAEL PÉREZ DE ALMANZA


MEDICUS REGIUS SAPIENTISS. D. DOCTORI

FRANCISCO HENRIQUEZ
DE VILLACORTA

OLIM PHILIPPI IV. NUNC VERO CAROLI II.

Archiatri Meritissimi.

SOCRATES ille magnus Dioclem Regem hortari sæpè solebat, ut animi memoriam immortalem, sempiternamque relinqueret, juxta illud Salustij, *Omnes homines qui sese student præstare cæteris animantibus, summâ ope niti decet, ne vitam silentio transeant, veluti pecora, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit.* Cui quidem consilio genius tuus, vel ab ipsa adolescentia, aded subscripsit, ut nihil magis, quàm æternitati consulere cogitaveris, & ut hæc veritas manifesta omnibus appareat, legant & attento animo percipiant Primum, & Secundum Tomum hujus Laureæ Complutensis, in quibus summa eruditione ad mentem Hippocratis, & Galeni totam Apollineam Facultatem amplectens: nunc verò, ut Opus ad summam perfectionem deducas in hoc tertio & ultimo Tomo, in quo alacritatem ingenij, summum laborem, ac eruditionem patefacis, nostræque Apollineæ Facultatis complementum, unde Agatho apud Platonem in convivio; *Ne me aded theatri studiosum, ejusque favori debitum putes, ut ignorem prudenti viro paucorum Sapientum magis, quàm multorum insipientum judicium,* quod de te, Sapientissime Doctor, dicere possum, Plautus in Trimemmo, *Sapientie ætas condimentum est: sapiens ætati cibus,* Dicant omnes nationes cum Horatio, *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.* Lectorem delectando, pariterque monendo. Vale ex nostro Musæo 4. Augusti 1678.



CLARISSIM. ET OMNI MAJOREM ERUDITIONE DOCTOREM

DOMIN. FRANCISCVM HENRIQVEZ
DE VILLACORTA,

CAROLI SECUNDI UTRIVSQUE ORBIS REGIS
Potentissimi Cubicularium Medicum, olim Complutensis Gymnasij primum Professore emeritum, in Consummatissimam Complutensis Laureolæ editionem, ejus adæctissimus discipulus, & ex corde affectus Don Antonius de Ascarra-ga, & Sagredo, ejusdem Caroli Secundi Regis Medicus, sic lubens alloquitur.

NCHOATUM, jam dudum, & ardenti expetitum desiderio Opus undique consequimur absolutum, dum postremam Laureolæ tuæ cunctis profecturæ corollam, mirabili textam structurâ maturè imponis; Opus ædepol si quid aliud, & jucundissimum, & utilissimum; quid enim in Apollinis sinu jam latens tentavimus, quod opera tua in luminis oras non eruant? dispersa namque, vel in variis implantata viridariis, quasi velata, recedebat Medicina (consenescere dixeris) quæ in tuis amænissimis viretis, politiori culta culturâ, fecundisque irrigata rivulis rejuvenescit iterum, atque ut melius oculis fiat obvia, hujus Laureolæ lauro, exurgit viridanti cinctis temporibus: hic enim florida naturæ depingitur compago, hîc activa frondescit temperies, hîc successiva, et si labilis, rerum ætas manu deprehenditur, hîc Corporis describuntur partes, hîc animi exhilarant actus, atque animantium omnium propalatur origo, dum vividus per, omnia magistrali spaciariis spiritu: solum morbi Herculeâ veluti clavâ jacent debellati simulque venenorum nefanda caterva, crismâ Censurâ procul abicit exterminata;

marcescunt penitus dum securiori virgâ Phœbeâ fundis, instituis, impertirisque decreta.

Gloriemur igitur, quod tanti Magistri fruamur laboribus, & quod tanto Argonautâ ductor e, vastissimum Medicinæ pelagus, etsi antea vorticibus sæviens, deinceps jam securè navigare queamus. Iterum, & iterum præclarissimo gratulemur Viro, qui dum continuis suis, & communi Aulicorum saluti, vacat indefinenter curis, otium temens, & quietem, nobis tam facile minimèque acivem sternit viam, cunctis mortalibus profuturam: si ergo suos venerabatur antiquitas Heroes, & ex partis victoriis, eorum propriis redimebant frontem Coronis; quid mirum nos, immò non impari jure, universus Literarum Orbis, post tot studiosa cerramina, post tot Académica discrimina, post tot tamque gloriosa tibi, & reliquis parta trophæa, quod propriam tuis jungamus comis Laurum? tuumque nomen in astra feramus? ibitque indubiè.

Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas,

Dum rotat astra polus, feriant dum litora venti.



DOCTOR JOANNES AMBROSIVS DE CUEVAS

*in Complutensi Vniuersitate Primarius olim Medicinæ Professor; nunc autem
Caroli Secundi Hispaniarum Regis Cubicularius Medicus, Socio suo Doctori*

D. FRANCISCO HENRIQUES DEVILLACORTA Sa-
lutem plurimam Dicit.

ARISTOTELES (referente Laërtio lib. 3. cap. 1.) illud amicis, & discipulis inter differendum frequenter solitus erat ingerere. *Visum scilicet accipere lumen à circumfusò aëre, animam autem à disciplinis liberalibus.* Tibi ergo charissimo Socio maximas, plurimásque gratias referre debet insignis, inclytâque mater Academia nostra: quod animæ filiorum suorum, mentesque à doctrinis, disciplinisque tuis lumen acceperint. Unde illis non parum utilitatis humanóque generi salutis consequendum censeo. Libri namque tui omni doctrinâ, eruditione, & disciplinâ referti; ubi cum veritate subtilitas, cum multitudine singularitas, & claritas cum breuitate præpollent. Signa quidem præclari ingenij laborisque perennis: & tibi commune adagium adaptari potest. *Aperta Musarum Janua;* siquidem dum adhuc adolescens, & discipulus esses, cathedram, & locum inter Magistros, & provectoros viros adeptus es. Hinc itaque tibi, Libroque tuo illud Theophrasti ominari possum: *Virum (aiebat ille) eruditione præclarum, ubique inuenire patriam, & in alienis locis nunquam peregrinum esse.* Refert Brusonius lib. 3. cap. 31. Absque metu igitur exteras nationes Liber adire poterit tuus, tanquam in propriam patriam; ibi enim & fratres, & amicos reperiet, atque cognatos, viros scilicet Philosophos, disciplinarum cupidos. Perge igitur laborans, & scribens. Democritus enim aiebat: *eruditionis radices esse quidem satis amaras, fructum autem dulcissimum.* Tuam exindè vitam felicem cum Socrate dicere licebit: rogatus enim ille, quid in vita suauissimum esset, respondit, *disciplina & virtus, & rerum incognitarum historia.* Vale igitur, & iterum Vale.

CLARISSIMO

CLARISSIMO VIRO NOSTRO ÆVO CELEBERRIMO
DOMINO FRANCISCO HENRIQUEZ
DE VILLACORTA,

Doctori Primario Complutensi, Regis Catholici Caroli Secundi
Cubiculario Medico.

D. JOANNES DE PERIVANEZ DEL POZO DOCTOR
Complutensis Academiae, & Vespertinus Cathedrarius Caroli Secundi
Hispaniarum Regis Medicus Cubicularius.

DOCTAM faciem tertiâ jam fronte inscriptam perlegi perfectam ab eruditissimo Viro Complutensis Academiae Primario Moderatore, dignissimo Interprete, subtilissimo Cathedrae direttore, efficacissimo argumenti gubernaculo, in Aula Regia experto, Augustae valetudinis Custode (sed hoc unum dicant, doctissimo Doctore D. Francisco Henriquez de Villa-Corta, omnia dixi; cum virum dixi; quid amplius; nihil certe; nam satis nomen ad encomium, caetera supersunt, dum sua fama buccinatur. Prospero Hispano Principe ægrotante, quin Regalis Medicorum congressus, & præviam eorum dispositio Augustam quietaret mentem Magnus Philipous Quartus splendore, & istius fama expertæ probitatis persuasus, eum à Complutensi Cathedra, & doctrina publica cum maximo Scholasticorum, Academiaeque clamore, necnon totius Reipublicæ luctu amovit, ad Regiam vocavit, provida benignitate excepit, & ante Insigniorum Medicinae oculos quasi in triumphum præterventum, distantibus cæterorum sententiis ad emissorium exequendum ejus opinionem secura fide selegit, Principisque valetudinem scientiæ suæ commisit. Opus fuit Prospero salutare, Philippo gratum, & omnibus utile; quid nunc agam nescio in ejus elogiis subsistere, timoris; progredi, temeritatis est: sed sit casus pro Consilio; summissos oculos in paginas sublevavi, nova in eis eruditionis lux effulget, quæ propositum meum facit invictum, quæ provocare in omnium scientiarum Magistrum compellit; quem prius verebar amicum, ut Laurum fœlicius adipiscantur, tractatum elaborat; quis unquam Lauream fulguris amicam, fulgure conspexit, nisi his in paginis concordiam speciosam suscepit exornatam; Scriptoris gloriam prædicare vellent fructuosam lectionem offerentis, universali applausu, & commendatione dignam. Sed quod non mentis viribus, arte, & industria conficere queo. Selectissima Scriptorum Consulta, præclarâque Medicorum exempla hoc Volumine convocata videntur, unâque jam lectio in promptu suggerit, quod multiplex antea laboriosè præstabat. Non jam meis, date locum, gloriosis vocibus, quæ Auctoris elogia fidelius, atque efficacius personabunt. Ad ea propero, *si nihil est, quod magis sanitatem impedit,* (juxta illud Senecæ) *quàm remedium crebra mutatio,* ita ut, epistola 40. sequentia proferat. *Remedia non prosunt, nisi immorentur,* cognitio curationis in eo non vagatur, propriâ potiùs scientiâ quàm accidenti Medicinam disponit, taliter ut confestim salutaris videatur effectus; est expertus, providens, & omni practicâ præditus, modo quo Latinorum Princeps Cicero de officiis depingit; Ait enim; *Neque Medici, neque Imperatores, neque Oratores quamvis artis præcepta perceperint, quicquam laude dignum sine usu, & exercitatione consequi possent:* Nam ut Plinius Senior ait, lib. 2. 8. *Medicina præcipuè efficacissimus Magister, usus.* Teste enim Augustino lib. 2. 2. de civitate Dei, cap. 2. *Morborum genera non omnia in Medicorum libris sunt comprehensa:* Quod antiquitus Medicorum Princeps Cornelius Celsus lib. 1. c. 2. dixerat per se quæntia verba: *Rarius, sed aliquando tamen morbus quoque ipse novus est, quem non incidere manifestè falsum est, cum ætate nostra quadam, ex naturalibus partibus, carne prolapsa, & arente intra paucas horas expiraverit, sic ut nec nobilissimi Medici, neque genus mali, neque remedium invenerint:* Plures morbos novos tradit Langius ex variis Auctorebus in suis Epistolis. Iam hoc volumine cuncta inveniuntur, quæ tunc silere potuerunt. Vive diu erudite Magister, Haud dubio, te conspiciente Galeno, libro, si quis optimus Medi-

cus,

cus, ita loquebatur: *Certè nos (inquit) primum studium debemus in Philosophia consumere, si veri Hippocratis amuli esse volumus; quòd si fecerimus, nihil impedit, quo minus, illo meliores efficiamur, nedum, similes, si cognitis quæ ab ipso bene dicta sunt, cetera, quæ Artis desunt, ipsi inveniamus.* Patet jam dictum: Nam si Hippocrates Philosophia Regale desiderium provocavit, honores, divitiisque promeruit, ut ex Epistola, Artaxercis (Regum Regis) directæ Istanidi Helesponti Præfecto, his verbis constat: *Hippocratis Medicì Coi ab Æsculapio originem ducentis gloriæ Artis ad me pervenit; dato igitur ipsi de auro quantum voluerit, & reliqua abundè quibus opus habet, & ipsum ad nos mittito, nam optimatibus Persarum equalis erit. Et si quis alius bonus Vir est in Europa, eum Domus Regis amicum facito, nil divitiis parcens: Viros autem invenire, qui Consilio præstent, non est facile. Vale.* Quid ergo mirum, quod Magnus Philippus Quartus Hispaniarum Rex, te Virum doctissimum amore quæsisset; Vive iterum refero) erudite Magister; triplici enim labore, paucis diebus unius Seculi occupasti incertum reddendo, discipulusne an Præceptor esses laudabilior: nam te vidit Academia discipulum erudientem, Magistrum, plura adhuc discere optantem: tali peritiâ tali studio flagrasti: hodie jam si tibi denegatur diù vivere, hæc volumina relinquis, quibus te vixisse testeris Et cum libri vivi sint Magistri, teste Plinio Juniore, libr. 2. tu per hoc, immortalis Præceptor & posteris permanurus es. Sed quid progredior, si forsan quæris censuram, applausum invenies; ad Operis approbationem, Opus sufficit. Vale.



DOCTOR SEBASTIANUS XARROSSO ANATOMIÆ
*Cathedram regens in Complutensi Academia, in Tomum tertium,
 Laureæ Complutensis.*

ALICI quidem adventu ad meas pervenit manus liber inscriptus *Laureæ Doctoralis Medicæ Complutensis Tomus tertius*, Autore D. D. D. Francisco Henriquez de *Villa-Corta*, ante in celeberrima Complutensi Academia Cathedrarum *Vespertinæ*, ac *Primariæ* Moderatore, postmodum *Philipi Quarti*, & nunc tandem *Caroli Secundi* Medico: Illum ergo cum legerim, quem laudem ignoro, cui gratuler nescio. Dum enim librum laudibus cupio exornare, Autor mihi ob oculos obversatur laudandus; quem dum encomiis extollere incipio, liber sese offert laude dignissimus, meritisque de comparanda sibi laude *certatim pugnat uterque*. Dum autem Autori gratulari volo, Complutensis Academia sibi debitas de hoc triumpho exposcit laudes; huncque tertium etiam Lauream Complutensem appellari cupit, primum, & secundum, ab eodem Autore scriptum, æmulantem; ait enim ex ipsa talem doctrinam haustam in ipsam redundare debere. Nec mihi non gratulari possum, qui ex hoc libro doctrinæ perenni fonte rivos haud breves exhaurio: amoenissimo sapientiæ hortu fructus uberrimos colligo. Ab his autem omnibus me credo expeditum: si librum ob Autorem, & ob doctrinam, quâ ille ditissimus est, laudibus afficiam maximis; si Autorem ob sapientiam, quâ pollet maximâ, & propter librum, cujus nos facit participes, gratiis prosequar innumeris, si ipsi de libro, huic de Autore, atque de utroque Complutensi Academia, & mihi demum lætitia ingenti congratuler: Et igitur Autor qui in hac celeberrima toto Orbe Academia in divina Medicæ Artis Facultate præstantissimus exitit Doctor, tot Cathedrarum Moderator, cujus industria, ac labore infirmi penè innumeri ad firmam utique valetudinem sunt revocati, testis sit hæc Academia, testis Regia Curia, in qua Divinus adest Apollo, ut Principum, Magnatum, & nostri tandem *Regis Caroli Secundi* vitas conservet, salutem tueatur, ac valetudini indulgeat verè hujus Sæculi Galenus. Nec hac industriâ in Orbis utilitatem contentus, duos antea ediderat libros, quos laudare aliorum fuit munus, ac pensum uti credo, jucundum; ipsorum doctrinâ inde in hac Academia, ut clarior, firmior, & tutior eligitur defensando Autores semper encomiis resonantibus, ac de ipso illa Ecclesiastici verba cap. 38. prolata clamantibus. *Disciplina Medici exaltabit caput illius, & in conspectu Magnatum collaudabitur.* Hujus ergo tam docti. Autoris prodit in lucem tertius liber. Et si, ut ait Seneca, *Oratio hominis vultus est*, & Plato

Plato, *Liber est anima scribentis*: quis hic liber, aut potius dixissem, quis hic vultus? quæ hæc anima, quæ eis potentiis adeo præclaris ornatur, quæ tam subtilem, claram, ac firmam doctrinam elegerint: amplectantur, atque retineant. Hic liber, qui tali animâ fungitur, vel qui potius talis est anima non Medici liber, sed liber *Medicus* est, æstimandus. In eo theorica elucet præsertim maxima, subtilis, & ad discipulorum maxime acta: ejus Magistri nos discipulos fieri oportet, ut Magistri eâ fiamus: nullus enim Medicæ Artis Magister tutò esse potest, qui hujus libri renuat esse discipulus: in illo praxis non parum traditur, cujus adeo opus est hoc tempore, ut non possim non mirari divinæ providentiæ erga homines curam providentem, ut, quâ tempestate plurimi novi morbi homines fatigant, quorum notitia atque Medicina erat prorsus incognita. Medicus in hoc libro paretur, qui huic calamitati occurrat. Eâ autem claritate hæc subtilis doctrina in hoc libro traditur, quæ discipulos allicit, eâ reliquorum sententias Autor efficaciam refutat, & modestiâ, quâ falsas esse demonstrat, quâ eas mordacibus pungat aculeis. Quid plura? Qui novit Autorem, audiat librum, esse ejus animam, qui Auctorem ignorat, librum oculis percurrat, ut Autoris animam perscrutetur. Hunc ergo librum ego præsertim æstimo, de eo mihi gratulor, & Autori ob ipsum quàm maximas ago gratias, eo quod existimem mihi, & aliis, quamplurimum profuturum. Vale Complutensis Scholæ splendor & gloria, & me ut soles ama. Compluti 15. Octobris anno 1678.

Tuus Amantissimus Discipulus,

DOCTOR SEBASTIANUS XAROSSO



VIRO CLARISSIMO DOMINO

DOCT. FRANCISCO HENRIQUEZ
DE VILLACORTA,

OLIM IN COMPLUTENSI ACADEMIA APOLLINEÆ

*Facultatis dignissimo Primario, postea Regis Magni Philippi IV. ac ejus
Amantissimi filij Caroli II. meritissimo Archiatro.*



VNIVERSI fama in summa laude te collocet. (Venerande Magister) siquidem scriptis magna emolumenta suscipient. *Magna laus est, & grata hominibus unum hominem in ea laborare scientia quæ sit omnibus profutura*, inquit Cicero. Nulli magis quàm nostro Doctore: nam toto animo, ac vigilantia sua ingeniosissima opera prælo mandavit anno 1670. ultimam Philosophiæ partem, utpotè prima Medicinæ rudimenta, aliâque quam plurima theoremata pro Laurea Doctorali Medica, uno atque altero libro, vestigia nostræ Academiæ sectitantem, ardente animo, maximâque utilitate nobis largivit, non propioloacro, sed nostra æstimatione, & honore, quia *Medicina libera est, & Deorum munus*. Audi Ausonium hoc disticho:
*Obtuli opem cunctis poscentibus artis inempta,
Officiumque meum cum pietate fuit.*

Iterum, atque iterum famam invoco, alta voce acclamo cum Homero lib. 1. *Odyssææ* vers. 270. *Medicus unusquisque peritus supra omnes homines*. Igitur sapientia, & utilitate aliorum tertium librum ex tenebris Principum Medicorum in lucem extulis, ut pro coronide tanti honoris, laurique Doctoris Apollinæ Facultatis summa sollicitudine, maximâque claritate meritò fruamur, ut Vegetius lib. 3. de re militari cap. 26. prædicat, nam *ocasio in prælio, amplius solet juvare quàm virtus*.

O stupendum luminis ingenium. O miraculum naturæ, meritò invidiæ cruciamur tormentis, ut Horatius loquitur lib. 1. epist. ad Lolium.

*Invidia Siculi non invenerunt tyranni
Majus tormentum.*

Et Silius Italicus lib. 17. de Bello Punico hoc epigramma pronunciat.

O dirum exitium mortalibus, O nihil unquam
Crescere, nec magnas patiens exurgere laudes
Invidia.

Quam dementiam procul à te eliminet (Clarissime Doctor) immò tanquam alterum
Æsculapium in Arte quotquot stant Apollinea Doctores te aspiciant, atque vene-
rentur, dignusque sis laude, gloriâ, atque omni honore, non minùs ac Podalyrius, ut
refert Ovid. 9. de Arte amandi.

*Quantus apud Danaos Podalyrius Arte medendi.
Æchi des dextrâ, pectore Nestor erat.*

Vale.

Tuæ admirandæ doctrinæ observantissimus

DOCTOR JOANNES CARRILLO.

NOs el Licenciado Don Alonso Rico y Villaroel Consultor del Santo Officio de
la Inquisicion, dignidad de Capellan mayor en la santa Iglesia magistral de San
Justo, y Pastor de la Villa de Alcala de Henares, y Vicario desta Villa de Madrid, da-
mos licencia (por lo que a nos toca) para que se Imprima el libro intitulado *tercero tomo
de la Laurea Doctoral Medica Complutense*, compuesto por el Doctor Don Francisco
Enriquez, Medico de Camara de su Magestad atento de nuestro mandado esta visto y
examinado y no tiene cosa contra nuestra santa fee Catolica, y buenos costumbres.
Dada en la Villa de Madrid, à treinta y un dias del mes de Agosto de 1678.

D. ALONSO RICO Y VILLAROEL.

Por su mandado

FRANCISCO NAVARRETE.

POr mandado del Señor D. Alonso Rico villa Roel Vicario en esta Villa de Madrid
y su partido he visto el libro intitulado *tercer tomo de la Laurea Doctoral Medica
Complutense* que à compuesto el Doctor Francisco Enriquez de Villacorta, Medico de
Camera del Rey nuestro Señor y no hallo en el cosa que sea contra nuestra Santa fee
Catolica, ny contra las buenas costumbres, antes me parece sera de mucha utilidad
y provecho, para el bien comun y los Profesores de la Facultad de Medicina y en espe-
cial de los estudiantes Medicos de la Universidad de Alcala à cuiò provecho lo or-
dèna principalmente su Author, y así convendra se le de la licencia que pretende para
imprimirlo, este es mi parecer, Madrid y Agosto 29 de 1678.

DOCTOR. JOAN. AMBROSIO DECUEVAS.



M. P. S.

POR mandado de V. A. he visto el tercero tomo de la Laurea Complutense, que contiene los tradados de *Alimentorum facultatibus*, de *Vitius ratione*, de *Methodo medendi*, de *Crisibus*, de *Diebus decretoriis*, de *Balneis*, de *Locis affectis*, de *Venenis*, de *Sanguinis Missione ex talo in viris*, & *gravidis*, lue *venerea*, & de *Facultatibus naturalibus*. Su Author el Doctor Don Francisco Henriquez de Villacorta, Medico de Camara de S. M. Al precepto de V. A. debo el ser el primero en reconocer este Tesoro, y al Author el averle descubierto y sacado de las intrincadas y profundas minas de Hipocrates. No me ha echo nouedad en el libro, lo que con singularidad ha manifestado tantos años en las Cathedras, y en las repetidas Iuntas, que con el Author he tenido; y Puede, aunque no lo confiesen ni la embidia ni ignorancia, proclamar hablando con los Hespáñoles, lo que Hypocrates con los Griegos de Thesalia sobre el ara de Minerva *epistola ad aram consistentis*: *O Vos multi, & multarum urbium habitatores in magna dignitate constituti communi nomine Thessali, omnibus hominibus amara necessitas incumbit, ut que à fatiis statuta sunt, ferant; quapropter ego nunc cedens olea ramulis coronatus, ad Minerva aram suplex consisto. Quis sim, ignorantibus dicere oportet: Hypocrates, ó Viri, Medicus Cous, cognoscitis me ó plebs; nam profectò vos estis viri mihi familiares, inter quos, ut verum dicam, inter plerosque vestrum, & in multis urbibus vestris cognitus sum, ut in summa dicam: At verò nomen meum longè ulterius, quàm forma mea aspectus processit.* Conocido por grande es este Author y con toda estimacion del general beneficio, que haze, dignissimo de que V. A. le de la licencia, que supplica, pues no contiene cosa contra nuestra Sagrada Religion: Madrid y Agosto 30. de 1678.

DOCTOR JUAN DE CHASSARRI ASCONA.



PRIVILEGIO DEL REY CATOLICO.

E L R E Y.




OR QUANTO por parte de vos el Doctor Don Francisco Henriquez de Villa Corta nuestro Medico de camara se nos hizo relacion teniades acavado el tercer Tomo de Vuestras Obras que se intitulavã, *La Laurea Doctoral Medica Complutense*, y paraque la pudiefedes imprimir en Leon de Francia, donde estavan impresos los dos primeros Tomos: y nos pediercis y suplicasteis nos ser viesemos de daros licencia nuestra para la dicha impresion ò como la nuestra Magestad fuese y visto por los del nuestro consejo, y como por nuestro mandado se hicieron las diligencias, que por la pragmatika por nos ultimamete hecha sobre la impresion de los libros se dispone, fue acordado que deviamos mādardar esta nuestra cedula para vos en la dicha raçon y nos lo hemos tenido por bien. Por laqual os damos licencia y facultad paraque por tiempo de diez años primeros siguientes que corran y se quantan desde el dia de la data della en adelante. Vos ò la persona que vuestro poder tuviere y no otra alguna podais imprimir y vender el dicho libro de que de suso se haze mençio por el original que va rubricado de Diego de Vruena Navamuel nuestro Secretario de Camara uno de los que residen en el Cõsejo en estos reinos de Castilla cõque antes que se venda los traigais antes los de juntamente con el original paraque se vea si la dicha impresion esta conforme al original ò traigais feé en publica forma de como por el corrector nombrado se vió y corrigió dicha impresion por el original y mandamos al Impresor que asi imprimiese el dicho libro no imprima el principio ni primer pliego ni entregue mas que un solo cuerpo con su original al autor ò persona a cuja costa se imprimiere y para efecto de la dicha correccion asta que antes y primero el dicho libro este corregido y tassado por los del nuestro consejo y estandolo y no en otra manera puedã imprimir el dicho Principio y primer pliego y segũdo donde se ponga esta nuestra cedula y la aprobaçion que cerca dello se hizo por nuestro mandado y la tassa y erratas. Pena de caer y incurrir en las penas contenidas en las leyes y pragmatikas destos nuestros Reinos que sobre ello disponen y mandamos que ninguna persona sin vuestra licencia pueda imprimir el dicho libro y si lo hiziere aya perdido y pierda todos y qualesquiera libros, moldes y aparexos que dellos tuviere y mas incurra en pena de cinquanta mil maravedis, la tercia parte para la nuestra camara, y la otra tercia parte para el que lo senenciare y la otra tercia parte para el denunciador, y mandamos a los del nuestro consejo, Prezidente y Oydores de las nuestras audiencias, Alcaldes, Alguasiles de la nuestra Casa y Corte y Chãcillerias y todos los Corregidores, Asistentes, Governadores, Alcades Mayores y ordinarios y otros jueces y Justicias qualesquier de todas las Ciudades, Villas y lugares d'estos nuestros Reinos y señorios que cada uno en su jurisdiccion os guarden y cumplan esta nuestra cedula y contra lo en ella contenido no vayan ni pasen ni consentan yr ni passar en manera alguna pena de la nuestra Merced, y de diez mill maravedis para la nuestra Camara. Dada en Madrid à nueve dias del mes de Septiembre de mil seiscientos, y setenta, y ocho años.

YO EL REY

Por mandado del Rey nuestro Señor
Don Ignigo Fernandez del Campo.

Y dicho Don Francisco Henriquez de Villa Corta ha cedido dicho Privilegio à FLORIAN ANISSON, Vecino desta Villa de Madrid paraque en su nombre le pueda imprimir y vender en estos Reinos de Castilla y Leon, y no otra persona alguna, como consta de la escritura otorgada el dicho 16. de dicho mes de Septiembre ante de un escrivano de el numero desta Villa de Madrid.



SVMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.

AUTUM est autoritate Regis, ne quis in Regno suo, aliisve suæ ditioni subjectis locis, intra decem proximos annos, Librum qui sic inscribitur, *Francisci Henriquez Opera Medica*, absque LAURENTII ANISSON, Bibliopola Lugdunensis, permisso imprimat, aut divendat, à die publicationis horum exemplarium: qui secus fecerit, multa indicta, prout fufius in Diplomate Regio continetur, multabitur. Datum Parisiis 19. Septembris 1667.

Signatum


Desit Prælum primæ editionis Tomi tertij, die 7. Junij 1680.

TESSIER



I N D E X

Tractatum , Capitum , Sectionum , & Quæstionum hujus Tomi Tertij.



TRACTATUS

De Methodo Medendi.


- CAP. I. **D**E scelis ad Methodum medendi machinatis. paginâ 1
- II. De modo quo Medicus debeat operari circa Rationalem Methodum. ibid.
- III. De natura & quidditate Methodi medendi. 5
- IV. De natura Indicationis. 7
- V. Quæ sint præcipua Indicantia in curatione. 10
- VI. Virum omnia indicantia indicent curationi. 16
- VII. An generalis Indicatio in curandis morbis sit sola contrarietas. 20
- VIII. Virum tempora morbi indicent in curatione. 23
- IX. De natura coincidentium impediendum, contraindicantium, & correptantium in curatione. 26
- X. De natura Indicatorum, & de recto eorum usu. 28
- XI. Quibus medicamentis debeat fieri conservatio. 30
- XII. Quæ Natura est conservanda, quando, & quomodo. 33
- XIII. Virum causa que abest indicet in curatione. 37
- XIV. Virum ad faciliorem refrigerationem aqua sit dispositio calefactio ipsius. 39
- XV. De dubiis incidentibus circa Galeni doctrinam. 41
- XVI. Quomodo se debeat habere Medicus cum plures incurunt Indicationes in curatione morborum. 47
- XVII. De cognitione partis affectæ in morbis. 50
- XVIII. Dabium ultimum incidens, utrum sit facilius incidere in morbum similem, quam in dissimilem. 57

DISPUTATIO

De Consuetudine.

- CAP. I. **Q**uid sit consuetudo. 69
- II. An ex actionibus frequentibus acquiratur consuetudo in vegetativis facultatibus. 61


- III. Quomodo acquiratur Consuetudo in facultate nutritiva. 69
- IV. An in facultate naturali locum habeat Consuetudo circa quantitates alimenti, & numerum. 72
- V. Virum in sensibus locum habeat Consuetudo. 76
- VI. An in facultate motiva secundum locum sit Consuetudo. 77
- VII. An Indicatio qua sumitur à Consuetudine, in morbis, sit ad similia, ita ut semper debeat conservari Consuetudo; an verò aliquando contrariis reduci. 79



TRACTATUS

De Alimentorum facultatibus in communi.

- CAP. I. **D**E natura seu quidditate Alimenti. pag. 81
- II. An quodlibet mixtum possit esse alimentum corporis humani. 85
- III. An elementum possit esse alimentum vivens. 88
- VI. An venenum possit nutrire. 90
- V. An vivens possit sine alimento vivere & conservari. 94
- VI. De facultatibus quæ reperiuntur in alimentis. 96
- VII. De cognitione facultatum quæ sunt medicamentosa in alimentis. 98
- VIII. De modo cognoscendi alimentosas facultates quæ insunt in alimentis. 103
- IX. Virum facultates alimentorum sint actu in ipsis, an verò potentia. 105



TRACTATUS

De Alimentorum facultatibus in particulari.

- CAPIT PROEMIALE. pag. 113.
- II. Virum cæna prædior largior esse debeat. 114
- III. De victu singulis ætatibus salubri. 116
- IV. De Pane. 117

Index Tractatum, Capitem,

V.	De Hordeo, Avena, Fabis, Ciceribus & Lentibus.	118
VI.	De Oleribus usualibus.	ibid.
VII.	De Radicibus esculentis usualibus.	pag. 119
VIII.	De Fructibus esculentis usualibus.	pag. 120
IX.	De Carnibus in genere.	121
X.	De Alimentis qua in animali continentur.	pag. 122
XI.	De Cibis volatilibus.	123
XII.	De Ovis.	ibid.
XIII.	De Piscibus.	ibid.
XIV.	De Condimentis.	124
XV.	De Potu & materia potulenta.	ibid.



TRACTATUS

De victus ratione in morbis acutis.

SECTIO I.

De ratione victus absolute.

QUÆST. I.	Q UID sit quod Hippocrates docet in his libris qui de victus ratione inscribuntur.	127
II.	Quid & quotuplex sit alimentum.	128
III.	Virum variatio alimenti in forma debeat fieri per variationem speciei alimenti.	pag. 130
IV.	A quo indicetur alimentum & victus ratio.	132
V.	A quo ultimo determinetur victus forma.	138
VI.	Virum à principio usque ad statum sit attenuandus victus.	143
VII.	Virum status morbi indicet victus tenuitatem, magis propter coctionem, quam propter accidentium intensionem.	pag. 145
VIII.	Virum deterius sit declinare ad tennem quam ad crassum victum.	149
IX.	Virum tempora indicent aliquam victus speciem.	151
X.	Virum sint alia indicantia victus rationem.	pag. 155

SECTIO II.

De victus ratione in statu sanitatis.

QUÆST. I.	Q uale debeat esse alimentum sanorum.	157
II.	Quantum debeat esse alimentum.	160
III.	Virum victus ratio ex simplici aut pluribus alimentis sit eligenda.	164
IV.	An crassa, an tenuia alimenta debeant precedere in prandio.	165

SECTIO III.

De Potu.

QUÆST. I.	Q uid sit potus, & à quo indicetur.	pag. 167
II.	Quantus, quando & qualis debeat esse potus sanorum.	171
III.	De Aqua.	173
IV.	De effectibus Aqua.	176
V.	Quomodo in biliosis bilescat Aqua.	177
VI.	De vino.	178
VII.	De effectibus vini.	180
VIII.	An omne vinum sit calidum.	181
IX.	De Mulsæ & Oxymelie.	184
X.	De Ptissana.	187



TRACTATUS

De Balneorum natura & usu

SECTIO I.

De Balneo Sanorum.


QUÆST. I.	Q UID & quotuplex sit Balneum.	191
II.	Virum ordine & modo antiquo Balnea sint instituenda.	193
III.	Quantum Balneum debeat esse.	196
IV.	Quando Balneum sit conveniens.	199
V.	De utilitatibus Balnei & nocentis.	201
VI.	De modo administrandi Balneum.	204

SECTIO II.

De Balneo ægrotantium.


QUÆST. I.	Q uid sit ægrotantium Balneum, & quotuplex.	208
II.	Qualis sit Aqua acida, & ejus Balneum.	210
III.	De utilitatibus Balneorum medicinalium.	212
IV.	De Balneo communi in statu ægrotudinis, & ejus indicantibus.	213
V.	Virum plenitudine, aut inanitione existente, Balneum conveniat, & quomodo.	215
VI.	Virum intemperie existente Balneum conveniat.	216
VII.	An in febre putrida exerceri Balneum possit.	218
VIII.	De impediens Balneum in febribus.	222
IX.	Virum Balneum in morbis ministrari possit.	225


Sectionum & Quæstionum.



TRATATUS

De Prognosticis, & de Arte prænoscenti.

- QUÆST. I.  *VID* sit Prognosticum, & circa quos morbos habeat locum. pag. 229
- II. *Quæ sint in morbis præsignanda.* 230




TRACTATUS

De Crisibus, & Diebus Decretoriis.

SECTIO I.

De Crisibus.

- QUÆST. I.  *VID* sit Crisis. pagina 235
- II. *Quotuplex sit Crisis.* p. 238
- III. *De signis & morbis propriis pro qualibet Crisi.* 240
- IV. *De signis ostendentibus Crisim per abscessum.* 243
- V. *De signis ostendentibus Crisim per fluxum sanguinis.* 244
- VI. *De signis ostendentibus Crisim per urinam, vel sudorem.* 247
- VII. *De signis ostendentibus Crisim per vomitum, vel dejectionem.* 251
- VIII. *Virum Crisim futuram fore in morbo possit dignosci.* 252
- IX. *Quando prædicenda sit Crisis, & quibus signis.* 256
- X. *De signis Crisis optima.* 259
- XI. *Virum ad perfectam Crisim conducatur nocte, vel die fieri.* 262
- XII. *Virum sine conditionibus optima Crisis possit perfecta evenire.* 264


SECTIO II.

De Diebus Decretoriis, &c.

- QUÆST. I. *UTrum in morbis dies Critici, aut aliter contemplabiles inveniantur, & qui.* pag. 267
- II. *Virum crisis, vel signum criticum prævum, die critico deterius sit.* 270
- III. *Quæ dierum diversitas in morbis sit attendenda.* 272
- IV. *Virum sint numerandi dies integri ad Crisim.* 274
- V. *De causa dierum criticorum.* 275
- VI. *De morbo pari & impari, & eorum judicatoriis.* 288


VII. *De diebus terminantibus quemcumque morbum.* 294

VIII. *A quo die debeat feri Computatio.* 297



TRACTATUS


De Facultatibus.


- CAP. I.  *VID* sit facultas, & quotuplex. 301
- II. *Virum facultas distinguatur ab anima, & à temperamento.* 302
- III. *De numero facultatis vitalis & animalis.* 306
- IV. *De numero & objecto facultatum naturalium.* 308
- V. *An facultates naturales sint vitales.* 310
- VI. *An in partibus sit peculiaris facultas operans propter totum, seu propter bonum commune.* 311
- VII. *De instrumentis facultatum naturalium.* 313



TRACTATUS

De Venenis.

- CAP. I.  *E veneni natura, & quædam de te, & ipsius differentiis.* 316
- II. *De differentiis venenorum.* 322
- III. *An venenati humores possint in nostro corpore generari.* 327
- IV. *An detur venenum ad tempus.* 334
- V. *De signis venenorum, & an dentur aliqua quæ sint propria veneni assumpti.* 339
- VI. *Quando venena frigida interficiant.* 345




DE LOCIS AFFECTIS

Resolutiones Theoricæ.

DISPUTATIO I.

De morbis per consensum, & aut sympathiam.

- CAP. I.  *VID* sint, & quot modis contingant. pag. 348
- II. *An sit alter modus sympathia.* ibid
- III. *An morbus per consensum sit verè morbus.* 347



Index Tractatum, Capitem,

DISPUTATIO II.

De his quæ ad naturam, & usum musculorum pertinent.

- CAP. I. **Q**uid sit musculus, & qualem habeat compositionem. pag. 348
II. An musculus sit instrumentum motus voluntarij. ibid.
III. Qualis est motus musculi. 351
IV. An cerebrum moveatur, & à qua facultate. ibid.
V. Opinio qui existimant cerebrum moveri à facultate animali. 553
VI. An facultas cerebri sit ejusdem rationis cum illa qua movet cor. ibid.
VII. Quæ pars musculi sit elicitora motus spontanei. 454

DISPUTATIO III.

De differentiis dolorum.

- CAP. I. **A**n stupor sit species doloris. 355
II. De doloris pulsantis natura. 356
III. De dolore gravante & tensivo. 357
IV. De dolore mordaci. 358
V. De doloris speciebus, & an sint alia species, aut modi doloris præter dictos. ibid.

DISPUTATIO IV.

De somno & vigilia.

- CAP. I. **Q**uid nomine somni & vigilia intelligatur, & ad quam partem animæ spectent. pag. 359
II. An aliquis somnus sit naturalis. 360
III. In quo consistat natura & essentia somni. 361
IV. Quis modus sit quo fit somnus, & à qua causa immediata. 362
V. Cur aliqua peculiariter somnum inducant. 363
VI. Quo pacto excitetur animal à somno. 364
VII. In qua parte sit somnus. ibid.
VIII. De causa finali somni. 365
IX. Quomodo spiritus per vigiliam consumantur. ibid.
X. Quæ sint causa somni & vigilia contra naturam & quo pacto operentur. 366

DISPUTATIO V.

De capitis dolore.

- CAP. I. **D**e essentia hujus affectionis, & partibus capitis qua dolent. pag. 367
II. De causis doloris capitis. 368
 qua sunt qua faciunt ut facile incidat
III. Quis in capitis dolorem. 369

- IV. An omnes partes capitis dolore affici possint. ibid.
V. De dolore capitis per consensum, & an in remota parte possit reperiri, non dolente proxima. 370

DISPUTATIO VI.

De læsione memoriæ.

- CAP. I. **A**n actio memoria possit lædi omnimodo. pag. 371
II. An memoria ita conservet species, ut alia potentia interna lædantur ratione illarum. 373
III. An actus memoria possit à quavis distemperie lædi, & quâ ratione. 374
IV. An actiones lædantur simul cum memoria; an verò possit una sine alia lædi. 376

DISPUTATIO VII.

De deliriorum natura.

- CAP. I. **Q**uid sit delirium. pag. 378
II. An intellectus verè deliret, & cur ille solus, & in brutis æstimativa. 379
III. De modo quo delirium causetur. 381
IV. De actibus sensuum internorum, & an quilibet possit esse causa delirij. 382
V. An eadem sit ratio deceptionis in delirantibus & dormientibus. 384
VI. Vtrum in brutis dentur deliria. 385
VII. An dentur deliria solius intellectus. ibid.
VIII. Vtrum læsâ imaginatione lædatur necessariò aliquis sensus externus cum ipsa. 386
IX. Vtrum læsâ primâ potentiâ à qua reliqua recipiunt species, lædantur omnes necessariò. 387
X. Vtrum mutatio temperamenti in solis primis qualitativibus ad delirium sufficiat. 388
XI. Vtrum omnes primæ qualitates ad delirium conducant. 389
XII. Vtrum distemperies lædens unam potentiam, lædat omnes potentias necessariò. 390
XIII. Quomodo ab eadem temperie percipiuntur actus interni. 393
XIV. An species objectorum conserventur in spiritibus in eorum absentia, itaut sint causa delirandi. 394
XV. Vtrum ex diversa natura delirij, diversa causa cognoscatur. 396

DISPUTATIO VIII.

De Phrenitide.

- CAP. I. **U**t vtrum phrenitidis & lethargi essentia consistat in inflammatione, aut distemperie. 397
II. Quid sit phrenitis, & qua pars affecta. 398

III. De

Sectionum & Quæstionum.

- III. *De speciebus phrenitidis, an sint, & quot ex parte laesarum actionum, & ex parte humoris.* 399
- IV. *Quæ sint signa pathognomonica phrenitidis* 400
- V. *De Paraphrenitide & delirio, à septo transverso affecto.* 401
- VI. *An sit aliquod symptoma distinguens veram phrenitidem, ab illa qua contingit per consensum cum septo, præter delirij perpetuitatem.* 402
- VII. *Quid sit advertentia, & in quibus actionibus habeat locum.* 403
- VIII. *De insomniis turbulentis & plenis imaginibus.* 406
- IX. *An homo solus somniat in quavis ætate, an etiam alia animalia.* 407

DISPUTATIO IX.

De abiis Tumoribus cerebri.

- CAP. I. **D**E cerebri inflammatione, & an illam possit pati. pag. 407
- II. *De Erysipelate cerebri, & an pati possit scirrhum.* 408

DISPUTATIO X.

De Lethargo.

- CAP. I. **I**N qua distemperie consistat essentia Lethargi. 408
- II. *Le causa lethargi, & de parte affecta.* 409
- III. *De symptomatibus lethargi, & causis eorundem.* 410
- IV. *An inter symptomata lethargi debeat poni delirium perpetuum.* 411

DISPUTATIO XI.

De Typhomania, seu vigili comate.

- CAP. I. **Q**UARE ita dicatur, & quis affectus sit. 412
- II. *Qua sit causa Typhomania, & quæ symptomata pathognomonica.* ibid.

DISPUTATIO XII.

De Caro.

- CAP. I. **Q**UID sit Carnus, & in quo differat ab aliis affectionibus soporiferis. pag. 413
- II. *Quæ sit pars affecta in Caro, & quæ actiones læsæ in ipso patiantur.* 414
- III. *De differentia Cari, & morbo cujuslibet.* 415
- IV. *Quis cerebri ventriculus sit perfectior.* 416

DISPUTATIO XIII.

De Catoche & Catalepsi.

- CAP. I. **Q**UID sit prædictus affectus. 417
- II. *Quenam causa sit ex qua fiat.* 418
- III. *Quæ sit pars affecta, & quæ symptomata.* ibid.

DISPUTATIO XIV.

De Melancholia Morbo.

- CAP. I. **Q**UID sit prædictus affectus. 419
- II. *Quis morbus sit melancholia, seu in quo essentialiter consistat.* 420
- III. *An metus & tristitia sint symptomata pathognomonica hujus morbi.* ibid.
- IV. *Metus & tristitia in melancholicis quâ ratione fiant.* 421
- V. *A qua causa fiat melancholia morbus.* pag. 423
- VI. *Quæ pars sit affecta in hoc morbo, & quæ potentia ledatur.* ibid.
- VII. *Vnde contingant peculiaria deliria in melancholicis.* 424
- VIII. *An detur melancholia facta à Damone.* ibid.
- IX. *An sint naturalia remedia quibus possit curari melancholia facta à Damone.* 425
- X. *An melancholici possint naturaliter qualibet sermone loqui.* ibid.
- XI. *An melancholici possint futura prædicere.* 426
- XII. *An melancholici ingeniosi sint, & quæ sit causa.* 427
- XIII. *De speciebus melancholia, & de essentia & parte affecta hypochondriaca.* pag. 428
- XIV. *De præparatis ad melancholiam.* 429

DISPUTATIO XV.

De Mania & speciebus ejus.

- CAP. I. **D**E essentia Mania. 430
- II. *De speciebus Mania & causis.* 431
- III. *An hydrophobia sit species Mania.* ibid.
- IV. *De Melancholia ex Amore.* 433

DISPUTATIO XVI.

De Incubo.

- CAP. I. **D**E essentia Incubi. 433
- II. *De parte affecta in Incubo.* 434

Index Tractatum, Capitem,

DISPUTATIO XVII.

De Vertigine.

- C A P. I. **Q**uid sit vertigo, & an habeat species. pag. 435
- II. *Que res praternaturam sit vertigo.* ibid.
- III. *Vnde procedat ut in affectu res quiescens appareat moveri.* 436
- IV. *De parte affecta, facultatęque cujus actio est lasa.* 440
- V. *De causa vertiginis.* 441
- VI. *De differentiis vertiginis.* 442

DISPUTATIO XVIII.

De Epilepsia.

- C A P. I. **Q**uid sit Epilepsia, & in quo consistat natura hujus morbi. pag. 443
- II. *Quo pacto solvant Auctores argumenta Fernely, & Rondeletij adducta.* ibid.
- III. *In quo ponitur vera sententia.* 444
- IV. *An vera sit convulsio in Epilepticis.* pag. 445
- V. *Cujus facultatus sit symptoma hac convulsio.* 446
- VI. *Qua pars affecta in Epilepsia.* ibid.
- VII. *An Epilepsia fiat à pinnitoso & crasso humore,* 447
- VIII. *An ex alio humore possit fieri epilepsia.* 448
- IX. *An epilepsia possit fieri à siccitate.* ibid.
- X. *De speciebus epilepsie, & an à nuda qualitate possit contingere.* 449

DISPUTATIO XIX.

De Apoplexia.

- C A P. I. **Q**uid sit Apoplexia. pag. 450
- II. *In quo consistat essentia hujus morbi.* 451
- III. *De causis Apoplexia.* 452
- IV. *Qua sit pars affecta in Apoplexia.* pag. 453
- V. *De speciebus, sive differentiis Apoplexia, & unde sumantur.* 454
- VI. *An in aliis speciebus Apoplexia seruetur respiratio.* 455

DISPUTATIO XX.

De Paralyfi.

- C A P. I. **Q**uid sit Paralyfi, & quomodo differat à quibusdam affectionibus. 456
- II. *Qua res praternaturam sit paralyfi, &*

- quis morbus intercedat.* 457
- III. *An paralyfi fieri possit à distemperie.* pag. 458
- IV. *De causis paralyfi.* ibid.
- V. *Cujus lateris paralyfi sit frequentior & deterior.* 459
- VI. *Vnde procedat ut membrum paralyfi affectum extennetur.* 460
- VII. *An possit in aliqua parte seruari sensus sine motu, & e contra.* ibid.

DISPUTATIO XXI.

De Convulsione.

- C A P. I. **Q**uid sit Convulsio. pag. 461
- II. *Sub quo genere symptomatis convulsio contineatur.* 462
- III. *A quo morbo procedat symptoma convulsionis.* ibid.
- IV. *Quot sint causa convulsionis, sive species.* 463
- V. *Quis modus sit quo qualibet causa ex dictis convulsionem pariat.* ibid.
- VI. *Quanam sit pars affecta in convulsione.* 464
- VII. *De signis & causis convulsionis.* ibid.
- VIII. *An Tetanus sit convulsio.* 465
- IX. *Quot sint species convulsionis ratione partis.* 466
- X. *An in vulneribus capitis convulsio fiat in latere opposito, & paralyfi in principio, & habeat causam aliquam ex dictis.* ibid.

DISPUTATIO XXII.

De Tremore.

- C A P. I. **Q**uid sit Tremor. pag. 467
- II. *Ad quam facultatem spectet Tremor.* ibid.
- III. *An Tremor fiat à duplici motore, an ab uno.* 468
- IV. *Quis morbus reperiat in Tremore, & quas causas habeat.* 469

DE AFFECTIBVS Oculorum.

DISPUTATIO XXIII.

De affectibus tunicę adnatę.

- C A P. I. **D**E Ophthalmia. pag. 470
- II. *De Pterygio.* ibid.

Sectionum & Quæstionum.

DISPUTATIO XXIV.

De affectibus tunicæ corneæ.

- CAPUT I. **A**N ex mutatione coloris hujus tunicæ, & cum humores flunt diversi coloris, ledatur visio. 470
- II. De ulcere corneæ tunicæ, & aliis morbis ejus. 471

DISPUTATIO XXV.

De morbis tunicæ uveæ.

- CAP. I. **D**E Mydriasi & Phthisi. pagin. 472
- II. De hypochrysi sive suffusione. 474
- III. De Imaginationibus. ibid.
- IV. An ea quæ existunt intra oculum ut causent accidentia suffusione similia, videri oporteat. ibid.

DISPUTATIO XXVI.

De affectibus oculorum qui visionem ledunt ratione humorum oculi.

- CAPUT I. **D**E his quæ pertinent ad Albuginem. 475
- II. An vitia quæ contingunt ratione humoris vitrei, ledant visionem. 476
- III. De vitis quibusdam humoris crystallini. ibid.

DISPUTATIO XXVII.

De his quæ contingunt vitio spirituum, circa læsionem visionis.

- CAPUT I. **A**N ex nimia quantitate spirituum læsio fiat. 477
- II. Ea quæ sumuntur ex parte modi substantiæ spirituum, quas causas habeant. ibid.
- III. De aliis modis, quibus debilis fit visio ex parte spiritus, & quas habeant causas. 478
- IV. De Nyctalopia. 479
- V. De opposito vitio nyctalopia. ibid.
- VI. De diminutione radij, & Alumar, id est albedine vincente. ibid.

DISPUTATIO XXVIII.

De læsione visionis quæ contingit vitio nervorum opticorum.

- CAP. UNICUM. **D**E gutta serena. pag. 480

DISPUTATIO XXIX.

De affectibus qui oculis contingunt propter musculos quibus moventur.

- CAP. I. **Q**uot sint musculi oculorum. pagin. 481
- II. De usu musculorum oculorum. ibid.
- III. De Strabismo. ibid.

DISPUTATIO XXX.

De affectibus aurium.

- CAP. I. **Q**uot modis ledatur actio audiendi. pag. 482
- II. In quo proponuntur quidam affectus aurium communes cum aliis partibus. 483
- III. De Sibilo & tinnitu aurium. ibid.
- IV. De Surditate & gravi auditu. 484
- V. De Sordibus aurium. 485

DISPUTATIO XXXI.

De vitiis narium.

- CAP. I. **D**E modis læsionis sensus olfactus. pag. 485
- II. De Polypo, Ozæna, &c. ibid
- III. De Sternutamento. 486
- IV. De Catharro, Coryza & Gravedine. ibid.

DISPUTATIO XXXII.

De morbis faciei.

- CAP. UNICUM. **D**E morbo spasmo cinico dicto, orisque tortura. pag. 486

DISPUTATIO XXXIII.

De affectibus Linguae.

- CAP. I. **D**E natura, usque lingua, & modis quibus læsionem patitur. 487
- I I. De locutione & quibusdam vitiis ejus. 488
- III. De

Index Tractatum, Capitem,

- III. De mutitate, & ejus causis. 489
IV. De quibusdam aliis affectibus lingua. ibid.

DISPUTATIO XXXIV.

De ore.

- CAP. I. **D**E numero partium oris, & de dentium natura. 489
II. An dentes sentiant. 490
III. An ossa sentiant. 491
IV. De causa finali dentium. ibid.
V. De numero morborum dentium, & de singulis in particulari. 492

DISPUTATIO XXXV.

De Angina.

- CAP. I. **Q**uam sit essentia Angina. pag. 493
II. De Speciebus Angine. ibid.
III. Qua pars afficiatur in Angina. 494
IV. De causis & signis Angina. ibid.

DISPUTATIO XXXVI.

De vocis natura.

- CAPUT UNICUM. **Q**uid sit vox; quot sint ejus instrumenta, & modus lationis. pag. 495

DISPUTATIO XXXVII.

De his quæ spectant ad respirationem.

- CAP. I. **Q**uid sit Respiratio, & à qua facultate fiat, voluntaria, an naturali. 495
II. An quo efficienti moveatur pulmo in respiratione. 497
III. An respiratio fiat solo motu septi transversæ. 498
IV. Quibus partibus constet respiratio. 499
V. Quibus moveatur thorax in respiratione non naturali. 500
VI. De dyspnœa, idest, difficultate respirandi in genere. 501

DISPUTATIO XXXVIII.

De vitiis pulmonis.

- CAPUT UNICUM. **D**E Asthmate. pagin. 502

DISPUTATIO XXXIX.

De Tussi.

- CAP. I. **Q**uid sit Tussis, & ad quam facultatem pertineat. 503
II. Qua pars afficiatur in tussi, an hæc sit pulmo necessarius. ibid.
III. A quo morbo nascatur, & qua sint ejus causas. 504
IV. De divisione tussis, & quibusdam qua tussi exernuntur. ibid.

DISPUTATIO XL.

De Peripneumonia.

- CAP. I. **Q**uid sit Peripneumonia, & à quo humore fiat. 505
II. In quo explicantur modi quibus Peripneumonia generatur, & signa ipsius. ibid.

DISPUTATIO XLI.

De sanguinis sputo & rejectione.

- CAP. I. **Q**uid sit, & à quo procedat. 506
II. De partibus unde solet expui sanguis, & de signis qua illas ostendunt. ibid.
III. In quo quadam qua ad prognosticum spectant in hoc morbo, explicantur. 508

DISPUTATIO XLII.

De Phthisi.

- CAP. I. **Q**uid sit Phthisis, & sub quo morborum genere contineatur. 508
II. In quo diversa occasiones tabis continentur. 509
III. De signis phthisis. 510
IV. An ulcera pulmonis sint insanabilia, & an difficultate superent, qua sunt in thorace. 511

DISPUTATIO XLIII.

De affectu quem passus est Antipater Medicus.

- CAP. UNICUM. **Q**uamvis fuerit ille affectus. 511

Sectionum, & Quæstionum.

DISPUTATIO XLIV.

De Empyemate.

- CAP. I. **Q**uid sit Empyema, & in quo genere morborum continetur. 512
II. An ex pituita & quovis alio humore generetur verum pus. ibid.
III. An ea que continentur intra thoracem possint aliter quam tussi expurgari. ibid.
IV. Qualis febris sit illa qua in verè suppuratis reperitur. 513

DISPUTATIO XLV.

De Pleuritide.

- CAP. I. **D**E appellatione pleuritidis, & de ejus definitione. 513
II. De quo tumore intelligatur definitio pleuritidis. 514
III. Quæ sit pars affecta in pleuritide. 515
IV. De signis pleuritidis & causis eorum. ibid.
V. An morbus possit reperiri sine signis pathognomonicis, & sine illo. 516
VI. De signis temporum pleuritidis. 517
VII. Cujus lateris pleuritidis sit deterior. pag. 518

DISPUTATIO XLVI.

De quibusdam quæ ad cor spectant.

- CAP. I. **A**nonne mortis genus contingat necessario corde intemperato. 518
II. De morbis quos pati potest cor. ibid.

DISPUTATIO XLVII.

De Cordis Palpitatione.

- CAP. I. **Q**uid sit Cordis palpitatio & quomodo fiat. 519
II. A qua causa fiat palpitatio, & cujus morbi symptoma sit. 520
III. Quæ sit pars affecta in vera palpitatione. ibid.

DISPUTATIO XLVIII.

De Cordis Tremore.

- CAP. I. **Q**uid sit Cordis Tremor. 521
II. De causis tremoris Cordis. ibid.

DISPUTATIO XLIX.

De syncope.

- CAP. I. **Q**uid sit syncope & quo pacto differat ab aliis affectibus, cum quibus videtur convenire. 522
II. An animi deliquium sit soporosa affectio. 523
III. De Causis syncopis. 524

DISPUTATIO L.

De vitiis œsophagi aut gulæ.

- CAP. I. **Q**uid sit gula, quis ejus usus, & cujus facultatis. 524
II. De vitiis quæ pati potest gula. 525

DISPUTATIO LI.

De his quæ spectant ad ventriculum.

- CAP. I. **D**E partibus quibus constat, & eorum usu. 525
II. De sensu famis. 526
III. De symptomatis læsæ actionis ventriculi. ibid.

DISPUTATIO LII.

De fame & siti naturalibus.

- CAP. I. **A**n aliqua fames & sitis sit præter naturam. 527
II. Quot sint in animali dum famescit naturaliter. 528
III. An essentia famis & sitis consistat in sensatione, an verò sit passio appetitus. 529
IV. Quis actus sit appetitus. ibid.
V. Cujus substantia defectu sequuntur fames & sitis. ibid.
VI. Quid sit quod sentitur in ventriculo ut objectum, dum famescit naturaliter, aut sitibundus est. 530

DISPUTATIO LIII.

In qua continentur vitia, quæ circa læsam appetentiam ventriculi contingunt.

- CAPUT I. **D**E Canina appetentia. pag. 531

Index Tractatum, Capitem,

- II. De fame que dicitur boulimos. 532
III. De fame pica dicta, sive citra. ibid.
IV. De inappetentia, & cibi fastidio. 533
V. De quibusdam causis inappetentia, & fastidij. 534
VI. De siti contra naturam. ibid.

DISPUTATIO LIV.

De his quæ pertinent ad facultatem expultricem ventriculi.

- CAP. I. **D**E singultu, quid sit, & quomodo fiat. 535
II. De parte affecta, & causis singultus. pag. 536
III. De nausea & vomitu. 537
IV. An vomitus sit evacuationo naturalis. ibid.
V. De parte affecta & causis. ibid.
VI. De Cardialgia. 538
VII. De morbo cholera appellato. 539
VIII. De causis cholera morbi. ibid.

DISPUTATIO LV.

De his quæ pertinent ad coctionem ventriculi.

- CAP. I. **D**E imbecillitate ventriculi, & cruditatis speciebus. 539
II. De morbo debilis actionis ventriculi. pag. 540
III. De morbo cruditatis nidorosa, & acida. ibid.

DISPUTATIO LVI.

De his quæ spectant ad effectus intestinorum.

- CAPUT I. **D**E facultatibus quibus constant intestina, an præter expultricem habeant alias. 540
II. De Lienteria, sive intestinorum levitate. 541
III. De Cæliaca affectione. 542
IV. De diarrhæa, & quid sit. ibid.
V. De dysenteria, & tenesmo. ibid.

DISPUTATIO LVII.

De quibusdam doloribus intestinorum.

- CAP. I. **D**E colico dolore. pag. 543
II. De iliaca passione, sive volvulo, & parte affecta ejus. 544
III. De signis ilei morbi. ibid.

DISPUTATIO LVIII.

De lumbricis intestinorum.

- CAP. I. **Q**uid sint lumbrici præternaturam, & à quibus causis fiant. pag. 545
II. An lumbrici generentur in solis intestinis. 546

DISPUTATIO LIX.

De vitiis hepatis quæ ad distemperiem referuntur.

- CAP. I. **D**E hepatica affectione. 546
II. De malo corporis habitu, & cachexia dicto. 547
III. De Hydropis natura & speciebus ejus. ibid.
IV. Quenam sit pars affecta in hydrope, an necessario sit jecur. 548
V. De loco ubi continetur materia hydropis, & an sit opus præter jecur aliam partem affici. ibid.
VI. Per quam partem aqua hydropicorum ingreditur ad locum determinatum ventris. 549
VII. Quæ distemperie laborat jecur dum sit hydropis materia. ibid.
VIII. Quæ species hydropis sit deterior. pag. 551

DISPUTATIO LX.

De vitiis compositionis jecoris.

- CAP. I. **D**E jecoris obstructione. 551
II. De jecoris inflammatione. 552

DISPUTATIO LXI.

De affectibus vesicæ fellis.

- CAP. UNICUM. **D**E Ictero citrino. 553

DISPUTATIO LXII.

De vitiis lienis.

- CAP. UNICUM. **I**n quo de morbis lienis agitur, & præsertim de scirrbo. pag. 554

Sectionum & Quæstionum.

DISPUTATIO LXIII.

De lapide renum & vesicæ.

- CAPUT I. **L**apis qui in partibus generatur, quid sit præternaturam. 554
- II. De lapide vesicæ peculiariter. 555
- III. In quo quadam explicantur quæ ex signis & differentia morboſi lapidis ſumuntur. 556
- IV. An lapidis exiſtentis in renibus aut veſicæ, ſit aliquod ſignum pathognomonicum. ibid.
- V. An lapidis exiſtentis in veſicæ, ſit certa cognitio, & per ſigna pathognomonica. 557
- VI. An cum Medicus ignorat aliquem morbum, poſſit commodè aliquod remedium exercere. ibid.

DISPUTATIO LXIV.

De ſymptomatibus contingentibus circa urinæ excretionem.

- CAP. I. **D**E Diabete. pag. 558
- II. A quo morbo naſcitur diabetes, & quæ pars afficiatur. ibid.

DISPUTATIO LXV.

De his quæ pertinent ad veſicam urinæ.

- CAP. I. **Q**uæ actiones circa urinam habeat veſicæ in ſtatu naturali. pag. 559
- II. De accidentibus quæ circa actionem urinæ contingunt. ibid.

DISPUTATIO LXVI.

Quæ continet plura pertinentia ad instrumentum generationis.

- CAP. I. **D**E neceſſitate & differentia utriuſque ſexus. 560
- II. De priapiſmo & cauſa naturalis erectionis colis. ibid.
- III. Quæ facultas ſit, quæ talis motus ſit, naturalis, an verò animalis. 561
- IV. An ſeminiſ excretio fiat ab aliqua facultate, & quantum ſit. ibid.
- V. De voluptate quæ reperitur in ſeminiſ emiſſione. 562
- VI. An liceat Medico pro ſalute in aliquo

eventu exhibere remedia ut excernatur ſemen, aut conſulere. ibid.

VII. De gonorrhœa. ibid.

DISPUTATIO LXVII.

De his quæ ad uterum ſpectant.

- CAPUT I. **A**N uterus verè moveatur ſecundum locum. 563
- II. De uteri ſtrangulatione, & hystericæ affectione. ibid.
- III. De cauſis hystericæ affectus. pag. 564
- IV. Quomodò ſe habeant cauſæ hystericæ affectionis. ibid.
- V. De ſignis quæ reperiri ſolent in affectu hystericæ, & eorum cauſis. pagin. 565
- VI. An aliquid ſimile veneno poſſit in noſtro corpore generari. 566

DISPUTATIO LXVIII.

De his quæ ſpectant ad virginitatem ſceminatam.

- CAP. UNICUM. **I**N quo conſiſtat virginitas ſceminarum, & an ſit aliquod ſignum ejus. 567

DISPUTATIO LXIX.

De his quæ circa ſanguinem menſtruum ſunt.

- CAP. I. **Q**uid ſit ſanguis menſtruum. pag. 568
- II. An ſanguis menſtruum ſit excrementum peccans ſola quantitate, an etiam qualitate. ibid.
- III. Quo tempore incipiant & deſinant menſtrua purgationes. ibid.
- IV. An ſingulis menſibus fiat ſecundum naturam hæc evacuatio. 569
- V. Quot diebus ſecundum naturam debeat durare menſtrua purgatio. ibid.
- VI. An conveniens fuerit menſtruum evacuationem fieri per uterum. 570

DISPUTATIO APOLOGETICA

De ſanguinis miſſione ex talo.

- CAPUT I. **U**trum materialibus morbis inchoantibus, aut partium ſuperiorum, aut totius, ſit vena ſecunda ex talo. 571
- II. De

Index Tract. Cap. Sect. & Quæst.

- | | | | | | |
|------|-----------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|-------|-----------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| II. | <i>De sanguinis missione ex talo in febris.</i> | 574 | VI. | <i>In quo Contrariorum argumenta (si que militant) contra nostram sententiam solvuntur.</i> | 600 |
| III. | <i>Exponitur doctrina Doctoris Caldera.</i> | 579 | VII. | <i>An liceat utero gerentibus venam secare in talo.</i> | 610 |
| IV. | <i>In quo verior sententia eligitur.</i> | 585 | VIII. | <i>De vena sectione in lue venerea oppressis.</i> | 619 |
| V. | <i>In quo limitationes & exceptiones, qua in nostra opinione observari debent, expenduntur.</i> | 595 | | | |





TRACTATUS DE METHODO MEDENDI.

✠

CAPUT PRIMUM.

De Sectis ad methodum Medendi Machinatis.

TOTUM Medici officium dirigitur in sanitatis tutelam, quam non dubie consequitur, præcavendo morbos, ipsos propulsando, necnon sanitatem incolumem conservando, & tandem neutram dispositionem reducendo. Et cum nil sit difficilius, sicut neque excellentius in arte medica, quam cuiusque morbi auxilia percallere; ad eorum inventionem variæ fuerunt Medicorum Sectæ pro morborum medela, & sanitatis tutela; de illis loquitur Gal. *lib. de optim. sect. ad Trasibulum.*

Prima dicitur Empirica, seu experimentalis, ex eo quod Medici Empirici, seu experimentatores, ad morborum medelam sola observatione, seu experientia utebantur; posthabita indicatione, citra causæ morbificæ cognitionem, & investigationem, & cæca cognitione de corporis naturali temperie, & de actionibus naturalibus, necnon etiam de recessu ab statu naturali, evacuationem solum intuentes: sive à natura factam, sive fortuitò evenientem: quippe si in ægrotantis utilitatem acciderent, id semper observando, imitabantur; e contra vero si in perniciem tendebat, ipsam fugiebant evacuationem.

Secunda Secta erat Methodicorum Medicorum, qui solam rationem generalem morborum esse necessariam ad curationem existimabant, & nihil curabant de peculiaribus, & specificis differentiis morborum, nec de partis affectæ cognitione; omittebant etiam causarum, & facultatum naturalium indagacionem, & omnium rerum, quæ ad veram, & legitimam medelam sunt necessariæ.

Altera, & Principalior Secta firmior, & securior ad morborum curationem est, quæ dicitur Rationalis, quæ nec sistit in experimento solo, sicut Empirica; neque in cognitione solius affectus, sicut Methodica; sed ultra progrediendo, experimentum contemplet, ratiocinio adjunctum, affectus etiam cognitionem exquisitè inquirat, necnon etiam causam morbificam

adamussim penetrat; varias etiam & specificas differentias, totius corporis naturam, cuiuslibet membri particularis officium, seu functionem; regionum, ætatum, sexuum differentias; & omnes, quantumvis minimas circumstantias ad extirpandos morbos, & tutelam sanitatis investigat; ita ut ex his omnibus Rationalis secta componatur: itaque Rationalis Medicus non curat ex libello, aut Commentario, sed ut in re quavis exercitata id quod ratio distat, operatur: nec solo experimento, nec sola affectus cognitione; sed ratiocinio, & verâ indicatione firmissimè ductus. Hanc sectam colimus ipsam assequi intendimus tanquam veriorum, & utiliorum; rejicientes prius duas tanquam falsas, & inutiles, ne dicam indignas nostræ artis.

Igitur Medicus Rationalis, ut artem, seu methodum curandi adimpleat, prius affectum, quem nostra patitur natura debet dignoscere, deinde illius causas, tum externas, seu pericatharticas, tum etiam internas, tam antecedentes, quam conjunctas, oportet, ut perpenderit: item etiam partem affectam debet percallere, & tandem ad auxiliorum inventionem accedere debet per legitimos scopos, & indicationes, ut morbi sævitiam legitimè, & methodicè debellare queat. En igitur via, cui incipimus insistere; accessimus vero ad scribendum hunc tractatum, non quidem refutandi cupiditate; sed solo bono animo, in gratiam, atque utilitatem nostræ Complutenfis, atque Amantissimæ, & semper Venerandæ scholæ; necnon ut studiosi facile Lauream Doctoralem, & citra fastidiosum laborem assequantur; utinam ex voto id fiat. Sed tempus instat ut ad promissa properemus.

✠

CAPUT II.

De modo, quo Medicus debeat operari circa rationalem Methodum.

CONSTAT ex dictis Medicum rationalem, ut proprium munus adimpleat, debere prius agnoscere morbum, & eius causas, necnon partem affectam, & omnes circumstantias requisitas ad rationalem sectam, seu methodum attinentes; in præsentiarum vero valde necessarium iudico, adducere aliquas regulas, &

præcepta dogmatica, quibus Medicus facillè possit agnoscere & prævidere ea omnia, quæ ad curationem esse necessaria proposuimus.

Et ut suo ordine procedamus, tanquam certum supponendum est, corpus humanum quatuor habere affectiones, seu status diversos, juxta quorum diversitatem in Medico rationali diversa sunt officia seu munera. Primus est status salutis simpliciter, qui conservationem exposcitur, in quem Galenus de valetud. tuend. opusculum construxit: Secundus status qui in corpore humano reperitur, dicitur *salutis ut nunc*, per quem vivens licet actu sanum appareat, non tamen simpliciter & absolute tale est, quia paratum est ægrotare ratione dispositionis, quâ gaudet; & hujusmodi status præcautionem exposcit. Tertius status dicitur morbosus in viventi qui curationem indicat. Quartus & ultimus dicitur status neuter, per quem vivens, neque omnino cessat ab operibus consuetis, neque ea perficit, sicut in statu salutis perfecta, & simpliciter; & talis dispositio reductionem desiderat. Unde Medici officia erunt quatuor, nempe conservare pro statu salutis simpliciter, præcavere pro statu salutis ut nunc; curare pro statu morbofo, & reficere pro statu, seu dispositione neutrâ, seu reducere talia corpora ad statum salutis de quibus omnibus agit Galenus lib. artis Medicinal. cap. 4.

Magis strictè loquitur Galenus circa hanc rem lib. 2. art. Medic. cap. 99. ubi solum triplex munus seu officium Medici proponit: nempe conservationem salutis, curationem morbi, & præcautionem, seu præservationem circa illa corpora, quæ neutrâ dispositione laborant, in quibus opera naturalia non sunt ea perfectione, & integritate, sicut in statu perfecta sanitatis, neque ita sensibilibiter læsæ, sicut in statu morbofo: quid ergo de sanis corporibus ut *nunc*, dicemus, forsitan diversum statum à tribus enumeratis constituunt? Videtur quidem posse reduci hujusmodi corporis dispositionem ad statum sanitatis; quoniam in corporibus sanis ut *nunc*, nulla apparet læsio sensibilis, sicut in corporibus neutrâ, in quibus licet non sit ita sensibilis læsio, quæ cogat ab operibus consuetis cessare (quod olim in morbofo fit) tamen in ipsis læsio sensibilis est: atque adeo cum vitia insensibilia solâ conservatione & usu eorum, quæ ad sanitatis tutelam pertinent, emendentur, seu reducuntur; si toto rigore medico loquamur corpora sana ut nunc, minimè diversum statum constituunt, nec peculiare medici officium à conservatione requirunt, nisi forsitan relucent aliqua actionum læsio sensibilis, in quo eventu corpora neutra dicentur potius quam sana ut *nunc*; quapropter diversitas sanitatis simpliciter, & sanitatis ut *nunc* intra eandem speciem debet reputari, solâ differentiâ secundum magis, & minus, quæ minimè variat speciem medicam juxta communem consensum, & solum per convenientem usum sex rerum non naturalium hujusmodi corpora sana conservantur, aut eorum insensibilia vitia emendantur, nobis non advertentibus, quin ulla præcautio aut præservatio medici adhibeatur. Ita Gal. lib. de opt. sect. ad Tribulum cap. 17.

Contra hanc Galeni doctrinam militat argumentum: nam ad artem nostram, quæ corpori hu-

mano tuendo, dicata est, pertinet tanquam proprium munus corrigere omnia vitia quæ corpori humano in quolibet statu accedere possunt, qualia sunt vitia, quæ in convalescentibus, & senio constitutis corporibus experimur, de quorum reductione sermonem instituens Galenus lib. art. medic. cap. ult. ait, *quæ autem reficit atque instaurat, in convalescentibus & senibus locum habet*: tunc sic. Officium reficiendi, & restaurandi, quod à convalescentibus, & senio confectis exposcitur, non attinet ad conservationem; quippe hæc solum ad conservationem corporis in eodem statu dirigitur; & convalescentes, & senes renutritionem & restaurationem exposcunt. Insuper neque ad partem curatoriam reduci potest: quandoquidem certum est, nec senes neque convalescentes morbo aliquo premi. Denique neque in his præcautio habet locum, cum nullus ipsis imminet morbus, ratione præcisivâ talis status, in quem præcautoria ars debeat occupari tanquam in morbum futurum & imminentem; etenim refectio & instauratio, quæ senibus, & convalescentibus debetur, solum est reductio ad perfectiorem statum intra sanitatis gradum; cum ergo neque sit curatio, neque præcautio; neque conservatio: inferitur non dubiè construendum esse alterum statum ultra tria enumerata à Galeno in quem Medicus specialiter pugnat.

Respondeo, renutritionem, convalescentium, & refectioem senum, ad conservationem pertinere; quia competit corporibus sanis, intra eandem speciem sanitatis constitutis, secundum majorem aut minorem perfectionem; itaque senes & convalescentes per renutritionem, & restaurationem ad perfectiorem gradum sanitatis reducuntur; proindeque Medicus quando intendit reficere, & restaurare agit in corpora intra statum sanitatis constituta, & sic tale munus ad conservationem sine dubio reducitur, alterando corpus intra genus, seu speciem sanitatis, solum secundum majorem, aut minorem perfectionem diversam: Audite precor Galenum lib. art. medic. cap. 86. hæc omnia expressè dictantem. *Quoniam ad universum sanitatis genus referentes, non ad eas quæ secundum speciem differentias, quæcumque sanos conservant, conservativa omnia vocamus; sive præter id quod sanitatem conservat, ad melius totam traducunt temperaturam, sive pristinum tantummodo habitum inveniuntur.* Quibus aureis profectò verbis rem à nobis explicatam clarè absolvit, ut superflua sit quælibet expositio.

Neque obstat quod Avicenna fen. 2. lib. 1. doct. 1. cap. 2. sermonem instituens de statu sanitatis, morbofo & neutrâ dispositionis, dixerit, quod quando non est sanitas in ultimo, neque morbus in ultimo, est dispositio neutra: quemadmodum corpora senum & convalescentium, ubi videtur reducere ad præcautionem Medici statum convalescentis, & senum, non ad conservationem. Non inquam obstat, nam senes minimè dicuntur proclives, nec parati ad morbum, ratione suæ naturalis temperiei, & si cum illa non operentur ita perfectè sicut adolescentem, neque reduci possunt ad perfectam & absolutam temperiem, cum ea sit acquisita à causis naturalibus, & inevitabiliter operantibus: quare senum reductio impossibilis est: sicut neque humiditatis deperditæ reparatio. Rationem tetigimus nostro primo

primo tomo tractatum de aetatibus proprio capite, ex quo constat artem præcautoriam, ut non incidant in morbos imminentes ex vi suæ naturalis & atativæ temperiei, impertinentem esse; cum ipsi sint in suo statu naturali, & sanitatē pro illa ætate debitā constituti, ac proinde hac ratione neutram dispositionem reuocant.

De convalescentibus rigorosa significatione acceptis dixit Galenus lib. ad Trafib. cap. 7. esse sanos in affectione & non in habitu, & lib. art. medic. docuit, quod in illis parvus est sanguis, sed optimus; nec non inopia est spirituum vitalium, & animalium, viresque in ipsis imbecilles cernuntur, quare egent refectioe, moderato & selecto alimento ad virium restaurationem; cum autem totum hoc sit intra genus sanitatis magis, aut minus perfectæ, ut supra insinuavimus; constat solam conservativam artem in illis habere locum, & minimè præcautoriam; at si loquamur de aliquibus convalescentibus qui stricto jure non sunt tales, in quibus forsan morborum reliquæ perseverant, ratione quarum neque ultimò sani, neque ultimò morbofi dicuntur, quia aliquantulum lasas edunt operationes; in his locum habet re verà præcautio & præservatio, ut illam præternaturalem dispositionem demamus, à quâ imminet periculum incidendi in morbosam dispositionem. Cæterum si convalescentes velimus vocare neutros, quia non ita perfectè operantur, sicut sani perfecti, neque ita depravatè, sicut morbofi, quæstio de nomine est; quippe in illis solùm instaurationem & spirituum acquisitionem, medio optimo, & moderato alimento debet Medicus intendere, quod etsi præcautio in victu possit dici, sicut & in senibus, tamen quia defectus ille sanguinis, seu humiditatis non sit præternaturalis, neque in senibus, neque in convalescentibus minimè habet locum præservatio, aut præcautio rigorosa, quæ frequenter fit per aliquam evacuationem; unde status convalescentiæ, & senum rationabilius reducit ad artem conservativam ut supra monuimus.

Rogabis: si convalescentibus & in senio constitutis convenit conservatio, quia corpora sana sunt, aut saltem pro sanis reputantur, & hoc fit mediâ nutritione, & restauratione, quam præcautionem in victu larga significatione possumus vocare, cur extenuatio, seu gradus ille siccitatis in convalescentibus restaurabilis est, & in senibus inevitabilis & irreparabilis undeque censetur ab omnibus, etiam si uterque status ad artem refectoriam, seu restauratoriam spectet.

Respondeo extenuationem, seu siccitatem posse accidere solùm per defectum sanguinis, quæ prima humiditas vocatur, & talis est exsiccatio & extenuatio in convalescentibus, quæ facillè reparatur, & minimè est in ipsis præternaturalis, neque constituit vivens in statu præternaturali: & insuper talis reparatio fit ex sanguine, seu substantiâ perfectiori quàm sit deperdita, ut pote deperditur à morbo, seu tempore morbi, & restauratur tempore sanitatis, seu convalescentiæ in quo est virtus firmior, & temperies accedens ad naturalem. Vterius in viventi comparatur siccitas per defectum secundæ humiditatis aut terciæ, & talis extenuatio & siccitas est morbosa & præternaturalis, & constituit primam & secundam spe-

ciem hæcticæ febris quæ sæpè, etsi difficilè curantur per restaurationem humidæ substantiæ; tandem est alia extenuatio seu siccitas ex consumptione partium solidarum quæ constituit tertiam speciem febris hæcticæ, quam Galenus vocat marasimum, & talis incurabilis est, & membrorum solidarum substantia omnino irreparabilis: siccitas autem senilis hujus generis est, ac proinde etsi mors naturalis & senilis ætas per artem modo possibili aliquantulum prolongetur per medicamenta humida substantifica; tamen ejus absoluta reparatio impossibilis est omninò, & senilis ætas evitari non potest, sicut neque mors naturalis, ut latè citato loco docuimus, ex quo constat restaurationem in senibus esse impossibilem; in convalescentibus omnino facilem, etsi uterque status ad refectoriam seu reparatoriam artem spectet.

Addimus etiam id quod verissimum est, nempe, quod eum vivens à principio in finè exsiccetur à causis naturalibus, & inevitabiliter operantibus, nunquam vivens, neque in statu pueritiæ, neque adolescentiæ, neque in qualibet ætate, in qua sit convalescens ex aliquo morbo, potest acquirere per nutritionem æqualem substantiam humidam, cum ea, quam perdidit (loquor de resolutione membrorum, seu partium solidarum, successione cujus fiunt ætates, & tandem accidit mors naturalis, sive fiat à causis naturalibus & inevitabiliter operantibus solùm, sive etiam à causis præternaturalibus juvenibus etiam ad citiorem resolutionem partium solidarum, à quibus citius succedunt ætates, & celerius mors advenit per defectum humidum, ratione siccitatis summæ ut accidit in Marasmo) ratio est: quia membra nostra commutant alimentum, assimilando, & alterando illud per qualitates, quas actu habent; sed partes, seu totum vivens à principio in finem exsiccatur, Galeno auctore millicies id dictante, per resolutionem humidum factam continuè, & perenniter, tum à nostrò calido innato, & influxo, tum etiam à causis externis, quæ omnes citius agunt, quia intimius supponuntur applicatæ: ergo assimilatio quæ fit per alimentum, seu per nutritionem mediâ dispositione, seu temperamento efficientis comparatur: ergo cum à principio in finem temperies viventis sit siccior; seu minus humida, assimilatio etiam, & restitutio, quæ continuo fit mediâ nutritione terminabitur ad acquisitionem substantiæ siccioris, seu minus humidæ, quam erat substantia resoluta. Fulcitur discursus: nam facultas nutritiva operatur medio temperamento naturali partium: ergo alterat, & disponit alimentum pro nutritione medio calore, & siccitate (ut strictius loquar) remissiori humiditate; ac per consequens assimilatio fit etiam in substantia denuo reposita secundum qualitates primas, per quas fuit disposita pars alimentum convertenda in substantiam aliti; unde si à principio exsiccatur vivens continuè usque ad finem) etiam si continuè nutriatur, non poterit reparari substantia æque humida cum deperdita. Præterquam quod nullum agens potest producere in passio æqualem, seu totam intensiorem, quam in se habet, Philosopho præcone, ergo licet partes viventis remanentes, essent æque humidæ cum deperditis; nihilominus non poterunt conducere ad reparationem substantiæ æque humidæ.

Ex his deducitur: posse restaurari siccitatem

contractam in primâ & secundâ specie febris hæctica; nam consumptio humidi fit à calore præternaturali, reparatio vero fit à calore naturali, & humiditate; unde fit, quod abolito calore præternaturali, cum maneat temperamentum naturale illæsum medio quo fit restauratio humidæ substantiæ deperditæ in primâ & secundâ specie, quæ sola pars non est, sed ros, aut gluten, & in super solidæ partes illæ sæ perleverant, optimè intelligitur, quod possit restitui substantia æquè humida saltim ad sensum in dictis speciebus febris hæcticæ. At vero exsiccatio, quæ fit per ætates, accidit per deperditionem calidi innati, & humidæ radicalis, à quibus fit reparatio per nutritionem; unde fit, quod quantumvis alimentum applicetur humidum nunquam possit reponi efficiens ejusdem efficaciam, & sic est inevitabilis naturalis mors, & successio ætatum; in hæcticis tamen removetur prohibens, videlicet calor febrilis, non tamen omnino evertitur naturale temperamentum, nec calor nativus, nisi in tertiâ, & quartâ specie febris hæcticæ, quo etiam fit, ut siccitas contracta per has species sit irreparabilis, secus, quæ contrahitur per primas: & adhuc talis siccitas reparatur solum ad sensum Medici: nam siccitas, quæ acquiritur tempore primæ & secundæ speciei hæcticæ febris, vi causarum naturalium, & inevitabilium, etiam irreparabilis est in primâ, & secundâ specie; tamen quia ad sensum constat reparari id quod resolvitur à calore febrili; inde nascitur, quod absolute dicatur restituta illa humiditas sensibilis deperdita in primis speciebus hæcticæ febris. Hæc dicta sunt nostro 1. tom. disput. 6. de morte naturali, c. 2. f. 53. in præsentem tamen ea reposui, ut præ manibus habeatur ne volumina devoluâtur.

Sed objicies ex Galeno lib. de optim. sect. ad Tract. cap. 25. ubi videtur docere curationem non esse propriam solius morbi, sed etiam causæ appropriari: perpendite verba. *Iam vero ex his etiam remediis, quæ adhibueris, curationem non à morbo; sed à causis indicari percipies, propterea quod remedia non efficiunt sed efficientibus adversantur.* Ex quibus verbis clarè infertur non solum morbis deberi curationem, sed causis; quandoquidem est certum in doctrinâ Galeni Medicum præcautioni arte uti ad causarum ablationem, quæ morbos creare possunt.

Resp. interdum complicari morbum factum, & causam, quæ futurum morbum minatur; & tunc morbus indicat curationem, & causa indicat præcautionem; & in hoc casu Gal. utitur nomine curationis, quæ comprehendit ablationem morbi, & ipsius causæ secus quando adest morbus factus, & causa, quæ morbum peperit abest: nam tunc solum debetur curatio; sicut quando causa adest, quæ nondum morbum committit, ut Plethora, solum debetur præcautio; nunquã tamen Gal. utitur nomine curationis, quando sola est præsens causa, quæ nondum morbum factum creat, sed quando est complicatio morbi facti, & causæ nõdum facientis, sed minantis morbum: tunc enim cum mixta sit indicatio, non est peccatum in locutione, sumere indicationem curativam à causa; totum quod Gal. per aurea verba expressit 2. Aph. com. 22. *quoscumq;* morbos, qui ex repletionem fiunt evacuatio curat. &c. in cuius textus expositione sic loquitur. *Vbi causa, quæ morbum peperit, abest, ibi tum sola facti morbi, & ejus symptomatum curatio refertur: ubi contra, causa exempli gratia Ple-*

thora, quæ inest in corpore, morbum nondum committit, ejusmodi tum causa remotio, ad eam artis partem referenda est, quæ à providendo dicta est; quando vero morbum jam facit, id tum quodammodo mixtum est; de morbo siquidem, quantum faciendum restat, id ne fiat providere oportet, quantum vero jam factum est, propria indiget curatione. Quibus verbis totam rem mirifice comprehendit, & apprime notificat, morbis deberi propriam curationem, causis verò præcautionem. *Vnde fit (prosequitur Galen.) quoniam ista, ex ea artis parte, quæ ne morbi fiant, providet, & ea, quæ morbos curat, mixta sunt, proprio hisce significandis, ut careamus nomine, propterea Medici alias, aliter appellant.* Ex his planè colligitur propter carentiam nominum, Medicos interdum consuevisse vocare curationem eam artem, quæ evacuat causa morbifica cum potiùs præcautionem, seu providentiam rectiùs vocarent, si Galenicis rigoroso stilo imitari vellent. Neq; aliud voluit significare Gal. quam quod ubi causæ indicatio, & ea quæ morbi est simul jungitur, potissima sit, quæ à causa proficiscitur, quæ quidem, si & præcautioni sit, curatio tamen dici meretur, quia præsentis morbi est indicatio.

Cæterum si prima Gal. verba perpendamus, videtur Medici officium esse corrigere, & mitigare symptomata, quæ mitigationem ad curatoriam artem attinere fatetur, per illa verba. *Vbi causa quæ morbum peperit abest, ibi tum sola facti morbi, & ejus symptomatum curatio refertur.* Vide infertur non solum artem curatoriam versari circa morbos, verum etiam circa symptomata. Porro dubiolum propositum scrupulo caret, nam symptomata ex se illico evanescent, curato, seu ablato morbo, & sic nullæ ex se indicant curationem, quatenus symptomata sunt, præter eam, quam exposcit morbus, à quo ipsa dependent, & sic merito Galenus dictavit, morbum factum, cujus nulla est causa præsens, solâ curationem ipsius indicare, & symptomatum, quæ ipsum sequuntur, quæ eadem est; quod minimè opponitur his, quæ supra dicta sunt pro munere Medici. Attamen quia plura sæpe sunt symptomata, quæ convertunt ad se Medici attentionem, ex eo quod habeat ratione causæ debilitantis vires, & agentis morbum, & tum equidem talium symptomatum mitigatio ad partem præcautioni sine dubio attinent, per cujus providentiam, nec morbus augetur, nec vires languescunt.

Tandem est in Medico alterum munus magni momenti, ne dicam divinum, nempe præsagium in morbis circa salutem, aut mortem ægrotantis, nec non etiam circa longitudinem aut brevitatem morbi, & circa accidentia, quæ ipsi interdum supervenire solent, quod etiam ad præcautionem spectat; quippè sine dubio conducit ad futuros morbos imminentes cohibendos.

Nec me latet Argenterium l. de off. Medici 11. munera Medici sextario numero comprehendisse, ex eo quod tot judicet Medici officia, quot corpus potest pati dispositiones præter naturam, quippè Medici institutum est, corpus ad naturalè dispositionem reducere; unde cum sanâ utitur dispositione corpus, in eadem conservari desiderat, si verò præternaturali statu apprehenditur, mutari. Expèdere tamen oportet causam; nam hæc aut morbum minatur; & tunc præcautionem exoptulat, aut actu morbum causat, & curari exposcit. Rursus: quia in morbis sæpe evenire solent symptomata, ipsa mitigare, & corrigere opus est, & tãdè corpus, aut

ex morbo convalescit, aut senectute dilabitur; in quo statu refectionem expostulat, cum hac tamen differentiâ, quod convalescentes ad primum statum per refectionem restituntur; senes vero in eodẽ conservantur, ratione supra tetigimus. En sex medici officia, nimirum conservare, mutare, præcavere, curare, mitigare, & reficere, quæ quidem variantur juxta corporis variâ dispositionem; ita ut medicus diversimodè operetur pro diverso corporis affectu: totum ita esse libenter fatemur & solo numero officiorum discordamus ab Argen- terio: quia sub quatuor à nobis numeratis, cætera comprehenduntur: hoc autem minimè rationalem methodum, nec medici obligatio- nem pervertit.

His præmunitus Rationalis Medicus curatio- nem perficit conditionibus ab Hypoc. adductis, nempe si citò, tutè, & jucundè occurrat morbis; citò fiet, non prætermisâ operandi occasione in morbis acutis valde necessariâ, tutò si quando ces- sandum est, cessamus, & quando operandum est, operamur, tum debito auxilio, tum etiam quanti- tate, occasione, viâ, & ordine convenienti. Lucun- dè cum sine molestia ægrotantis omnia hæc exer- centur, nisi forsan morbi acuties, & accidentium sævitia cogat Medicum operari citra hanc condi- tionem.

CAPVT III.

De natura, & quidditate Methodi Medendi.

QERTUM quidem inter omnes est Methodum medendi esse partem Medicinæ maximè ne- cessariam, quâ per indicationes auxilia inveniuntur; illius primus inventor fuit vetustissimus, & semper colendus Hippocr. ita Galenus 7. lib. method. cap. 2. refert per sequentia verba. *Nam cum ab Hippocrate discesseris, qui nobis omnium salutarium præceptorum semina præbuit, reliquorum certè nemo vel conatus est genus hoc morbi, metho- do curare. Postulant autem, & quæ Hippocrates ipse reliquit, non malos agricolas, qui ea tum seminant commodè, tum augeant, tum perficiant.* Hanc eam- dem veritatem plane fatetur lib. 5. meth. cap. 10. ubi reprehendens audaciam eorum, qui se metho- dicos vocarunt. Prosequitur sic. *Qui (si quid mihi, qui neque ad gratiam quicquam, nec ad odium loqui soleam, est credendum) quum omnium ipsi medicorum maxime à methodo sint alieni, damnant (quatenus saltem scribunt) non solum reliquos ve- teres, sed etiam ipsum omnis nobis methodi autho- rem Hippocratem.* Plane ergo fatetur Galenus ar- tis medendi primum authorem fuisse Hippocra- tem, neque ob id negare debemus rationales Me- dici, quantum insudaverit Galenus in repre- hendendis Empiricorum erroribus, nec non etiam in investigandis præceptis, & regulis generali- bus, & particularibus adducendis pro rationali methodo.

Methodus ergo medendi, & curatio morborum parum inter se differunt: siquidem methodus me- dendi, nihil est aliud quam rationalis via, qua Medicus in curatione morborum debet incedere, & hac medendi methodo, quæ per indicationes progreditur, Medici dogmatici à reliquis sectis distinguuntur, ut supra ostensum est: sic Galenus 4. lib. method. cap. 4. postquam Thefalij errores cir-

ca ulcera curandâ reprehendit, loquitur. *Quæ- ro hoc est methodo curare, quod nos facimus; veteres imitantes, si modo Methodum esse oportet; unam quandam universalem viam, quæ omnium par- ticularium sit communis.* Idem repetit. 1. lib. meth. cap. 4. ubi postquam reprehendit Medicos Empiricos, qui solâ experientiâ, & non metho- do, quæ ratione nititur, agebant, nec non etiam summopere commendans, ne confundant experientiam cum rationali methodo, ipsam mis- cendo sic prosequitur. *Ergo methodo quippiam inquirere, invenireque ex adverso opponitur ei, quod est fortuito, temerèque reperire. Est autem id cum viâ quadam, & ordine: ita ut in disquisitione aliquid primum sit, aliquid secundum, & tertium, & quartum, atque ita de reliquis omnibus deinceps, quoad demum ad ipsum quod ab initio est proposi- tum, sit perventum.* Ex his clarè intelligitur metho- dum esse viam; seu rationem, quâ intelle- ctus per discursum assequitur quâ ratione se de- beat habere in morborum medelâ; sic à principio usque ad finem examinando, quid suo ordine faciendum est, exactè agnoscit, totum quod fit si Medicus rationalis generalibus præceptis sit in- structus, ut deinde ad particulares morborum differentias, & speciem descendat; quæ commu- nem habent rationem sive genericam, sive spe- cificam, quam prius cognosci est necesse, ut de- inde exactè peculiare differentias per exercita- tionem percalleamus. Perpendite circa hanc rem Galeni verb. lib. 9. meth. cap. 6. sic fantis. *Pro com- perto habentes non licere ullius artis scientiam nan- cisci, nisi, & methodum quandam habueris per uni- versalia vocata theoremata, & in particularibus te exemplis exercueris, cum neque fieri possit, ut sine multiplici in agris singularim exercitatione, quod ex usu sit facias, nec sine universalium cognitione probe exercitatio præcedat, quippe cum in univer- salibus methodus, in particularibus exercitatio consti- stat.* Nihil clariùs; itaque qui finem cujuslibet artis consequi parat, duobus dictis instrumentis uti debet, nempe in universalibus theorematis, methodo; in particularibus exercitatione. Ex his planè deducitur necessitas methodi medendi, non solum pro curandis, seu profligandis morbis, verum etiam pro ipsorum præcautione, & sani- tatis tutelâ, seu conservatione.

Videtur tamen medendi methodum esse super- fluam & præcipuè artem præcavendi, & con- servandi sanitatem; quippe si esset necessaria, non esset utile uti quocumque alimento, aut quacumque aquâ homines in statu salubri, ut dictavit Hippocr. lib. de aère & aquis: imò po- tiùs semper homines deberent eligere salubriorem potum, & selectiorem cibum, ut sanitas conservaretur, & ut non incidere in morbos, juxta præcepta talis artis; atqui hoc non ita accidit; quippe Hippocrates 2. Aph. text. 50. do- cet oportere aliquando ad insueta pertransire, quem sequitur Celsus prædicans homines per salutem nullis legibus debere adstringi: ergo vi- detur superfluum omnino esse artem servandi sani- tatem, & præcavendi. Confirmatur assum- ptum: etenim natura ab intrinseco principio ha- bet producere id quod sibi est debitum, & natu- rale, ut patet in reductione aquæ ad suam natu- ralem frigiditatem, quod in brutis per natu- ralem instinctum significavit Gal. 10. lib. meth. cap. 10. agens de utilitate balnearum per sequen- tia verba. *Ita verò, & ruri faciunt, ubi quod bal-*

neæ non sunt, in stagna vel flumina seipos conijciunt, nullo medici suasu, sed ipsa gubernante corpus naturæ, ad id quod conducatur impulsu. Quæ eadem etiam ratione carentibus animalibus instinctum inferit ad eorum, quæ offendunt contraria. Siquidem ea quoque ubi aestu vexantur, frigidâ se lavant, sicuti etiam ubi frigore urgentur, calida cubilia sibi inveniunt. Eodem contrarietatis studio etiam cum esuriunt, comedunt, & cum sitiunt bibunt: reliquaque omnia naturæ impulsu obeunt. Hinc discas superfluum esse curandi artem; quandoquidem homines nullo Medici suasu, nec ipsius præceptione, ad id quod conducit impellantur, ipsa gubernante naturâ; & id non solum in rationalibus accidere est notum, verum etiam in brutis, quæ solo instinctu naturali eligunt quod sibi est conveniens, & fugiunt quod est nocivum: frustra ergo est Medici imperium & inutilia ejus dogmata videntur.

Insuper etiam validatur assumptum: nam morbi omnes sunt contra naturam viventis, ut clamat morbi definitio, supra à nobis adducta, primo tomo; sed quodlibet ens ex se valet producere quicquid sibi est naturale, & debitum, sicut etiam propulsare quod sibi est præternaturale, & violentum, seu morbosum: ergo frustranea videtur methodus medendi, quandoquidem totum negotium est opus naturæ. In cuius rei confirmationem adducitur experimentum de morbo in soluta unitate, & in amissione carnis, in quibus unio partium amissarum, & recuperatio carnis, est opus solius naturæ, quæ in se habet principium reductionis ad statum naturalem, hoc autem præstat, pellendo quicquid morbosum est: ergo supervacanea prorsus videtur ars curativa.

Nec valet si respondeas, quod quando morbus dependet à causa naturali conservante, indiget auxilio Medici ad ablationem causæ, quæ præsentem, nequiquam potest à solâ naturâ superari morbus; proindeque necessaria est ars curativa: non inquam valet: quoniam Galenus lib. art. medicin. cap. 89. docuit non alio modo mederi morbos, quam per alterationem causæ, & ipsius ablationem. Perpendite verba: esto enim si ita contingerit in humoribus putrescentibus accendi febrem; indicatio est in hujusmodi, evacuatio, atque alteratio. Tunc sic: sed evacuatio, & alteratio sunt operationes ipsius naturæ; quippe ipsa alterat materiam morbificam, concoquit, & corrigit, & ulterius à facultate propriâ expellente eandem materiam extra corpus propulsat, ut passim in morborum indicatione videmus: ergo sola natura conservat sanitatem, & morbis medetur: non ergo necessaria est medendi methodus.

Hæc non obstant; ut necessitatem hujus præclaræ artis & scientiæ seu methodi rationalis, negemus: hanc conclusionem notificavit Galenus 1. de sanit. tuend. cap. 1. per sequentia verba: Sicuti si impatibile nobis, neque ulli affectioni obnoxium corpus esset, nullam desideraret artem, quæ ejus tutela præset; cum verò numerosissimis affectibus expositum sit, certam sibi deposcit artem, quæ & omnia ejus incommoda perspicere, & ipsum ab eis tueri possit. Constat ex his, Galenum expresse fateri necessitatem hujus artis, seu methodi medendi. Et ratione idem ostenditur; nam corpus nostrum à causis externis, & internis inevitabiliter operantibus continuò alteratur: ex quibus Galenus dogma sempiternæ passionis arguebat; sed ex tali continuâ, & perenni alteratione, necessariò oriuntur mor-

bi, & tandem mors: ergo ars præcavendi talem alterationem, & curandi alterationem, seu distemperiem jam factam, erit simpliciter necessaria. Quâ ratione Galen. 7. de sanitat. tuend. cap. 6. tenet, nullum periturum ante debitam senectutem, neque aliquo laboratorum morbo, qui præcepta artis conservatiæ servaverit: non ergo sufficit ipsa natura, ut se solâ valeat debellare contra morborum insidias, neque ut possit sanitatem incolumem reddere toto vitæ periodo, usque ad naturalem & necessariam mortem, quæ à causis inevitabilibus celebratur; ut latè nostro primo tomo docuimus, tract. de morte naturali.

Uterius admissio fundamento contrariæ assertionis; suadetur conclusio nam & si in quolibet ente sit à principio intrinseco virtus producendi quicquid est sibi debitum, & naturale, ut constat in reductione aquæ ad propriam, & debitam frigiditatem, nihilominus certissimum est, quod si non moveatur causa calefaciens aquam, minime poterit ipsa se reducere ad suam frigiditatem: ergo ut se moveatur causa calefaciens virtus aliqua altioris virtutis erit necessaria; ut inde ab ipso intrinseco principio aqua se reducat; sic ergo similiter eo ipso quod quis corripitur aliquo morbo, licet habeat principium intrinsecum suæ reductionis, nihilominus, si non sit ars medendi, quæ mediis auxiliis superioris efficacis moveat causam conservantem, & producentem talem morbum, nequiquam poterit ab ipsa natura fieri reductio ad naturalem temperiem: ergo etsi, natura sit morborum medicatrix, quatenus in se habet principium effectivum reductionis: nihilominus indiget adjutorio artis medicæ, ut per auxilia ab ea machinata, & inventa, auferantur impedimenta omnia, quæ habent rationem causæ conservantis, ut deinceps natura possit se reducere ad naturalem statum, ac proinde semper apparet necessitas methodi medendi, & præcavendi, nec non etiam conservandi nostra corpora, Vt omnia munera medici adimpleantur; totum quod præstat Medicus rationalis, quatenus præbet regulas ad operandum, tum ad auferendum quicquid præter naturam est, medio victu & auxiliis contrariis per se, vel per accidens morbo, aut ejus causæ, tum ad conservandum quod secundum naturam est, similibus medicamentis, ita Galenus dictavit 2. lib. meth. ubi docet servari, & custodiri sanitatem, servato debito temperamento, numero, & figura partium; idem tenet 1. de sanit. tuend. c. 2. ad sanitatis etiam tutelam valde conducit impedire causarum evitabilium & inevitabilium actionem modo possibili, propinato alimento temperato, & idoneo ad reparationem substantificam partium, quæ continuò dissipantur.

His servatis, bene stat, & componitur, ut interdum oporteat ad insueta pertransire, quippe aliud est quod ars medendi sit necessaria, ut satis constat ex dictis, aliud verò quod vivens debeat adstringi exquisitissimè regulis artis, quod non est certum, neque conveniens, etenim cum insueta molesta magis sint, quam consueta, ut Hippocrates docuit 2. aph. tex. 50. quem sequitur in expositione Galenus, si quis regulis artis adstrictus ita sit ut nunquam ab arte recedat, alterabitur sine dubio valde per quemcumque recessum, & periclitabitur vivens, ita Hippocrates text. 49. 2. section. citata aphorif. persequentia verba, qui consueti sunt solitos labores ferre, etiam si invalidi sint, aut senes insuetis quamvis robustis,

bustis, & juvenibus facilius consueta ferunt exercitia. Ex his deducitur utile esse ab arte recedere, & quacumque aquâ, aut alimento uri, ut natura omnibus assueta melius ferat ea, quæ communiter offeruntur, quam si eis non esset assueta: est enim difficile valdè omnia artis præcepta observare, & ut non facile lædamur; ad insueta oportet pertransire, quod non tollit necessitatem artis medendi.

Animadversione tamen dignum est id, quod docet Avicenna *fen. 3. l. 1. doct. 2. c. 7.* scilicet, plures homines lædi alimentis ex propriâ naturâ utilibus, aut propter indispositionem subjecti, aut propter antipathiam, seu contrarietatem, quam habent cum talibus hominibus, e contra verò accidit propter sympathiam, seu simbolizationem bene se habere alimentis ex sua natura noxiis: huic doctrinæ consonat Hipp. 2. aph. 38. sic *parum deterior potus, & cibus, suavior tamen, melioribus & minus suavis est preferendus*, quod accidit, sive ratione consuetudinis, sive propter specialem analogiam inter talia alimenta, & tale vivens: quâ ratione oportet si possibile fuerit peculiare naturas agnoscere: iuxta illud Hipp. 1. de morb. part. 3. text. 1. sic fantis, *morbos dignoscimus ex communi omnium naturâ & cuiusque propriâ edolli*: hoc autem fit ex propriis signis manifestum.

Ex his argumenta in contrarium adducta facile solvuntur: nam etsi verum sit plures homines conservari sine arte speciali medendi, non tamen sine præceptis naturali instinctu acquisitis; aut fortasse quia ita robusta est natura, ut plura vitia superet, quod non tollit necessitatem nostræ artis, ex quo constat solutio ad primum argumentum. Ad 2. dicimus optimum esse consilium non assueferi strictè legibus artis, ut ita non lædatur sensibiliter vivens à quolibet errore, quippè difficile est semper artis præcepta observare. Hoc autem non tollit necessitatem methodi medendi. Ad 3. dicimus, quod licet natura habeat producere, & conservare quod est debitum; accidit sæpe, ita ab excrementis gravari, ut nec coquere, neque expellere possit, quæ coquenda, & expellenda sunt, & sic indiget auxiliis artis, ut à contrariis liberetur.

Huius methodi medendi triplicem sortem assignavit Gal. lib. art. medic. cap. 1. Prima dicitur resolutiva; 2. compositiva; & 3. diffinitiva. Methodus resolutiva dicitur: quia proposito fine, quem assequi intendimus; omnes eius partes resolvimus, donec ad prima principia; quæ irresolubilia sunt deveniamus. Hanc methodum tanquam securiorem, firmiorem, & principaliorem Rationales Medici exercere debent; si adequatam morborum curationem invenire cupiunt, sequentes Galenum, qui per omnes libros methodi, tali fuit usus methodo, & præcipuè 11. lib. cap. 10. quem per otium legatis obsecro, ubi brevem & satis compendiosam doctrinam, & methodo resolutiva procedendo, ait, febrem putridam pendere à putredine tanquam ab immediatâ causa; insuper tenet, putredinem oriri prohibita ventilatione; & ulterius ventilationem prohibitam ab obstructione procedere; & tandem obstructionem ab humorum crassitie, sive lentore, aut ob eorumdem multitudinem causari. Vnde qui curare febrem intendit resolutiva methodo procedere debet, usque ad ultimam, & irresolubilem causam,

crassitiem videlicet, lentorem, aut humorum multitudinem, quam primò demere, & auferre Medicus debet, ut Methodicè curet febrem: itaque quod primum est in intentione Medici (Hoc est febris curatio) ultimum est in executione; & quod ultimum est in serie causarum, est primum in executione peragendum: itaque ut curatio optimè perficiatur, & procedat, morbum ipsum non solum sub generica ratione debemus agnoscere, sed usque ad infimas differentias, ipsum debemus subdividere; ut exinde auxilia necessaria adhibeamus, quæ immediate pugnent contra specialissimam & infimam morbi speciem, & ipsius ultimam, & irresolubilem causam. Hanc methodum Gal. valdè extollit 1. lib. de art. cur. ad Glauc. cap. 1. dicens: *Hic solus quantum humanis permittitur viribus medendo non errabit.* Loquitur de Medico, qui hac methodo utitur, ad extirpandos morbos.

Compositiva methodus à componendo dicitur quia incipit à primis principiis, seu elementis, usque ad finem; itaque sicut resolutiva methodus est à compositis ad simplicia procedere; sic compositiva est à simplicibus incipere, & in composita terminari. Tandem definitiva methodus ea dicitur in qua generali propositâ definitione eius artis, quam docere intendimus per ipsam methodum tanquam per quædam capita omnes eius partes explicantur; ita ut non claudatur opus, donec omnia ad talem artem spectantia saltem in generali, sint explicata. Hanc methodum observavit Galen. lib. art. medic. & quidem brevis est, & compendiosa; ne forsan ea, quæ semel comprehenduntur obli-vioni mandentur.

CAPVT IV.

De Natura Indicationis.

MNEM medendi methodum per indicationem fieri dictavit Galenus lib. 2. meth. cap. 7. & immediatè prosequitur: *Quippe quidquid ab experientia sejunctum est, id totum indicatio nominatur.* Cum ergo institutum sit rationalem medendi methodum docere iuxta Galeni vestigia, meritò naturam indicationis indagandam suscipimus ut ipsa mediâ, salutis conservationem, & morborum propulsationem assequamur, in limine tamen capitis citati naturam indicationis ostendit per sequentia verba: *quippe ipsam sequentis, sive agendi insinuationem indicationem dicimus: quasi diceret indicatio est agendorum insinuatione.* Hoc est cognitio eorum, quæ agenda sunt pro sanitatis tutela, & morborum propulsatione.

Specialius autem idem Author lib. de optimâ sect. ad Trasib. cap. 11. indicationis conditionem, & naturam explanavit per sequentia verba, *est igitur indicatio iuvantis comprehensio simul cum comprehensione nocentis adveniens, sine observatione, aut ratiocinatio: circa prima definitionis adductæ verba, communis expositio est, per comprehensionem iuvantis intelligendam esse cognitionem auxilij, seu remedij, quod opponitur, & contrariatur morbo; talis autem cognitio oritur necessariò ex verâ, & legitimâ notitiâ morbi, quem debellare intendimus & insuper per comprehensionem nocentis, esse intelli-*

gandos affectus præter naturam, qui sui ablationem indicant; & licet ab aliquibus Authoribus non expresentur; censeo per comprehensionem nocentis non solum significari morbi cognitionem, verum etiam causam morbosam, & symptomatum quæ subsequuntur morbum; quippe, & si ablato morbo, auferantur, plura tamen sunt, quæ habent rationem augentis morbum, & debilitantis vires, quæ non dubie convertunt ad se curationem, & sui ablationem, seu mitigationem expostulant; unde non solum indicatio, seu comprehensio nocentis, sumitur à morbo, qui immediatè & per se primò lædit actiones; verum etiam à causa morbi, & dictis symptomatibus, quæ etiam lædunt: ergo comprehensio nocentis omnes affectus præter naturam importat, & involuit, ut jure optimo Medicus rationalis per eorum cognitionem auxilia machinetur contraria, ipsaque applicet, ut quidquid præter naturam corpus afficiat, & sanitatem vitiat, debellare possit. Ex his clarè infertur indicationem duo involuere in suo conceptu formali, & objectum indicans sui remotionem, seu ablationem; & Medici cognitionem seu comprehensionem talis objecti, ratione cuius movetur ad inquisitionem, & applicationem auxilij, seu remediij juvantis. Vnde objectum ex se non est indicatio, sed cognitio, seu Medici comprehensio, quæ terminatur in objectum, quod indicat sui ablationem.

Cæterum in hac re minimè est taxandus Argenterius qui lib. 2. de Medic. offic. cap. 3. tenet per comprehensionem nocentis esse intelligenda, quæ sunt morbo similia, sicut per comprehensionem juvantis, quæ sunt morbo contraria, qua ratione in febricitante, ab ipsa febre indicantur auxilia frigida, quæ ipsi contrariantur tanquam jvantia, & necessaria etiam est comprehensio calidorum auxiliorum tanquam nocentium, ut fugiantur, quippe omnia, quæ se habent ex parte morbi, & ipsi similia sunt, fugienda tanquam inimica, & adversa: ergo ad rectam morborum curationem, non solum requiritur cognitio, seu comprehensio auxilij contrarij, à quo debellandus est morbus; verum & notitia seu comprehensio similis est necessaria, à quo sine dubio augeri potest, aut conservari morbus, & per consequens per comprehensionem nocentis non solum in indicatione debemus intelligere cognitionem morbi, causæ, & symptomatum, sed omnium quæ se habent ex parte morbi, qualia sunt similia, & coadjvantia morbum, ut saltem præcautione utatur Medicus fugiendo ab illis. Vnde Rationalis Medicus, qui indicatione verâ, legitimâ utitur, non solum debet comprehendere auxilia iuvantia, verum etiam ea omnia, quæ nocere possunt, & se habent ex parte morbi; quæ similia sunt; meritò ergo in curatione febris, frigida adhibemus auxilia tanquam jvantia, & contraria morbo, & à calidis remediis fugimus, & ea vitamus tanquam similia morbo, & nocentia, non ergo doctrina Argenterij omninò est reprobanda, quandoquidem nulla est ratio, quæ contra ipsam militet.

In cuius rei confirmationem audite Gal. de opt. sect. ad Trasib. cap. 5. ubi sermonem instituens de diversarum artium officiis, de arte medica pronuntiat esse inter eas, quæ faciunt, & conservant; & antecedentibus Verbis, ait: *Non enim*

tanquam inutile refutandum est, quod ad conservationem non conducit, sed diligenter perquirendum, num quippiam ad eius, quod non est, productionem conferat. Ex his deducitur contra quemdam Neotericum nostræ scholæ, & in favorem Argenterij, quod licet ea quæ sunt similia morbo, & nocere possint, actu non sint; nihilominus eorum comprehensio sit necessaria ex parte indicationis; quippe eius, quod non est, productionem, confert. Saltem impediendo, & vitando actionem eorum, quæ similia sunt morbo, quatenus morbum augere possunt, aut conservare, si non vitentur. Clariùs tamen in fine capitis Argenterij doctrinæ adductæ favet per sequentia verba. *Siquidem nobis apta officere cognoscentes, modo ipsa nocentia summoventes, sanitatem acquirimus, modo ea devitantes, ipsam præsentem conservamus.* Ergo devitantes ea, quæ nocere possunt, sanitatem conservamus; cum igitur Medici Rationalis principalis finis, sit sanitatis conservatio, in quam præcipua indicatio dirigitur, & ea consequatur, devitando ea, quæ nocent, sequitur profectò comprehensionem eorum, quæ nocere possunt esse necessariam pro indicatione, quia sanitas conservatur, vitando omnia ea, quæ se habent ex parte morbi, & ipsi sunt similia, quæ licet non auferantur, quia non sunt præsentia, sicut morbus, & causa, nihilominus impeditur eorum actio fagiendo ab illis, quod sufficit ad indicationem complendam, & ut meritò possimus pronuntiare eorum actionem auferri, quippe eam impedire, auferri suo modo est.

Cæterum ut clariùs constet natura indicationis, perpendenda sunt ultima definitionis verba, in quibus nos monet Galenus indicationem omninò excludere observationem, seu experientiam, de qua sic loquitur cap. 10. de opt. sect. ad Trasib. *At experientia, est eius quod sapius eodem modo visum est; observatio atque memoria, idem verò est observatio, & experientia.* Et immediatè post, alterum curationis modum proponit, quem etiam excludit indicatio vera, & dicitur Analogismus. Sic autem describitur à Gal. *Analogismus autem est comparatio, & perceptio causarum jvantium per similitudines, quâ ratione sermonem faciens capite antecedenti de Analogismo ait. Mespilum igitur quoniam gustabilem qualitatem Cotonei saporis similem habeat dysentericis exhibetur.* Ex his deducitur Medicum operantem per solam legitimam, & veram indicationem; neque moveri ab eo, quod observatione, aut experientiâ, sapius, & eodem modo visum est; neque ex cognitione causarum jvantium per similitudinem, sed præcise curationem moliri ex comprehensione jvantis, simul cum comprehensione nocentis, quin attendat ad observationem, seu experientiam, neque ad Analogismum. In quo videtur taxandus Galen. quandoquidem in definitione indicationis non exprellit sine Analogismo, quemadmodum dixit sine observatione, & ratiocinio. Certè de utroque modo curationis eadem currit ratio; sed forsitan in definitione indicationis tacuit illa verba sine Analogismo. Quia virtualiter sub experientiâ continentur, quippe quidam observationis modus est Analogismus, aut quia molestiam verborum fugere voluit, in definitione, quæ brevis oratio debet esse, iuxta Philosophi doctrinam; quandoquidem in ipso capite post aductam definitionem indicationis, de Analogismo descriptionem adduxit.

duxit. Sed tempus est ut ad ultima verba adductæ definitionis properemus, videlicet sine *ratiocinio*.

Videtur tamen indicationem minimè posse excludere ratiocinium sive discursum, quandoquidem cognitio morbi, & ipsius causæ sæpè sit ita occulta, & accidentium varietate involuta ut tiberet mens, & nisi ex præmissis aliquid inferat, & conjecturam faciat, omninò ignoret morbi naturam & ipsius causam; ideoque meritò oraculum Hipocrates in limine suarum sententiarum valdè conjecturalem esse artem nostram medicam prædicavit. Si ergo conjectura est necessaria ad adipiscendam artem medicam, & præcipuum ejus instrumentum est indicatio; quæ ratione intelligibile est comprehensionem nocentis, nomine cuius saltim morbi, & causæ cognitionem intelligimus, & comprehensionem juvantis, nomine cuius auxiliorum juvantium virtutem prænosimus posse fieri citra ratiocinium aut discursum?

Circa hanc difficultatem socius noster supracitatus in suis manuscriptis exponere intendit Galeni verba, & acerrimè intendit, Galenum solum negasse discursum, seu ratiocinium formale in definitione indicationis, minimè verò discursum virtualem, sine quo natura indicationis intelligi non potest: Vnde licet indicatio excludat discursum formalem, minimè verò discursum virtualem excludere potest, & hanc esse Galeni mentem insinuat.

Porro si quis caput. 10. libri de opt. sect. ad Trasibulum, attentè legat, videbit sanè valde sinistram esse expositionem à nostro socio adductam, & omninò extra Galeni mentem, nam adducens utilitatem observationis, & analogisimè, & accedens ad utilitatem quæ capitur ab indicatione, sequentia verba adducit. *Quemadmodum igitur sensus evidentium aliqua per seipsa percipiunt, ut album & arum, nonnulla adhibita observatione, ut ea quæ per notas dignoscuntur: ita & juvantia quadam per indicationem patescunt, simul enim cum indicationibus obvia sunt, nulliusque cogitationis ope indigent.* Ex his clarè deducitur indicationem omnem prorsus cogitationem excludere non solum formalem, sed & virtualem: aliàs non diceret nullius cogitationis ope indigere in indicationem, si forsitan esset necessaria cogitatio virtualis, seu discursus virtualis; cum terminus negativus omnium exclusionem importet in sillogisticâ doctrinâ. Et quod majoris admirationis est in hac re, quod socius noster adducat verba Galeni nuper relata, ut probet non excludere ratiocinium virtuale in definitione indicationis: quod omninò esse extra rem apertè demonstrant Galeni sequentia verba, nam postquam de indicatione dixerit, nullius cogitationis ope indigere, sic prosequitur. *Hanc enim ob causam, & animantia ratione carentia estum, algorem, semelque omnia nocere valentia, quoad ejus fieri potest, vitare conantur, simul videlicet eo quod juvat se se offerente. Paxillo enim, aut aliquo alio in membrum defixo, nullus cogitatione præmissa revellit. Quare quod in apertissimis, & sine controversiâ concessis reperitur, id nimirum, & in perceptis ex indicatione contingit. Quædam igitur proportio indicationi, cum sensui, intellectuque manifestis intercedit.* Ecce Galeni verba licet prolixa apertè declarant, quod quemadmodum bruta ratione carentia nocentia vitare conantur, & suo na-

turali instinctu, quod juvat prosequuntur; sic Medicus in morborum medelâ indicatione operans juvantia agnoscit & applicat nullâ cogitatione præmissâ, tanquam in re manifestâ sensui & intellectui, ergo ex Galeni verbis nullo modo colligi potest, necessarium esse discursum virtualem in indicatione, quippe in apertissimis, & sine controversiâ concessis omnis ratiocinatio est superflua: si ergo idem accidit & reperitur in indicatione, quod in apertissimis & sine controversiâ concessis, ut planè Galeni verba testificatur, infertur evidenter indicationem virtualem discursum omninò excludere tanquam res manifestissima, & sine controversiâ concessâ.

Sic nobis videtur dicendum quod licet ad cognitionem morbi, & suæ causæ necessarius sit discursus, & ratiocinatio sive virtualis sive formalis, ratione cuius ex accidentibus tanquam ex præmissis deveniamus in cognitionem morbi, & causæ morbificæ, quandoquidem sæpè dubia sit morbi præcognitio ob accidentium quæ ipsum sequuntur confusionem & similitudinem cum altero, ut falleret Galenum ipsum, qui 2. lib. de loc. affect. cap. 3. planè fatetur dolorem colicum à pituitâ vitreâ ortum ita vehementem, ut videretur in intimo ventre terebro perforari, esse nephriticum seu renalem, eo quod occuparet illud spatium per quod à renibus ad vesicam vreretas scimus extendi. En Galenum Medicum & Philosophum eximium, in hoc morbo proprio ita deceptum; signum profectò testificans hos morbos distinguere esse valdè laboriosum; & quidem sine dubio fateri debemus Galenum usum fuisse acuratissimo discursu & ratiocinio, ut naturam morbi quo crudeliter premebatur, dignosceret, ut inde per veram indicationem medelam institueret; quod plerumque doctissimis viris accidit, ut ad morbi & causæ cognitionem deveniant: liquidum ergo manet necessarium esse discursum sive formalem, sive virtualem, ad cognitionem indicantis, seu morbi, quo cognito illico absque ratiocinio manifestè pullulat indicatio, seu comprehensio rei juvantis, suppositâ comprehensione rei nocentis seu indicantis, ad quam nullo modo potuit negare Galenus esse necessarium ratiocinium, ut ex ipsius historiâ relata constat. Vnde infertur indicationem importare in suo intrinseco conceptu comprehensionem juvantis auxilij sine discursu nec virtuali, tanquam in re manifestâ & evidenti, suppositâ comprehensione nocentis, quæ aliàs per discursum supponitur acquisita, quæ bene stat ut verificetur de indicatione, ut sit comprehensio juvantis, simul cum comprehensione nocentis sine observatione & ratiocinio. Itaque certum est juxta mentem Galeni non esse necessarium discursum, ut auxilia indicata cognoscantur, eo ipso quod naturam morbi, seu indicantis comprehendamus; totum quod videtur docere Galenus lib. ad Trasibul. cap. 10. citato supra, per illa verba, *quando enim cum nocentibus juvantia pariter occurrant, tunc neque observatione neque analogisimo utendum, quandoquidem ipsa nocentia quid expediat, manifestent.* Hoc autem fit sine ratiocinio, quod in re manifestâ supervacaneum omninò est, unde licet supponatur ad cognitionem morbi & ejus causæ, eo ipso quod notoria est absque ullo discursu pullulat comprehensio juvantis auxilij, quæ simul adest cum comprehensione nocentis, etsi antecederet cog-

gnitio nocentis medio in cursu indagatur. Si autem Argenterium sequamur quatenus per comprehensionem nocentis exponit Galenum in ordine ad materiam medicinalem per comprehensionem seu cognitionem rei quæ nocere potest; clarius constat comprehensionem juvantis fieri sine discursu ullo & proinde comprehensionem nocentis ita fieri, cognito juvantis, quippe in febre refrigeratio, sine discursu agnoscitur conveniens, & calefactio disconveniens; clarius tamen pro nostra resolutione Gal. cap. 11. lib. citat. ad Trasib. postquam adduxerit definitionem indicationis supra adductam, sic loquitur, intendens clarius describere indicationem. *Indicatio est quando rebus percipiendis simul, & quod confert, percipitur absque demonstratione & observatione.* Ex quibus verbis patet quod in indicatione solum percipitur, quod confert absque demonstratione & experientis. Unde illud verbum *absque ratiocinio* in rigore solum appellat supra comprehensionem juvantis, quæ fit sine demonstratione, supposita comprehensione nocentis, seu indicantis, aut morbi, quæ sine dubio acquiritur per discursum, qui antecedit ante morbi cognitionem juxta ea quæ nuper dicebamus in nostra expositione, quæ valde consonat cum mente Galeni.

Denique ex his deducitur quod quando Medicum latet morbi & causæ legitima cognitio, debet confugere ad observationem, seu experientiam, quæ est memoria illius quod sæpè visum est, & hac ratione posuit Galenus exemplum in usu pro stupore dentium. Caterum quia interdum se offert curatio morbi ignoti & insoliti, cujus nulla est observatio aut experientia in ordine ad auxilia juvantia; tunc necessitas cogit ut recurramus ad ultimum instrumentum curationis, quod dicitur Analogismus, & definitur à Galeno cap. 11. citato, ex eo quod fit *comparatio & perceptio causarum juvantium per similitudinem.* Hac ratione, ignorato dolore renali seu nephritico, per similitudinem utimur auxiliis, quæ in colico dolore conferunt, & quando ignotus erat morbus Gallicus, quia symptomata ipsius assimilabantur scabiei malignæ, quæ hydrargiro extirpabatur eodem remedio pro extirpando morbo gallico utebantur Medici, & talis curatio jure optimo complebatur per analogismum.

CAPUT V.

Quæ sint præcipua indicantia in curatione.

Variis quidem videtur Galenus circa numerum indicantium; nam lib. 9. meth. cap. 14. expressè tenet tria esse indicantia, ex eo quod tres indicationes ab ipsis solum sumuntur, perpendite verba, quæ in limine capitis adducit. *Medicæ indicationes à morbo ipso sumuntur, à corporis temperamento & tertio ab ambiente nos aère, quod si alia quadam antea sint posita, vel postea, non hæc modo, verumetiam alia dicuntur, omnes tamen ex his in partes diductis nate videbuntur.* Ex his clarè deducitur tria tantum esse præcipua indicantia, nempe morbus, natura, seu temperies, & aër nos ambiens; à quibus tres indicationes medicæ præcipue de-

sumuntur, & si forsan alia præter hæc indicantia sunt posita, aut ponenda, non quidem sunt præcipua, sed ad tria præcipua enumerata sunt reducenda tanquam membra ipsorum hæc est Galeni mens: clarius tamen ipsam declarant verba, quæ adducit circa medium capitis citati, sic ait, *hæc itaq; tria illa prima sunt quæ curationem indicant, nempe ambiens ipse cum geminis corporis sive affectionibus, sive constitutionibus libitum est appellasse, unâ naturali, alterâ quæ præter naturam sit, quæ sanè morbus est.* Expressè ergo fatetur tria esse præcipua indicantia, morbum scilicet, naturam, & aërem ambientem, & consequenter solum esse tres indicationes; dictavit immediate post sic, *non posse plura esse genera indicationum, quæ ad medendum pertinent, quæ in tria, quæ modo diximus ex ipsa rerum substantia scire licet, nam morbus & sanitas corporis sunt affectus, ille se tollendum, hæc se tuendam indicans, ambiens vero is est sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest.* Ergo ex his sanitas, morbus, & aër ambiens sunt præcipua & prima indicantia.

Capite vero 15. sequenti sanitatem & morbum tanquam duo præcipua indicantia numeravit. Audite verba. *Iam primas quoque illas tres, quas memoravimus fieri potest, ut redigas ad pauciores, sicut duo eorum quæ curationem indicent, omnino capita sint, nempe præsens affectus quem morbum nominamus, & qui prius fuit, quem sanitatem & naturalem habitum diximus.* Ecce tres indicationes supra adductas reducit ad duas, quæ correspondent solum duobus indicantibus, nempe sanitati & morbo. Vterius capite citato immediate post adducta verba, unam solam indicationem sub generali nomine adducit, quam explicat per contrarietatem, sic, *neque enim aliud est ipsa sanatio, quam præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum mutatio, cum autem contrarij hi affectus sint, necesse est per contraria fiat eorum alterius in alterum translatio, atque ita rursus una sola erit curationum maximè generalis indicatio nempe contrarietas.* Licet ergo colligere solum esse unum indicans, cui correspondeat una generalis indicatio contrarietatis reciproca, quæ fit eorum alterius in alterum translatio.

Pro clariori intelligentia & proposito controversiæ resolutione, primo notandum est: indicans & scopum idem esse, & utrumque significare id à quo sumitur indicatio: ita sentit Valles. noster lib. meth. cap. 1. ubi de scopo, seu indicante ait esse illud in quod oculos mentis intendimus, quatenus cognitis his, quæ secundum naturam sunt, intendimus ea conservare, & quæ contra naturam sunt auferre, quæ ratione ea, quæ indicant ad remedij cognitionem faciunt, suppositis artis præceptis, quibus docemur si similia similibus conservari, & contrariis curari contraria; Unde similia auxilia indicata dicuntur, sumpta ab indicante indicatione, ad cognitionem, & applicationem similibus, totum quod notificavit Galen. lib. 10. meth. cap. 1. per sequenti verba. *Tres primi scopi sunt, qui in propositis febribus agendorum indicationem nobis præbent.* Vbi expressè scopus indicantia nominat, & auxilia, seu remedia indicata, cum teneat esse quæ præbent agendorum indicatio-

Cap. V. Quæ sint præcip. indic. in curat. 11

nem. Vtteriùs advertendum est: alia esse indicantia absolutè; alia verò prima, & præcipua indicantia: absolutè indicantia dicuntur quæcumque sunt respicienda, ut artifex operetur, quatenus à quolibet eorum sumit agendorum indicationem, ita ut pro quolibet, hoc aut illud fiat, prout comprehendit operari aut non operari, sive quiescere, iuxta illud Hipp. 6. epid. sect. 2. text. 19. dicentis: *Contraria paulatim factâ accessione adhibenda sunt, & interquiescendum*, quapropter indicantia absolutè dicuntur omnia illa, quæ præbent indicationem operandi, aut non operandi, seu quiescendi, sive pro conservatione, sive pro destructione, hoc est, aut in statu salutis, aut morbi, totum quod habet locum tum in præcautoria indicatione, tum etiam in conservativa.

Indicantia prima, & præcipua dicuntur ea, quæ per se, & immediatè, id quod faciendum est, indicant, interventus quorum cætera alia indicant; itaque in hoc distinguuntur indicantia prima, & præcipua ab aliis, quæ secundariò & ratione alterius indicant, quod prima indicantia ex se, & citra alterius interventionem, hoc aut illud auxilium postulant, ac minùs præcipua, & secunda indicantia, non quidem per se sed potiùs ratione primi indicantis indicant, ac proinde sub indicantibus primis comprehenduntur, aut ad ipsa reducuntur.

His positis primò certum est plura indicantia absolutè reperiri, quatenus plura sunt, quæ sine dubio, hoc aut illud faciendum esse demonstrant, sic morbus, eius causa, virtus, temperamentum, consuetudo, ætas, regio, aër, tempus anni, & morbi tempus; ex quibus enumeratis morbus & ipsius causa, auxilium pro ipsorum ablatione indicant, offerendum: tempus morbi occasionem demonstrat, ratione cuius interdum convenit operari, & aliquando quiescere oportet: sic Hipp. 1. aph. text. 11. in accessionibus abstinere prædicat, quem sequitur Galenus in expositione, & 9. meth. cap. 14. Reliqua enumerata, dum pro morbo faciunt, & ex parte illius se habent, expulsionem indicant; cæterum si ex parte naturæ se habeant sui conservationem indicant, ita Hipp. dictavit 1. aph. text. 2. in quo sermonem instituens de spontaneis evacuationibus, monet inspicere oportere, & tempus, & regionem, & aratem, &c. Vbi ex ipsis indicationem sumo, saltim ad humorum peccantium cognitionem, ut in expositione citati textus docet Galenus, & ratione suadet hæc conclusio: nam indicans dicitur, id, à quo sumitur indicatio agendorum; sed ex quolibet ex dictis, sumitur indicatio operandi, aut non operandi hoc aut illud: ergo omnia ea, quæ sunt enumerata absolutè dicuntur indicantia.

Difficultas tamen maior restat circa numerum eorum, quæ prima, & præcipua indicantia dicuntur, ea scilicet, quæ primò, & per se indicant, & ad quem omnia alia, quæ absolutè, & secundariò indicant, redducuntur. In hac lite Doctissimus nostræ scholæ Recentior, & Antecessor noster in suis manuscriptis docuit tria esse prima, & præcipua indicantia, morbum, causam morbi, & naturam: quem sequitur in omnibus alter Socius noster etiam in manuscriptis. Hanc conclusionem suadere conantur ex Galen. 9. lib. meth. cap. 9. Vbi de diaria febre loquens ait. *A sola, ipsa febre indicationem sumi, minimè verò à*

causa, neque à viribus; quia neque illa adest, neque vires patiuntur. Vnde infert tria esse prima, & præcipua indicantia; quorum primùm est febris ipsa diaria; alia duo omisit, nempe causam, & vires, quoniam causa non erat præsens, neque vires in diaria febre depopulantur: sentit ergo absolutè tria esse præcipua indicantia, videlicet, causam, morbum, & vires. Clarius tamen idem testificatur Gal. lib. 10. meth. cap. 1. loquens de putrida febre, per sequentia Verba. *Ita fit ut tres primi scopi sint, qui in propositis iam ob putredinem febribus agendorum indicationem nobis præbeant, una febris ipsa, altera effectrix eius causa, tertia vis ipsa naturalis.* Nihil clariùs pro hac conclusione videtur adduci iuxta Galeni mentem. Ratione etiam intendunt suadere idem assumptum: quoniam prima, & præcipua indicantia dicuntur, quæ per se primò manifestant ea, quæ agenda sunt; sed in quolibet morbo curando tria sunt, quæ primo debent considerari, nempe morbi ipsius natura, eius causa, & subiectum, seu vires; ergo in morborum medicatione, tria sunt indicantia prima, ad quæ respicere debet Medicus, ut ritè operetur, nempe ad morbum, ad eius causam, & ad vires, quorum duo prima debellari postulant: tertium verò conservationem exposcit.

Hoc placitum fugillare intendit Magister meus in suis manuscriptis, quoniam Galenus locis citatis, minimè intendit numerare indicantia diversa, prout distincta sunt, aut indistincta in ratione generica indicandi; sed numerat ea quæ in febribus reperiuntur, sive sub eadem ratione indicent, sive sub diversa; neque agit specialiter Galenus de numero indicantium, sed de illis, quæ in febribus se offerunt, & alia plura adducit. 9. meth. cap. 9. per sequentia Verba. *Conferre præterea ad auxiliorum inventionem diximus, tum ipsam corporis temperiem, unâ cum consuetudine, tum regionem, tum anni tempus, tum cæli statum, in quibus verò morbis, egregius aliquis in una parte animalis affectus subsisteret, velut ex adustione in capite; à parte quoque ipsa, aliquam faciendorum indicationem sumi:* Ergo Galenus alia indicantia in febribus assignavit præter morbum causam, & naturam; hoc ipsum docuit Galenus lib. 10. meth. cap. 1. cit. sic, *itaque in diariis, faciendorum indicationem, ex ipsa febre maxime capiemus: sed cum illa naturam, & aratem, & consuetudinem, præterea anni tempus, Cæli statum, & regionem, & vires simul expendentes.* Ecce quomodo Galenus non solum tria indicantia proponit, verùm & plura alia in febris curatione; & quòd magis est, inter regionem, anni tempus, & Cæli statum, enumerat vires; non ergo specialiter de numero indicantium loquitur Galenus dictis in locis, cum plura alia indicantia, quæ non sunt prima in curatione febrium enumeret.

Vtteriùs fugillare intendit hoc placitum. Quia Galenus naturam dixit esse unum præcipuum indicans, quo conservationem exposcit, ex quo indicante, & morbo, & causa tria præcipua indicantia componit hæc opinio: restat tamen aliud indicans nempe vires: quod si sub natura comprehendere velint Authores citati. Stat Galen. 9. meth. cap. 9. citato in quo vires minimè indicare docet, & naturam numerat indicantem. Certè in hoc loco Magister meus frivole impugnat contrariorum sententiam, primò quia non adducit naturam

natam indicantem & de viribus tantum loquitur, indicatione sumpta ad curationem febris diariæ, in qua nec vires indicare docet, neque causam. Verba perpendite: *De viribus tamen vel causa, quæ affectum creet, in eo libro nihil est dictum: propterea quod nec vires in diariis febribus, egregiam ullam providentiam requirant, utpote quæ omnino valida sint, neque affectus ullus in vera diaria subsit, qui eam vel gignat, vel auget.* Ex his ergo solum colligere licet non negasse absolute indicationem esse sumendam à viribus, quæ absque dubio sub natura comprehenduntur, juxta Galeni, & omnium opinionem; sed solum in curatione legitimæ, & veræ diariæ febris, in qua, quia vires non habentur, minimè præbent peculiarem indicationem; & hoc ipsum de causa prædicavit: quia præsens nulla est; quæ ablationem exposulet: inutiliter ergo arguit contra adductam opinionem. Nec potest negari Galenum lib. 10. meth. cap. 1. citato, inter indicantia omnia vocasse prima, & præcipua, morbum, causam, & naturam; et si expressè in eo capite de numero indicantium non agat: ergo ipsè impugnat adductam opinionem. Rationem etiam, quæ id probant inculcare intendit, ex eo quod et si in curatione quacumque debeamus considerare causam, morbum, & subjectum, non tollit quominus alia debeamus considerare, à quibus etiam sumitur indicatio, ut ex superioribus Galeni testimonio constat: ergo ex eo quod in qualibet curatione sit consideranda causa, & ejus effectus, seu morbus, & subjectum: exinde non concluditur optimè esse tria indicantia, quandoquidem & sub paucioribus possunt comprehendi, ut ipse Galenus testificatur, quemadmodum etiam alia plura indicantia, etiam ad pauciora reducuntur.

Verior sententia est prima; & præcipua indicantia tantum esse duo; morbum scilicet, & naturam, quæ à Galeno explicantur sub nomine contrarietatis cap. 15. citato supra libro 9. method. sub uno generali nomine, seu unica generali indicatione, quæ sine dubio duo indicantia præcipua, & prima continet nuper explicata; quippe ex his, quæ primò, & per se indicant, aliud conservari exposcit, qualis est sanitas, quam explicat nomine naturæ; aliud auferri indicat, qualis est morbus: unde sub nomine contrarietatis duo indicantia specialia comprehendit, ad quæ omnia alia indicantia reducuntur: quia aut ex parte naturæ sunt, aut ex parte morbi, & consequenter aut indicabunt secundariò conservationem, aut expulsionem. Contrarietas autem juxta Galeni mentem principaliter indicat: quia morbus non potest indicare remedium, quin ab ipsa naturâ, quale sit, & quantum determinetur: quippe ex ipsa recessus à naturali statu cognoscitur & per consequens morbus ipse patet:

Probatum conclusio ex Gal. cap. 15. cit. lib. 9. meth. in quo postquam proposuit indicationes curativas juxta diversas divisiones indicantium sic ait: *jam primas quoque illas indicationes quas memoravimus, fieri potest ut redigas ad pauciores, ita ut duo eorum scoporum, qui curationem indicent omnino capita sint, nempe præsens affectus, quem morbum nominamus, & qui prius fuit, quem sanitatem, & naturalem habitum diximus.* Quibus verbis manifestè docet duo esse prima indicantia, quæ immediatè quid faciendum sit demonstrant,

nempe morbus, & natura; & talia indicantia nomine contrarietatis explicuit. Ratione etiam suadetur hæc conclusio, nam omne indicans, aut petit sui ablationem, aut sui conservationem, sed natura est, quæ primò, & principaliter petit sui conservationem; & morbus primò, & principaliter sui ablationem: cætera autem, quæ indicant, si ex parte naturæ se habeant, ratione naturæ exposcunt conservationem, si ex parte morbi se teneant, expulsionem indicant, ratione morbi: ergo duo prima, & præcipua indicantia solum sunt natura, & morbus, cum ex his duobus sumatur præcipua, & prima indicatio; seu comprehensio juvantium, & nocentium; & si quæ sunt alia indicationes agendorum, sub his sine dubio comprehenduntur. In cujus rei confirmationem stat Gal. cap. 14. lib. 9. meth. in quo intendens docere solum naturam, & morbum solum indicare immediatè, sic ait. *Siquidem corporis temperies, quæ illo tempore fuit, quo ægrota-re id cepit, quæ quoad inveniendâ remedia est utilis ex natura, ætate, consuetudine, & ambiente nos aère ortum habet, ambiens verò ipse ejusdem est redditus; tum propter regionem ipsam, tum anni tempus, tum Cæli statum; affectus verò nequaquam in causas diduci est aptus, sed in differentias.* Quibus verbis expressè docet non solum naturam, & morbum tantum esse duo prima indicantia, verum etiam reliqua enumerata, interventu ipsius temperamenti, siue naturæ, quod idem est, indicare, quatenus natura, seu temperies naturalis, ex illo quod ex se exposcunt pars, & ex ætate, & consuetudine, & aère talis resultat; ad quem etiam regionem, Cæli statum, & anni tempus reducit; cum dicat aërem talem esse per ea; ergo interventu naturæ omnia hæc ultimò enumerata indicant; quod verum tenet, dum juxta naturalem cursum causarum agunt, nullam violentiam sensibilem inferentem, etenim cum ex parte morbi se habent interventu ipsius naturæ indicant. Vnde ex hoc Galeni testimonio non intendimus probare aërem non indicare: contrarium enim ex Galeno constat, sed quod asserimus est, aërem, & reliqua medio temperamento producto indicare, cum asserat ex ipsis ortum habere temperiem indicantem remedia; inter quæ aër habet specialem prærogativam, ut inter indicantia specialiter à Galeno adducatur, ut infra latius constabit. Liquidò ergo sit juxta Galeni mentem duo prima, & præcipua indicantia esse morbum & naturam; reliqua verò indicantia ratione istorum, & secundariò solum indicant.

Ratione suadetur hoc ipsum: quia omnia indicantia aut conducunt pro naturali statu viventis, aut pro morbo; sed in utroque casu indicant interventu naturæ, aut morbi: ergo non per se, sed medio morbo, & ratione naturæ indicant: major est manifesta, nam si alia indicantia numerata citra naturam, & morbum, nullam immutationem causant, nihil indicant; ergo indicant quatenus ex ipsis resultat aliquid, quod pro bene, aut malè operari conducit; si ad bene operandum conducit, quod productum est, rationem habet naturæ; si ad malè operandum facit, rationem morbi comitatur: ergo in utroque casu ratione morbi, aut naturæ indicant; & minimè per se: ac per consequens duo solum erunt prima indicantia dicta; ex quo inferitur nomine naturæ comprehendere Gal. omnia illa, quæ pro statu naturali viventis conducunt, & nomine

mine morbi etiam illa omnia ; quæ ad malè operari disponunt, & ex parte morbi se habent, qualia sunt plura ex dictis, quæ interdum se habent ex parte naturæ, & quandoque ex parte morbi, & sic secundario indicant.

Insuper etiam præcipua conclusio suadetur, nempe quod solum sint duo præcipua, & prima indicantia, sanitas scilicet, quæ nomen arripit naturæ, & morbus. Nam ex omnibus affectionibus, quæ sunt præter naturam, solum morbus sedit per se primo operationes: reliqua verò medio morbo id faciunt: rursus inter ea, quæ se habent ex parte naturæ, seu sanitatis, solum hæc perficit operationes per se primò, reliqua verò secundario & ratione naturæ, seu sanitatis: ergo solum natura indicat primario, & per se, suam conservationem, & morbus suam expulsionem: cum ergo reliqua indicantia numerata, aut se habeant ex parte naturæ aut ex parte morbi solum secundario indicantur ratione naturæ, aut ratione morbi; ac per consequens solum erunt duo prima, & præcipua indicantia, natura, & morbus.

De causa morbi Socius noster cum altero antecessore & primario etiam nostræ scholæ complutensis intendit suadere esse primum & præcipuum indicans distinctum à morbo, & à natura; ex eo quod sub una ex duabus affectionibus comprehendatur à Gal. l. 9. meth. c. 14. sæpius cit. ubi enumerans prima indicantia, duplicem, seu geminam corporis affectionem assignavit, alteram naturalem, alteram præter naturam: ex quo inferunt, quod cum causa morbi sit affectio præter naturam, ipsam virtualiter comprehendere Gal. nomine affectionis præter naturam. Cæterum, quia ipsa causa realiter distinguitur à morbo, & ab ipso separabilis est, iudicant Recentiores isti, primam, & præcipuam indicationem præbere, diversam profus à morbo: ac proinde esse primum indicans causam morbi acerrimè tenent. Porro distinctionem, & separationem causæ à morbo probant ex eo; quod si febris hæctica originetur ab humoralis, separata humoralis febre, permanet hæctica; & ulterius addit, quod plurimæ sunt causæ, quæ licet actu morbum non efficiant, tamen eas removemus, ne in posterum morbum producant, quod præcautione fit, ideoque indicant diversam indicationem sumi à causa, quam à morbo: quo etiam argumento excludunt symptomata ab indicantibus.

Hæc tamen fundamenta frivola profus mihi videntur, primò: nam Gal. c. 14. cit. postquam de affectione præternaturali loquitur, ait, *quæ sanè morbus est.* Vbi nullam profus mentionem fecit de causa: ergo minimè illam comprehendit sub affectione præternaturali: ac proinde si aliunde id non suadeant ex Gal. testimonio nihil deducitur in favorem suæ assertionis. Vtteriùs quod causa distinguatur realiter à morbo nullus potest dubitare, sicut neq; quod indicet sui ablationem; probare autem debebat indicare sui ablationem primò, & per se independentem à morbo cuius est causa: Hoc autem ex nullo constat. Insuper etiã, quod causa separatur à morbo inintelligibile est, quippe si causat læsionem medio morbo id fieri debet, cum causa non lædat per se primò, sed mediante morbo, ut latè nostro 1. tom. docuimus.

Nec fundamentum quod adducunt ad probandam separationem causæ à morbo de febre hæctica, quæ ab humoralis originetur, alicuius est momenti; nam licet plerumq; febris hæctica causetur ab humoralis, absente febre humoralis, seu

putrida; hæctica, quæ perseverat habet suam causam, quæ ratione morbi indicat ablationem, & minimè per se independentem à morbo; si autem perseveret febris humoralis complicata cum hæctica, absq; dubio habet putrida febris causam, quæ non est separata à febre, quæ causat, & sic indicat eius ablationem, non per se primò, sed ratione morbi, cuius est causa; & si forsitan fovet hæctiam febrè, quam primò causavit, non indicat per se primò, neque ratione hæcticæ, neque ratione putridæ febris; quippe id nulla ratione probant. Neque ultimum de præcautione, aliquid urget; nam licet sæpius removeamus causam, quæ actu non causat morbum, ne in posterum morbum producat, & hoc fiat præcautione; tamen talis remotio fit ratione morbi, qui timetur, si hæc causa non auferatur, quæ in posterum causatura est morbum: ergo talis depositio, seu remotio causæ, est sine dubio propter morbum, qui timetur futurum, qui est primò & per se indicans in hac curatione præcautione, unde in tali casu, causa non primò, & per se indicat remotionem, sed ratione morbi, quem causatura est: ergo omnia Recentiorum fundamenta frivola sunt.

Denique quia Gal. loc. cit. meth. cap. 14. specialiter de primis indicantibus agit, & tamen nullam facit mentionem de causa morbi, sed solum de natura, morbo, & aëre nos ambiente, ut legèri planè constabit: ergo non est fundamentum, cur adstruamus causam morbi tanquam primum indicans; præcipuè cum indicet sui ablationem causaliter, minimè verò formaliter, sicut morbus, qui est primum indicans: Præterquam quòd: si forsitan aliquis audeat fateri; causam morbi esse primum indicans; necesse est, quod fateatur alterum primum indicans, nempe causam sanitatis. Probatur sequela, siquidem ita se habet causa morbi cum ipso morbo, sicut causa sanitatis cum ipsa sanitate, ut per se constat: ergo si causa morbi est primum indicans, sicut ipse morbus; etiam causa sanitatis erit primum indicans sui conservationem exposcens, sicut ipsa sanitas; æqua enim videtur utriusque ratio; atqui neque Galenus neque ullus hucusque ex scriptoribus numeravit causam sanitatis inter prima, & præcipua indicantia: ergo neque causam morbi pro primo indicanti debemus reputare.

Nec valet si Respondeat aliquis cum Recentioribus citatis, alias esse causas efficientes sanitatis, quas salubres vocavit Galenus lib. art. medicin. c. 84. quæ auxilia potius medica dicuntur, & sanitatem causant, quatenus morbum tollunt, & tales causæ potius dicuntur indicata, quam indicantia. Alias autem esse causas merè conservantes sanitatis, quæ sunt omnes res non naturales, quæ quia remonent causas alterantes insensibiliter, & corruptentes, aut eorum vitia corrigunt, conservatrices dicuntur, & huiusmodi causæ potius etiam sunt indicata, quam indicantes; Cæterum quia præter has causas sanitatis, sunt aliæ internæ causæ ut sanguis, & aliæ humiditates, quæ respectu sanitatis, & corporis nostri potius habent rationem materiæ, quam causæ efficientis; idèd tanquam distincta indicantia à sanitate nequeunt enumerari: nec aliquid per modum efficientis producant, cum ab ipsa sanitate separabilia non sint, ita distincta indicantia ab ipsa sanitate nunquam valebunt constituere.

Hæc tamen solutio in pluribus claudicat; nam

chimerica videtur distinctio causa efficientis, à causa conservante; etenim conservatio est continuata productio; juxta Philosophi doctrinam, & sic causa conservans efficiens est. Præterea etiam: quia auxilia, quæ indicantur à morbo, pro ejus expulsionem, non dicuntur causæ efficietes, respectu sanitatis, quia verè ipsam neque causant, neque conservant; sed solum remotionem prohibens, quarum actio solum influit in morbi expulsionem non in positivam sanitatis custodiam. Ulterius non solum causa efficiens morbum, verum quæ ipsum morbum conservat est primum indicans in opinione Recentiorum, quippe utraque causa est præter naturam, & indicat ablationem, ut per se patet in qualibet causa efficiente putridam febrem, & conservante ipsam, quin ultra agat, & procedat, augendo febrem, & putredinem intendendo; sed solum conservando effectum, quem prima causa produxit; in quo eventu necessario debent fateri causam efficientem, & conservantem ipsius febris indicare sine dubio sui ablationem; quia inter affectus præternaturales numerantur: Ergo simili etiam ratione causæ efficientes, & conservantes sanitatis indicare debent sui conservationem, quia ex parte sanitatis se habent tanquam res naturales. Unde si causa morbi est primum indicans distinctum à morbo, etiam causa sanitatis erit primum indicans distinctum à sanitate.

Denique quia si sanguis, & humiditas habent aliquam efficientiam pro sanitate, ut ipsi fatentur, etsi inseparabilis non sit hic influxus à sanitate (quod concedere, semper renuam) tamen negare non possunt isti Authores distinguere ab ipsa sanitate, ac per consequens, tanquam indicans diversum debet reputari causa sanitatis ab ipsa sanitate. Neque capere possum, quâ ratione res naturales absolutè dicantur causæ conservantes sanitatis, cum certum sit interdum se habere res non naturales ex parte sanitatis, & interdum ex parte morbi: ideoque non naturales dicuntur: ergo non minus sunt causæ conservantes sanitatis, quam morbi: frustranea ergo & chimerica est talis distinctio causarum.

Occasio jam instat, ut quid de aëre nos ambiente dicamus, quandoquidem Galenus ore pleno inter indicantia prima ipsum numeravit: certè aer ita necessarius est, ut Gal. 14. cap. lib. 9. meth. de ipso sic loquatur *ambiens verò is est, sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest, hic igitur, causa sine qua non obtinet rationem.* Aurea profecto verba, quæ ambientis aëris necessitatem clarè testificantur, adeo ut inter res non naturales aër primatum teneat, qui interdum se habet ex parte naturæ, & sanitatis, & rationem juvantem obtinet; interdum verò ex parte morbi, rationem participat nocentis; ipse enim perpetuò nos alterat, in se recipiens qualitates ex temporum mutationibus, & sic indicat conservationem, quando ex parte sanitatis se habet, & expulsionem, quando ornatur qualitatibus, pro morbo conducentibus; & hac ratione, quia perpetuò indicat in nobis, indicationem esse sumendam ab ipso prædicavit Galenus; & quia talis indicatio necessariò, & semper indicat: tum in statu naturali, tum in statu morbofo, Galenus inter prima indicantia, hoc est inter morbum, & naturam, ambientem aerem numeravit; non quidem quia propriè sit primum indicans, sed quia perpetuò indicat, & sine ipso neque tolli morbus,

nec teneri sanitas potest: indicat ergo aut ratione naturæ, aut ratione morbi, & sic in rigore non est primum indicans, & hac ratione solum Galenus 10. lib. meth. cap. 1. prima indicantia solum esse duo testificavit, quia cætera omnia ad ipsa reducuntur; Aër vero inter omnes res non naturales habet illam specialem prærogativam, præter alias plures, quas habet, nempe deservire ad respirationem, & transpirationem, & ad spirituum regenerationem; quid plura, si nemo tanta? ergo mirum non est si ab ipsa perpetuò indicatio sumatur. Quæ quia simpliciter, & summè necessaria, poterit habere primatiam indicantis aër nos ambiens in suo genere, quin hæc propositio opponatur nostræ assertioni, nec ipsius veritatem possit obscurare.

Ex his facile deducitur quòd licet in curatione febris putridæ indicatio prima ordine executionis, seu resolutivâ methodo sumatur à causa; tamen indicatio hæc dicitur in tali ordine executionis, quæ vero sumitur à morbo est prima ordine intentionis, & perfectionis: quia Medicus primò, & principaliter intendit debellare morbum, & conservare sanitatem; quare indicantia prima, & præcipua in intentione, & perfectione sunt morbus, & natura: minimè verò causa morbi. Ex quo constat solutio ad argumētum contrariæ sententiæ desumptū ex Galeni testimonio:

In calce hujus controversiæ Recentiores supra citati proponunt tres condiciones, quas indicantia habere debent: prima est quod indicans debet esse notius intellectui, quàm indicatum auxiliium, seu remedium; rationem adducunt: quia cognitio indicati, seu remedij oritur ex cognitione indicantis: ergo hujus cognitio non solum est prior, sed debet esse clarior. Hanc doctrinam stabilire intendunt ex Gal. 1. meth. cap. 15. ubi docet solum morborum numerum prius esse cognoscendum ad ipsorum curationem, & lib. 2. cap. 6: idem tenet. Ex quibus locis minimè colligitur quod indicans sit notius indicato, sed quod prius debet agnosci, ut ex ipso pateat indicati remedij cognitio, & solum id probat ratio adducta, & ex his, quæ adduximus in definitione indicationis; potius constat ad cognitionem indicati, seu morbi discursum, & rationem esse necessariam; at verò ipso cognito, indicatione auxiliij ita esse claram, ut absque ratiocinio, seu discursu pateat. Ac proinde censeo nullius momenti esse hanc conditionem, nam eo ipso quod morbus est cognitus, clarè, & absque ratiocinio agnoscimus indicatum, quin cōferat ad curationem, neque inventionem remedij, quòd sit clarior, seu notius indicans, quàm indicatū, sed quod prius cognoscatur indicans, etiã si æqualiter, quoad claritatem notescant, ut per se patet.

Secundam conditionem, quam adducunt ex parte indicantis est. Quòd unum tantū indicare unum remedium valeat; ita Galenus lib. de optim. sect. ad Tras. lib. cap. 44. per sequentia verba *absurdum est asserere unū & idem diversa indicare.* Ratione etiam suadere intendunt, indicatis hujus proprietatem; etenim quidquid indicat pro sua natura indicat, sed natura indicantis est una, sive secundū genus, sive secundum speciem subalternam, aut infimam ergo indicatū etiã debet esse unum; consequentiã probant: quia indicans, & indicatū sunt cōtraria, sed uni unum contrariatur: ergo si indicans est unum, indicatum debet esse unum.

Hanc proprietatem intendit inculcare noster Primarius, & Magister ex definitione indicatio-

Cap. V. Quæ sint præcip. indic. in curat. 15

his aductæ Gal. cap. 1 i. libri de opt. sect. ad Tra-
sib. ubi tenet indicationem esse comprehensionem
juvantis, simul cum comprehensione nocentis,
ubi per juvantia intelligit auxilia, & per nocentia,
ea quæ opponuntur sanitati, iuxta Argentieri
opinionem. Ex quo deducit unum indicans
duo indicare, & comprehensionem medicamenti
juvantis, & lædētis, ut sic Medicus melius agnoscat,
quod auxilium sit applicandum, & à quo fugiendum
per eandem indicationem: ergo unum indicans
plura indicat, alterum quidem profequendum,
alterum verò fugiendum.

Re tamen verâ Doctor iste finistrè impugnat
Recentiores citatos; quia ipsi asserunt, nomine
comprehensionis nocentis in definitione adducta
à Gal. solum esse intelligendum morbum, & minime
medicamentâ nocentia contra Argentarium;
ut ex supradictis constat: ergo in opinione ipsorum,
unum indicans solum unum indicat auxiliū;
per quod aufertur morbus. Præterquâ quod etiâ
si per comprehensionem nocentis intelligamus
ea medicamenta, quæ nocēt, & se habent ex parte
morbi, ut ab illis fugiamus, ut nos supra docuimus,
inde non inferitur unū plura indicare; quippe
eadem est indicatio, quâ profequimur, auxiliū
conveniens ad expulsionem morbi, & quâ fugimus
ab illis, quæ se habent ex parte morbi, & ipsum
coadjuvant; utpote per eandem comprehensionem,
seu cognitionem, per quâ percipimus frigida auxilia
côvenire pro febris extinctione, per ipsammet
fugimus à calidis omnibus, sive medicamentis, sive
alimentis, quæ pro febris conservatione faciunt;
ergo ex hac parte unum indicans unum tantum
indicare valet. Caterum quod displicet est, quod
adducunt Recentiores de contrarietate indicantis
cum indicato, etenim licet sit verum quando est
morbus, neutiquam tamen valet quando indicans
est sanitas, quippe hæc indicat suam conservationem,
quæ fieri debet per similia, ut Gal. per libros
methodi passim docet, minime verò per contraria;
ergo absolute indicans, & indicatum non
contrariantur, ac proinde non valet argumentum
uni unum contrariatur.

Vera tamē est indicati proprietas adducta, quâ
do indicans est simplex, nam tunc indicatum debet
esse unum, ut quando morbus est calidus, solum
indicat unū auxiliū, frigidū scilicet; at tamē
si morbus sit compositus ex calida, & sicca intemperie,
sine dubio indicabit auxiliū compositū, videlicet
frigidum, & humidum; itaque ad proportionem
indicantis debet esse indicatū auxiliū, & similiter
attendendū est in curatione ad id quod per se
indicat morbo, & ad id quod indicat ratione
causæ, nam tunc evacuatoriū indicat auxiliū
ratione causæ, & attemperatoriū per suâ contrarietatem
ratione sui, iuxta illud Avicennæ de curandis
febris patridis: & quandoq; curatio harū
febrū convertitur ad partem febris, & tunc est
necessaria refrigeratio, & quandoq; convertitur
ad partem materie, seu causæ, & tunc est necessarium,
quod evacuetur, & digeratur. Consonat Gal.
l. 10. meth. c. 1. per hæc verba, *fieri tamen aliquâdo
potest, ut ea sit febris magnitudo, quæ præsentē perniciem,
nisi occurrat asserat, quo casu oportebit, hac prius
summotâ, deinde ad causam accedere.* Hęc Augustinus
consulebat Gal. quâdoquidem complicatæ occurrunt
indicationes, seu cōpositæ, quibus diversis auxiliis,
per diversa tēpora succurrere debemus, iuxta maiorem,
aut minorem urgentiam; liquidū ergo, & in concussum
manet, quod quando indicans est unum, & simplex
unum tantum indicat

remedium, quando verò indicans est compositū,
unū indicans cōpositū plura indicat auxilia ex-
quæda, exquæda: & quâdo plures affectus ab una
causa procedūt, tunc ratione causæ, una erit
indicatio, quia una est causa cōmunis, quâ depositâ,
morbi deponuntur; & hac ratione verum semper
est, quod indicans unum, tantum unum indicat.

Tertia proprietas, quæ requiritur in indicante,
est quod sit præsens, ita Gal. significare videtur
l. meth. c. 3. ubi intendēs docere externas, seu pro-
catharticas causas non indicare in curatione, sic
loquitur. *Nam (ut breviter dicā) à nullo eorum quæ
adhuc non permanent, indicatio sumi, eius, quod ex
usu sit potest: nihil clariùs.* Ratione etiâ validatur
hæc proprietas, quippe indicans, & indicatum ad
invicem referuntur, ad cōservationem, aut expulsionem;
sed quod præsens non est, neque potest auferri,
neque conservari: ergo indicans necessario debet
esse præsens, & hoc non solum esse verum
affirmant in curatione, sed etiam in præcautione.

Videtur tamē hanc doctrinam non esse veram,
siquidem in præcautione, auxiliū exercetur propter
indicans absēs. Respondebis tunc remedium non
indicari à morbo futuro, cū propter ipsum fiat,
sed à causa præsentē, ab humore scilicet, aut
dispositione aliquâ in corpore existente, ratione
cuius remedium indicatur debet; quippe ratione
talis humoris aut dispositionis morbus timetur,
& veluti in causa virtualiter existit.

Tamen contra hanc solutionem militat ratio ex
quotidiano experimento desumpta: nam quando quis
intendit facere longum iter etiâ si temperatissimus
sit, & perfecte sanus absq; ullo vitio, qualitativo,
aut quantitativo in humoribus, ipsos vacuat
sanguinem mittendo, aut refrigerantibus auxiliis
utitur, ne forsan per exercitium itineris vitentur,
itaque in casu adducto certū est ex vi horum
auxiliorum, humores extrahuntur, ab esse naturali,
& debito viventi pro illo statu, in quo supponimus
vivēs esse perfecte sanum, & omnes humores
in æquilibrio debito, sed in tali casu, nec morbus
est præsens, utpote curatio est præcautoria,
& insuper neq; in corpore, neque in humoribus
ullum est vestigium malæ dispositionis, à qua
sumatur indicatio mittēdi sanguinem aut refrigerandi;
& tamē præcautoria est curatio: ergo in illa
minime est necessariū quod indicans sit præsens.

Altius etiam idem premitur assumptum, in
indicatione conservativa, in qua non est necessariū,
quod indicans sit præsens: nam Gal. l. 8. meth. c. 9.
docet conservationem medicâ esse de genere artis
correctivæ, in qua vitia, aliquo modo insensibilia,
tolluntur usu similitum rei petenti, seu indicanti
sua conservationem; sed tunc non est præsens,
quod talia auxilia similia indicat: ergo minor probatur:
quia sui conservationem indicat naturalis temperies,
quæ aliquo modo immutata est, per actionem
causarum inevitabiliū, pro cuius cōservatione,
ars de correctivarum genere datur, quæ conservativa
dicitur, sed ex parte qua correctiva est conservatio,
deficientem naturalem temperiē, seu immutatam
aliquantulum, significat, quæ non est præsens,
câ ex parte, quâ deficit, aut est immutata:
ergo tunc indicat quod non est præsens. Nec
valet si respondeant talē immutationem, sive
defectum esse insensibilem, & sic se habere tanquā
si non esset, & solum indicare naturalem temperiem,
quæ est præsens suam conservationem.

Nam contra instatur solutio, quoniam et si
naturalis temperies manifestè sit immutata, suam
conservationem indicat, sive per usum verè simi-

lium, ut sit in conservacione vera, sive per usum contrariorum reipraternaturam, ratione quorum illud, quod secundum naturam deficiebat, comparatur, & acquiritur, quod fit per curationem, aut reductionem; sed ea quæ fiunt in tali eventu, sunt indicata, & à morbo illa exposcente ad sui ablationem, & à temperamento illa petente, ad sui conservacionem, seu acquisitionem: ergo verificatur quod indicat, quod est absens, non solum in conservacione, sed etiam in curatione. Probatur consequentia: quia quando mittimus sanguinem ad ablationem morbi, ab ipso indicari dicimus, etsi immediatè à causa indicetur: ergo quando ad auferendam intemperiem calidam frigida propinamus debemus dicere indicari à temperamento partis, etiam si à morbo indicetur immediatè, quia media eius ablatione, pars propriam acquirit temperiem. Consonat Gal. c. 15. cit. suprà, ubi assignas duo prima indicantia, & præcipua: ait: *Alius scopus est præsens affectus, quem morbum nominamus, & qui prius fuit, quem sanitatem dicimus:* ergo scopus seu indicatio dicitur à Gal. sanitas deficiens, à qua indicatio sumitur: non ergo est necessarium, quod sit præsens indicans.

Præterea nam pars calida ex propria natura calidiora indicat remedia, sive præcautoriâ curatione, sive legitimâ; ita Gal. docet cap. 13. lib. 1. meth. & idem de frigida parte in ordine ad frigidiora remedia est intelligendum, indicatione sumpta à temperamento naturali partis, sed in quocumque morbo, temperamentum naturale partis, non est præsens, cum supponatur ablatum ab ipso morbo: ergo quod non est præsens, indicat sive præcautoriè, sive curatoriè. Nec valet si Respondeas temperamentum naturale partis, non indicare per se, sed ut signum. Nam contra instatur solutio; nam in morbo calido, ipse morbus frigida petit, & etsi ea ex parte, qua calida indicat, pars calida per se indicet, & non ratione morbi; cum conducatur ex se ad inventionem remedij: confirmat hoc ipsum indicatio, quæ à viribus sumitur; siquidem vires semper sui conservacionem indicant, sive sint integræ, sive diminutæ; quo casu cû remedium non indicent, sed alimentum, non est indicatum, quod à morbo possit indicari; sed à viribus absentibus, necessariò sumitur indicatio: ergo nõ requiritur quod indicatum sit præsens licet frequenter, & ut in plurimum, in vera, & legitima curatione morborum, præsentia indicantis sit necessaria, & hac ratione intelligendus est Gal. pro contraria parte adductus, & Authores qui contrariam tuerentur opinionem.

CAPVT VI.

Vtrum omnia indicantia indicent curatoriè.

CONSTAT ex dictis, quæ sint prima, & præcipua indicantia, à quibus præcipuè desumuntur indicationes, & indicata, seu auxilia inveniuntur, sive pro morbis profligandis, sive pro conservacione naturæ; constat etiam, inter indicationes alteram dici curativam, alteram conservativam, seu vitalem, & tandem alteram præcautoriâ, quibus correspondent curatio, conservatio, & præcautio. Litigium ergo præsens de omnibus indicantibus procedit, an scilicet omnia indicent curatoriè, aut ex illis aliqua sint, quæ indicet præcautoriè, nonnulla verò conservacionem expo-

lent: Hanc doctrinam insinuavit Gal. 9. lib. meth. cap. 13. & 14. & 15. necnon etiam lib. de opt. sect. ad Trafib. c. 13. ubi ait. *Prima igitur omnium indicatio, est quæ à virtute sumitur; verum non sic prima, ut quæ curationem doceat, cum ex numero curatrici indicationum non sit.* Et c. 14. eiusdem lib. sic loquitur. *Medicatrix indicationes à morbo ipso sumuntur, à corporis temperamento, & ab ambiente nos aère.* Sub dictis autem comprehendit immediatè, quæ à consuetudine, ætate, naturâ, & ab aliis desumuntur: ergo ex Gal. mente constat, inter indicationes alias dici curativas, alias minimè, quæ tales dicuntur ab scopis curatoriè, non non curatoriè indicantibus, & consequenter deducitur iuxta ipsius mentem, vires nõ indicare curatoriè, morbum verò, & quæ ex parte ipsius se habent curatoriè indicare, de quo litigiū procedit; An omnia indicantia rigorosè, & legitime curatoriè indicet.

Recentior nostræ scholæ olim Primarius, & Socius noster, quem sequitur Alter Socius citatus, in suis manuscriptis, qui tria tantum esse præcipua indicantia dixerunt, causam, morbum, & vires, in præsentia controversia firmiter tenent, solum morbum indicare curatoriè, causam morbi præcautoriè, & vires vitaliter solum sui custodiam indicare. Et quidem quod solum morbus indicet curatoriè intendunt probare ex Gal. 3. lib. meth. c. 1. ubi ait. *Absurdum est dicere, aliud esse quod curetur & aliud quod curationem indicet.* Sed quod curatur est solum morbus: ergo ipse solus est, qui curationem indicat: Eamdè doctrinam intendunt suadere ex Gal. lib. 9. meth. c. 15. Vbi describens sanationem, seu curationem, sic loquitur. *Sanatio est præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum mutatio.* Vnde inferitur quod transitus, seu mutatio ab affectu vitioso, seu morbo ad naturalem habitum, seu sanitatem, est sanatio, seu curatio: ergo solum morbus indicat curationem, cum ipse solus habeat oppositionem formalem, & immediatam & per se, cum sanitate, quam expellit, & à qua ipse morbus propulsatur; quia per formalem contrarietatem incompatibiles sunt in eodem subiecto. Denique idem assertum corroborari potest ex eodem Gal. lib. 3. meth. cap. 9. ubi ait, *quod prima quidem medicationis indicatio à solo sumatur affectu; remedia tamen inde inveniri non posse, nisi prius ad corporum elementa sit ascensum, & ægri temperamentum perpensum, non corporis modo universi, sed etiam afflicta particula, cum hoc quoque ambiente temperie aestimata; quæ utique cum ad præsentem status, nunc verò regiones extenditur.* Ex quibus verbis duo colligere licet, primùm est indicationem primam curatoriam, seu medicatricem, à solo morbo, seu affectu desumi; & per consequens solum morbum indicare curatoriè. Secundùm quod inferitur est, non solum morbum, sed alia plura enumerata ad inventionem remedij esse consideranda; quare licet solus morbus indicet curationem, non à solo morbo sumitur indicatio pro inventionem remediorum, sed alia plura veniunt consideranda; ut natura ægrotantis, pars affecta, consuetudo, aër ambiens, anni tempus, & Cœli status, quæ non indicant curatoriè, sed solum se habent ut signum indicantis, quoniam non curantur, & solum ad cognitionem recessus à naturali statu conducunt.

Idem de temporibus morborum affirmant, videlicet, neutriquam indicare ex se curatoriè, nisi ut signum, quatenus significant indicans, & quatenus impediunt, aut permittunt id, quod faciendum

ciendum est; hoc autem non est indicare curatoriè, quia virtus, et si impediatur, aut permittat remedium exercendum, non indicat curatoriè; ergo neque tempora morborum indicant curatoriè; quippe ex se, neque conservationem sui, neque ablationem indicant; ac per consequens non possunt indicare curatoriè, sed solum offendunt intentionem, & prohibent remediij applicationem.

De causa morbi asserunt non indicare curatoriè, sed præcautoriè, quia ex eius ablatione non inducitur immediatè sanitas, sed ex ablatione morbi; cùm ablatio causæ solum respiciat, morbum deficere in futurum, præterquam quòd, cùm possit perseverare morbus, ablata causâ; ideo diversam esse indicationem à causa desumptam docent. Socius tamen noster non solum tenet hanc doctrinam esse veram in causa antecedenti morborum, cujus indicatio est præcautoria, in omnium Medicorum consensu; Verùm in causa coniunctâ; de qua etiam tenaciter affirmat, solum præcautoriè indicare; quia eius ablatio impedit, & præcavet solum futurum morbum, & minimè præsentem. Instatur tamè ab aliquibus hæc assertio, de causâ continente, aut coniunctâ morbi; Et enim eius ablatio curatio est, nõ præcautio, quippe tota morbi sublatio pendet, à semotione causæ coniunctæ, seu continentis, adeo ut morbus nullo alio auxilio indigeat ad sui curationem, & ablationem; præter illud, quo indiget causa: ergo non solum ablatio morbi, verùm etiam causæ ablatio, & depositio curatio est.

Futilem iudicat hanc argumentationem Socius citatus, nam sola propria vera, & formalis curatio est immediata acquisitio sanitatis, sed per ablationem causæ morbificæ, sive antecedentis, sive coniunctæ aut continentis, immediatè, & formaliter non acquiritur sanitas, utpotè sanitas, quæ acquiritur, & inducenda est, nullam immediatam, & formalem oppositionem habet cum causa morbi, sed solum cum ipso morbo; cum quo habet immediatam oppositionem, quasi contradictoriam: ergo sublatio cuiuslibet causæ coniunctæ, non est vera curatio, sed solum præcautio. Nec valet si ulterius respondeat aliquis, præcautionem respicere morbum futurum, at verò causæ coniunctæ, seu continentis ablationem, minimè respicere futurum morbum, sed potius præsentem, ac proinde non esse præcautionem causæ coniunctæ depositionem, sed potius curationem. Non inquam videtur urgere assumptum præfatum argumentum, nam licet causa coniuncta, respiciat morbum præsentem, quem actu causat; tamen per ablationem talis causæ conatur impedire durationem futuram morbi, quâ sublata statim morbum oppositis remediis exterminamus. Vnde ad præcautionem per accidens est, quòd morbus sit præsens, vel non, quia solum respicit ablationem morbi futuram; & idem dicendum iudicat de causa continente, nam per ablationem illius, non tollitur morbus, quia talis causa non habet oppositionem formalem cum morbo, quippe in obstructione impediente influxum, expellitur morbus per communicationem influxus, & non per ablationem causæ. Hæc est opinio nostri Socij.

Contra hanc doctrinam militant plura: nam causa continens morbi solum respicit morbum præsentem: ergo eius ablatio potius dicitur curatio, quam præcautio. Sic Gal. 4. lib. meth. cap. 3. per hæc verba. *Quippe rei præsentis est curatio, eius autem, quod futurum est, providentia;* Sed per ablatio-

nem causæ continentis tollitur morbus præsens, ut ipse fatetur: ergo est curatio talis ablatio, & minimè se habet per accidens præsentia morbi: nam etsi causa continens non opponatur sanitati formaliter, & per se primò, nihilominus eius ablatio est ablatio morbi; quia talis est conditionis causa continens, ut ipsa posita, ponatur morbus, & ipsa ablata auferatur: ergo indicatio, quæ sumitur à depositione causæ continentis est vera curatio: quia est ablatio immediata morbi præsentis, ex qua pullulat sanitas: ergo licet causa continens non habeat oppositionem formalem cum sanitate, illâ saltim habet virtuale: quia ab ipsa dependet morbus in fieri, & conservari, sicut lux à luminoso. Neque illud de obstructione impediète communicationem influxus, aliquid valet: nam si ipsa est causa continens morbi, eâ sublata statim tollitur morbus, & influxus communicatur partibus infra obstructionem existentibus: ergo tollitur morbus per sublationem causæ continentis; ac per consequens, talis causæ ablatio curatio est, & non præcautio.

Neque valet evasio supra adducta, nempe, quòd ablatio causæ continentis est præcautio, quatenus impedit durationem futuram morbi, si nõ demeremus talem causam; & ea ex parte, qua respicit, & impedit futuram durationem dicitur præcautio. Nam contra sic urgeo solutionem: quia præcipuum opus causæ continentis morbi versatur circa morbum præsentem, ut fatetur Doctor citatus: ergo potiori ratione ablatio talis causæ dicitur curatio, quàm præcautio.

Tandè premo altius prædictâ evasionem: nam ablatio formalis morbi, est vera curatio, & ab eo sumitur indicatio curationis, ut incòcussū est apud omnes Medicos. Rursus introductio sanitatis est ablatio formalis morbi immediata: quippe sanitas, & morbus formaliter opponuntur; sed sanitas non solum tollit morbum præsentem, sed impedit ne amplius duret: ergo talis ablatio morbi, quæ sit per formalem, & primariam oppositionem cum sanitate, esset præcautio, & non curatio, & idem de morbo respectu sanitatis currit argumentum. Constat autem ablationem formalem morbi esse veram & legitimam curationem, & non præcautionem præcisè, ea ex parte, qua respicit introductionem sanitatis, tanquam formam immediatè oppositam, oppositione formali, & primariâ, quin ullo modo respiciamus ad causam continentem, à qua immediatè dependet morbus in fieri, & conservari: ergo chimerica est illa evasio, de impediète durationis morbi, si non demeremus eius causam continentem. Denique premo assumptum: nam expulsio morbi secum affert in suo conceptu formali privationem durationis morbi, pro immediata temporis differentia: ergo ablatio causæ continentis, à qua pendet morbus in fieri, & conservari, non poterit dici præcautio: quoniam ipsa ablatio morbi formaliter considerata, sine respectu ad causam, secum affert, in suo conceptu formali pro differentia temporis, immediatè subsequenda, non esse durationis morbi. Chimerica ergo est indicatio præcautoria, quæ sumitur ex ablatione causæ continentis morbum. Nec Gal. 4. meth. cap. 3. & 9. meth. cap. 14. neque 11. meth. cap. 1. aliquid probat pro Socio nostro: nam locis citatis minimè de causa continente nec verbum adducit, ut legenti constabit, sed de antecedenti: de qua quid dicendum sit infra constabit.

Præcipue tamen urget discursus noster ex eo quod docet Gal. 11. meth. cap. 2. citato, in hæcticis, & diariis febribus, solum reperiri veram, & propriam curationem, in putridis autem febribus, quia habent causam, earum curatio prophylactica dicitur; id est præcatoria, à Gal. Hoc argumentum utitur Socius noster. Quo supposito ex hac doctrina manifestè infero, in hæcticis, & diariis febribus, esse præcautionem: nam si non auferatur ipsarum calor, durabit sine dubio utraq; febris dicta, pro differentia temporis immediata: ergo ablatio hæctica, & diariæ febris non est curatio, sed præcautio: patet Consequentia: nam ablatio causæ continentis morbi cuiuslibet dicitur præcautio à nostro socio: quia respicit durationem futuram morbi si non demeretur causa; sed etiam si non demeretur calor febrilis in diaria, & hæctica duraret sine dubio, pro immediata temporis differentiâ: ergo ablatio talium febrium non erit curatio, ut Gal. tenet, sed præcautio. Ruit ergo talis doctrina nostri Doctoris.

Magister noster in suis manuscriptis priusquam præsentem controversiam dirimat, supponit tanquam necessarium investigare, quid sit curatorie indicare, ut inde clarius pateat, quæ sint indicantia, quæ verè, & legitime curatorie indicent, & primò refert Recentioris nostræ scholæ Primarij supra citati opinionem asserentem, curatorie indicare solum dici, quòd curationem indicat, & inde infert solum morbum curari, cum solum ipse morbus curationem indicet, in cuius comprobationem supra adduximus fundamenta.

Contra hanc doctrinam plura adducit Magister. Primò: quia morbus non curatur, sed solum vivens est, quod curatur, quippe solum vivens transit ab statu præternaturali ad naturalem habitum: ergo ob hanc rationem, quia morbus non curatur, non debemus dicere indicare curationem, & proinde, neque curatorie indicare. Deinde: quia non minus transit vivens ab statu præter naturam ad naturalem per ablationem causæ, & symptomatum, quam per ablationem morbi: ergo non solum morbus indicat curatorie. Antecedens probat: præcipue de symptomate, de quo est maior difficultas: nam etsi morbus, & causa auferantur, si permaneat symptoma, neutiquam permanet vivens in statu naturali, quippe perseverat symptoma, à quo afficitur præter naturam, ergo transitus à symptomate in statum naturalem est vera curatio, sicut transitus à morbo in statum naturalem, quâ ratione Gal. cap. 15. lib. 10. meth. prædicavit curationem esse mutationem affectus vitiosi in naturalem habitum. Vbi videtur comprehendere mutationem non solum à morbo, verum etiam à causa, & symptomate, utpotè ratione omnium redditur vivens in statu præternaturam, & ablatis omnibus transit vivens ab affectu vitioso in naturalem habitum. Carterum quòd possit perseverare symptoma absente morbo, & ablata causâ probat, nam ablatâ obstructione faciente morbum Regium, permanet symptoma, nempe color vitiatum, in toto corpore, à quo vivens redditur præternaturam: ergo symptoma indicat sine dubio curatorie, sicut morbus; & causa; quoniam per eius ablationem transit vivens ab affectu vitioso, in naturalem habitum; ac proinde non solum morbus indicat curatorie, verum & causa, & symptoma. Et infert quod morbus non curatur, sed solum vivens: ex eo quod Galen. cap. 15. cit. docet

quod curatio, seu sanatio non est aliud, quam præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum mutatio; ex quo infert: ergo solum curatur, seu sanatur, quod mutatur; atqui solum vivens mutatur: ergo solum vivens curatur; ac per consequens solum vivens prout in statu præter naturam est, curationem indicat; quatenus ablationem illius, quod est præternaturam expostulat, & conservationem eius, quod est naturale, seu secundum naturam; & hac ratione neque morbum curatorie indicare, cum morbus non curetur neque sanetur, sed solum vivens per ablationem morbi, causæ, & symptomatis, & cuiuslibet affectus, qui se habeat ex parte morbi; & valeat vivens denominare, seu constituere in statu præter naturam.

Concludit Magister: quod iudicare curatorie nihil est aliud quam conducere ad determinationem remedij, & ad inventionem ipsius; & consequenter omnia, quæ ad hoc faciunt, curatorie indicare. Et Ratione suadere conatur assumptum: nam id propriè curatorie indicat, quod ex se conducit, ut curatio exsequatur, neque enim apparet aliud caput, unde possimus devenire in curatione indicantis curatorij; sed morbus, causa, symptoma, temperamentum, ætas, consuetudo, aër, regio, anni tempus, Cæli status conducunt ad inventionem remedij, & determinationem eius, ita ut sumptâ eorundem indicatione, curatio perfectè, & debito modo exequatur: ergo omnia dicta curatorie indicant; & quidem de morbo, causâ, & symptomate ex dictis manifestè videtur constare, cum ab illis sumatur indicatio ad inventionem, & determinationem remedij; & de temporibus ipsius morbi, idem probare intendit, ex eo quod tempora sint partes morbi; testificante Gal. 1. aphor. tom. 12. ergo si morbus curatorie indicat: tempora seu partes morbi etiam debent indicare curatorie; ita Gal. 9. meth. cap. 14. ubi tenet ex quatuor febrium temporibus occasionem auxilij desumi; totum quod habet locum, etiam si tempora morborum per causæ mutationem accipiantur, ratione cuius ipse morbus immutatur; nam adhuc ratione mutationis causæ diversa, diversa indicant auxilia, nempe concoquentia, in principio febrium, quod per cruditatem constituitur, & in principio inflammationis, quæ fit per fluxionem, repellentibus medicinis utimur, & in declinatione ipsius inflammationis resolutiva indicantur medicamenta: ergo tempora morbi diversa, diversa indicant remedia, & ad inventionem, & determinationem ipsorum conducunt, ac per consequens, indicabunt curatorie.

Vltèrius de temperamento, & aère, & reliquis supra enumeratis probat indicare curatorie; ex eodem fundamento: quia præcisè ratione temperamenti, sive à natura, sive ab ætate, sive à consuetudine, sive ab aère diversum remedium aut medicamentum applicatur ac applicaretur, ratione eiusdem morbi, si tale temperamentum non esset in parte. Gal. authore 1. 7. met. c. 13. ergo omnia dicta indicant curatorie, cum ad inventionem, & determinationem remedij conducunt; Probat consequentiâ: nam si temperamentum partis (nomine cuius quinque eius indicantia sunt intelligenda) non indicaret ex se curatorie, minimè ratione ipsius immutaretur auxiliū indicatum à morbo; atqui sæpe pars ratione suorum accidentium diversum exposcit auxilium: ergo temperamentum partis indicat curatorie. De aère etiam tanquam indubi

indubitatum asserit indicare curatorie, cum ipsum attemperare conemur, quando ex parte morbi se habet; quia vices gerit causæ foventis morbum; de cuius peculiari necessitate, & prærogativa inter omnes res non naturales, fufius supra egimus ex Galeni doctrina.

De virtute asserit non indicare curatorie: quia minimè conducit ad inventionem, neque ad determinationem remedij, sed solum permittere auxilium à morbo indicatum, aut non permittere, quod non est indicare, quippe à virtute ipsa, nullum insinuat auxiliū; at vero à temperamento, à consuetudine, ab ætate, ab aëre, à causâ & symptomate insinuat speciale remedium, seu auxilium, quod à quolibet ex dictis indicatur, & sic curatorie indicant, sicut & tempora morbi, quoniam sunt partes ipsius morbi, speciale remedium indicant, aut prohibent, aut permittunt; quapropter conducere ad inventionem, aut determinationem auxiliij, dicendum est, & per consequens curatorie indicare, saltem ratione morbi, quæ partes sunt ex quibus morbus constat.

Verior tamè sententia est morbum primò, & per se & principaliter indicare curatorie, quia sicut primò, & per se, & principaliter lædit operationes, sic primò, & per se conducit ad inventionem remedij, seu auxiliij, quo petit sui ablationem, & licet morbus non curetur, ut notavit noster Magister, tamen vivens curatur ratione morbi, quo premitur, & cum morbus indicet, & petat auxiliū primò, & per se, morbus est primarium & principale indicans curatorium; cæterum causa morbi licet indicit curatorie, quia ad inventionem remedij conducit, & ad ipsius determinationem; tamen ratione morbi indicat ablationem, quia ipsa non lædit per se primò, sed ratione morbi, & sic ejus indicatio curativa est veluti secundaria, quippe ejus læsio non est immediata, sed ratione morbi, quem causat; & licet methodo resolutivâ incipiamus ab indicatione causæ, pro curatione morbi; tamen hæc primaria, seu dignitas solum est dignitas ordinis in curatione, minimè verò dignitas perfectionis; nam hæc solum reperitur in morbo; quippe solus morbus primariò & principaliter indicat ablationem, licet id consequamur, incipiendò ab indicatione causæ, quæ non primariò indicat ablationem prioritate perfectionis, sed solum prioritate ordinis, & sic inconcussum manet, solum primariò morbum, & per se indicare curatorie.

Sit secunda conclusio: omnia quæ se habent ex parte morbi, ratione quorum vivens redditur præternaturam, qualia sunt supra assignata indicare curatorie; non quidem primò, & per se, sed secundariò, & mediate; nam ea omnia conducunt ad inventionem, seu determinationem remedij, & exposcunt sui ablationem, non quidem per se primò, sed ratione morbi; hoc est quatenus se habent ex parte morbi, & hæc ratione sui ablationem expostulant, & ad auxiliij inventionem, & determinationem conducunt, quatenus ex vi illorū redditur vivens præternaturam, & per ablationem ipsorum reducitur ad naturalem habitum, etsi curatorie indicant, non per se primò, sed ratione morbi, qui primò indicat ablationem, & est primum, & principale indicans curatorium. Hanc doctrinam exprefit Gal. l. 3. met. c. 9. per sequentia verba. *Quod prima quidem medicationis indicatio à solo sumatur affectu, & remediata tamen inde inveniri nõ posse,*

quasi prius, ad corporum elementa sit ascensum, & ægri temperamentum perpensum, non corporis modo universi, sed etiam affectu particula, cum hoc quoque ambientis temperie aestimata, qua utiq; cum ad præfentes status, tum verò regiones extenditur. Quibus verbis mirificè totam rem exploravit. Cum expressè doceat primam indicationem medicationis sumi à morbo; reliqua verò conducere ad inventionem remedij; ita ut ex omnibus enumeratis compleatur perfecta curatio; ex quo clarè inferitur; ea omnia curatorie indicare, tamen minimè primò, & per se, sed ratione morbi, quippe ea sola indicatio curativa; quæ ab eo sumitur est præstantior, quam reliquæ omnes indicationes, & quæ à causa etiam desumitur; etenim omnes ordinantur in morbi ablationem, tanquam in finem principalem, utpotè in methodo curativâ, in gratiam morbi administrantur omnia auxilia; ergo cum finis sit præstantior, quam ea omnia, quæ in ipsum diriguntur, constat planè indicationem curativâ sumptâ à morbo esse primariâ, & præcipuâ ordine intentionis, & perfectionis: nam ordine executionis in methodo resolutivâ, indicatio, quæ sumitur à sublatione causæ, est prior, ut supra insinuavimus.

Videtur tamen ex dictis virtutem indicare curatorie; etenim virtus conducit ad inventionem remedij, & indicat esse exhibendum, aut non, sicut etiam tempus morbi id facit, etenim in summo vigore esse quiescendum docet summus Dictator, & in principio siquid videtur, movendum: ergo virtus etiam indicat curatorie; in cuius confirmationem audite Gal. l. 9. meth. cap. 13. sic fantem; de modo quo virtus conservari debeat. *Conservari* (inquit) *corrigendo quod alteratum, aut inanium est.* Ex quo videtur inferri virtutem indicare, remedium in curatione. Probatum assumptum: nam ideo morbus indicat curatorie, indicado sui ablationem, quia indicat id, quo est tollendus; sed virtus indicando suam cõservationem, indicat eam, corrigendo alterationem; ergo indicat correctionem, ac per consequens, indicat id, quo est faciendâ correctio; ergo indicat curatorie.

Respondetur virtutem neutiquam conducere ad inventionem remedij, sed tantum permittere auxiliū à morbo indicatum, aut non permittere, quod non est indicare; quippe à virtute ipsa nullum insinuat remediū; cæterum à temperamento, à consuetudine, ab ætate, ab aëre, à causa, & symptomate, insinuantur remedia specialia, & sic ea omnia curatorie indicant, non tamen primariò, & per se primò, sicut morbus; tempus etiam morbi quatenus patis eius est; non solum permittit, aut prohibet, verum etiam indicat speciale remedium, & præcipuè in morbis fluxionis, nam in principio, repellentia indicantur, in declinatione resolventia medicamenta solum conveniunt, præcisè ratione temporis diversi ipsius morbi, etenim morbus ex se unum exposcit remedium; diversificantur verò, per diversitatè temporis ipsius morbi. Ad confirmationem dicimus rectè dixisse Gal. virtutè nõ indicare curatorie, quia remediū non indicat; licet verū sit, virtutè indicare in curatione, quoniã in ipsa indicat, & petit suam cõservationem, & quavis cõservatio consequatur per auxilia, minimè indicatur auxiliū aliquod à virtute, sed ab illo quo virtus permanet, aut destruitur, quod est indicari remediū à morbo, pro cõservatione naturæ: quoniam ratione morbi, destruitur virtus, & sic quado morbus adest, indicatur remediū ab illo, pro cõservatione virtutis, virtus ergo ex

se, & per se solum indicat suam conservationem, quæ licet consequatur, alterando, & corrigendo (ut aiebat Galenus) tamē ipsa virtus minimē indicat remedia alterantia, & corrigētia, sed solum morbus, et si secundariō ex eorum applicatione sequatur virtutis conservatio.

Ex dictis deducitur indicationem sumptā à viribus, quæ vitalis dicitur, esse inter omnes præstantiorem: ratio est, nā illa est præstantior indicatio, à qua vita dependet, sed à viribus pendet vita: Ergo ea est præstantior indicatio. Suadetur assumptū: nam si aliquem morbum exterminare intendimus, qui evacuationem exoptulet, & vires extremē debiles cernantur; tunc nihil erit operandū pro sublacione morbi, quousque vires aliquantulum robustæ appareant, ita ut possint permittere evacuationem. Quapropter vires oculo dextero esse inspiciendas dicitavit Galenus, morbum vero oculo sinistro; ubi videtur præferre indicationē sumptam à viribus; & deinde secundo loco esse considerandā, eam quæ à morbo desumitur, utpote inter omnes res præternaturales, primum locum tenet morbus, deinde ejus causa, & postea omnia ea, quæ se habent ex parte morbi, juxta cujuslibet efficaciam in lædendo; & hinc discēs optimē componi doctrinā Magistri cū nostra asseritione, quippe non negamus, omnia ea, quæ sunt præter naturam, indicare curatorie, sed libenter id fatemur, quia conducunt ad inventionē, & determinationem remedij; Cæterum quod addimus, id negare nemo potest, videlicet, primariam, & præcipuam indicationem curatoria desumi à morbo. Quibus, omnibus admittis, nullum restat solvere argumentū, quod nostræ conclusioni opponatur.

CAPUT VII.

An Generalis indicatio in curandis morbis sit sola contrarietas.

EX dictis constat cum Galeni doctrina quam capite 5. antecedenti adduximus. Dūm de indicationibus egimus, unam esse communem indicationem, & generalem in morbis curandis, nempe contrarietatem. Perpendite Galeni verba, quæ in hunc locum oportet iterum transferre, ut clariūs, quid in præsentī litigio dicendum sit appareat; sic loquitur lib. 9. method. cap. 15. neque enim aliud est ipsa sanatio, quam presentis in corpore, vitiosi affectus in naturalem habitum mutatio: cum autem contrarij hi affectus sint, necesse est per contraria fiat, eorum alterius, in alterum translatio. Atque ita rursus una sola erit curationum maximē generalis indicatio, nempe contrarietas. Ex quibus ultimis verbis litigium oritur inter Authores, & jure optimo dubitatur; An per contrarietatem à Galeno insinuatam, sit intelligenda contrarietas inter morbum, & sanitatem, ratione cujus indicatio curativa sumatur, an verō contrarietas desumi debeat ex oppositione auxilij, seu remedij, quo morbus exterminatur, ita ut generalis morborum curandorum indicatio desumi debeat ex contrarietate, quam importat remedium, cum morbo qui exterminatur.

In qua difficultate Argenterius lib. 2. de Medici officijs cap. 5. Galeni doctrinam adductam acerrimē impugnare conatur, ex ipsius doctrina Galeni, quam adducit lib. 3. meth. cap. 1. ubi ait,

quod absurdum est dicere, aliud esse, quod curationem indicat, & aliud quod curatur. Ex quo infertur sic: quod curatur nō est contrarietas, sed morbus ergo contrarietas nihil poterit indicare in curatione morborum: confirmatur ex natura indicationis, quam superioribus capitibus explicavimus, quippe ipsa est cognitio rei juvantis cum comprehensione nocentis; sed ex contrarietate minimē infertur, quod juvat, nec quod nocet. Quippe contrarietas, nec similia, nec dissimilia exoptulat, ergo contrarietas nihil indicat in morbis.

Secundō Galeni doctrinam debellare intendit ex eo quodquodlibet indicans, aut indicat sui ablationem, aut sui conservationem; sed contrarietas neque indicare potest sui ablationem, cum non sit morbus; neque sui conservationem, cum non sit secundum naturam viventis: Ergo nihil indicat in morborum curatione: Confirmatur à simili; nam à causa externa seu procathartica nulla sumitur indicatio curativa juxta Galeni mentem quoniam nullo indiget auxilio ad sui ablationem: Ergo nihil valebit indicare in morborum curatione.

Tandem suadere intendit idem assumptum; quia unum, & idem profus invariatur, minimē potest esse indicans, & indicatum: sed contrarietas est indicata: Ergo non potest indicare in curandis morbis. Major constat: ex eo quod idem in quantum idem non potest esse morbus, & auxilium morbi: Minor probatur quia per contrarietatem debemus intelligere oppositionem cum morbo: Ergo contrarietas minimē potest habere rationem indicantis: sed potius rationem indicati: seu auxilij, quo morbus debellatur.

Socius noster supra citatus in præsentī difficultate aserit cum altero Recentiori, & Primario nostræ scholæ, olim nostri Archiatri, quod Galenus per contrarietatem minimē intelligit oppositionem inter morbum, & ipsius auxilium, aut remedium, quo morbus exterminatur, sed potius intelligit oppositionem, quæ versatur inter affectū secundum naturam, & præter naturam, hoc est inter sanitatem, & morbum; ex qua contrarietate indicat desumi curativam indicationem in morbis. Cujus ratio est: quia cum prædicti affectus sint contrarij, necesse est ut fiat eorum alterius in alterum mutatio, seu translatio in curatione, à morbo videlicet veluti à termino à quo, versus sanitatem, tanquam in terminum ad quem, vel è contra, à sanitate in morbum: Ergo quando Galenus infert dari unam communem, & generalem indicationem curativam in morbis, quæ est contrarietas, per contrarietatem intelligit eam, quæ versatur inter affectū secundum naturam, & præter naturam, hoc est inter sanitatem, & morbum, & hanc indigere remedio, seu auxilio contrario. Probat, & confirmat assumptum; nam si morbus non esset forma opposita sanitati, minimē esset auferendus: Ergo ex contrarietate, & oppositione, quam habet cum sanitate oritur, quod sit auferendus morbus; qua ratione Galenus lib. de constit. art. Medicæ cap. 12. asserit. medendi methodum & sanorum & ægrotantium corporum habere principium.

Hæc tamen doctrina non videtur mihi vera, neque juxta Galeni mentem: nam indicatio curativa, quæ ex contrarietate desumitur, debet cōprehendi sub definitione indicationis, supra adductæ à Galeno lib. de optim. sect. ad Trasib. quæ est comprehensio juvantis, simul cū comprehensione nocentis; ubi per comprehensionem juvantis intelligimus,

An Generalis indicatio incurandis, &c. 21

intelligimus, cum communi Medicorum consensu, comprehensionem auxilij, quo debellatur, & exterminatur morbus qui tanquam nocens debet comprehendi; sed tale auxilium exterminat morbum, solum per contrarietatem, quam importat cum ipso: Ergo indicatio, seu comprehensio juvantis, ad debellandum & curandum morbum, debet potius desumi ex contrarietate remedij cum morbo, quam ex oppositione morbi cum sanitate.

Suadetur assumptum nam licet inconcussum sit apud omnes sanitatem, & morbum contrariari; tamen non curatur morbus per contrarietatem, quam importat cum sanitate; sed ipsa supposita contrarietate, per auxilium, quod morbo opponitur; & hac ratione indicatio curativa morbi; & comprehensio ipsius morbi, tanquam nocentis, & comprehensio sui contrarij, videlicet remedij tanquam juvantis, & habentis oppositionem, & contrarietatem cum morbo, ideoque morbus curatur per auxilium oppositum, cujus cognitio, seu comprehensio est indicatio curativa morbi, minimè verò comprehensio sanitatis est indicatio ad curandum morbum, licet supponatur sanitas, tanquam morbo contraria, seu opposita dispositio, aut forma: Ergo indicatio, quæ desumitur ex contrarietate ad curandum morbum, formaliter, & præcipuè debet desumi ex contrarietate rei juvantis, hoc est auxilij seu remedij morbo oppositi; non verò ex contrarietate, quam importat morbus cum sanitate, licet hæc supponatur, ut morbus exposcatur sui ablationem tanquam oppositum sanitati: Ex quo clarè intelligitur, quam futilis sit ratio ultima, quam adducit socius noster, ut suadeat proprium placitum. Nam etsi verum sit, quod non curaretur, neque esset auferendus morbus, si non esset forma opposita sanitati; tamen non auferitur, nec curatur per oppositionem, seu contrarietatem cum sanitate; sed per contrarietatem remedij seu auxilij cum morbo, à quo exterminatur, cujus cognitio est indicatio curativa morbi: quia est comprehensio juvantis: Ergo indicatio curativa morborum, per contrarietatem, quam importat remedium exterminativum morbi cum ipso morbo, debet desumi.

Neque prima ratio nostri socij aliquid probat, nam supposita contrarietate morbi cum sanitate, necesse est in curatione morbi, ut fiat eorum alterius in alterum mutatio, seu translatio, à morbo videlicet tanquam à termino à quo, in sanitatem tanquam in terminum ad quem; & è contra; hoc enim est certissimum: Sed inquiri, à quo fit hæc translatio, seu transmutatio eorum alterius in alterum? certè ratione medicamenti, seu auxilij, quod opponitur, & contrariatur morbo, cujus cognitio est comprehensio juvantis, quæ est indicatio curativa morbi, cujus cognitio est comprehensio nocentis: Ergo contrarietas, quam importat indicatio curativa morborum potius desumitur ex contrarietate remedij cum morbo, quam ex contrarietate morbi cum sanitate, licet ratione curationis debeat esse transitus à morbo in sanitatem, & è contra, tanquam à termino à quo, in terminum ad quem.

Et hoc voluit Galenus lib. 9. method. cap. 15. citato ex quo litigium fuit ortum, perpendite, precor, verba supra relata. *Neque enim aliud est ipsa sanatio* (inquit Galenus) *quam presentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum mutatio.* Tunc sic: talis mutatio in naturalem habitum est curatio morbi: sed hæc fit per auxilium appli-

catum morbo contrarium: Ergo indicatio curativa morbi, potius debet desumi ex contrarietate remedij cum morbo, quam ex contrarietate morbi cum sanitate; etenim ratione auxilij exterminantis morbum fit reductio corporis in naturalem habitum tanquam per formam, & minimè ratione alterius contrarietatis. Prosequitur Galenus *enim autem contrarij hi affectus sint, necesse est per contraria fiat eorum alterius in alterum translatio.* Expende obsecro attento animo hæc verba: etenim si per contraria fit translatio morbi in sanitatem, & è contra, contrarietas talis debet compensari inter auxilium, & morbum, ratione cujus fit mutatio, seu translatio eorum alterius in alterum, hoc est ab statu morbofo, seu præternaturali, in statum salubrem, seu naturalem. Patet assumptum, siquidem licet sanitas, & morbus sint contrarij affectus, minimè fit eorum alterius in alterum translatio, ratione talis contrarietatis, sed potius ipsa contrarietas retardat translationem unius in alterum, id est sanationem, & curationem: Ergo si indicatio curativa fit, ratione contrarietatis, per quam fit eorum alterius in alterum translatio; manifestè deducitur, hoc præstari ab auxilio, morbo opposito; unde jure optimo concludit Galenus loco citato *atque ita rursus una sola erit curationum maximè generalis indicatio, nempe contrarietas.* Ex quo inferitur clarissimè nostram expositionem esse juxta Galeni mentem, & magis genuinam, & rationi magis consonam, ut constet ex rationibus à nobis adductis.

Insuper hanc eandem doctrinam illustravit Galenus lib. artis medicinal. cap. 89. ubi asserit. Curationem unam communissimam, ac præcipuam habere intentionem, ob id, quod est dispositioni auferendæ contrarium: sed contrarium dispositionis auferendæ est auxilium, à quo morbus propulsatur, & curatur: Ergo contrarietas in curativa indicatione morbi, debet desumi à remedio, respectu morbi, & minimè à sanitate respectu morbi. Idem testificatur Galenus lib. de constit. art. Med. cap. 12. ubi ait, quod omnium curandorum morborum communissimus, & generalissimus scopus, seu indicatio est contrarium, juxta illud Hippoc. commune dogma: contraria contrarijs remedio esse; ubi de contrarietate auxiliorum cum morbis in indicatione curativa ipsorum loquitur, ut ex contextu patet. Neque alicujus est momenti expositio hujus loci à nostro socio, qui tenet Galenum nõ agere ex professo semper, de curativis indicationibus; quippe hoc est gratis dictum, quandoquidem in ipsius Galeni monumentis expressum est, dum de scopis communibus & generalibus loquitur: igitur præcipua contrarietas in curativa indicatione debet desumi ex remedio respectu morbi, quippe ratione illius exterminatur morbus, & fit translatio ab statu morbofo, in statum sanitatis, & talis translatio, sanatio dicitur à Galeno. Si ergo sanatio fit per contrarietatem auxilij cum morbo, & minimè per contrarietatem sanitatis cum morbo, licet hæc contrarietas supponatur ad curationem; tamen sanatio, & curatio solum fit per alteram contrarietatem, quam importat remedium cum morbo, ut jure optimo, verificetur, indicationis curativæ definitio, quæ est comprehensio juvantis simul cum comprehensione nocentis, ut latè supra explicavimus.

Neque valet si respondeas, quod morbi sublatio oritur ex oppositione & contrarietate, quam importat

portat morbus cum sanitate, quippe si hæc non esset, minimè exposceret morbus sui ablationem, & sic contrarietas inter morbum, & sanitatem est prima, à qua sumi debet curativa indicatio in morbis. Non inquam valet hæc solutio, quam forsitan machinavit noster Socius: nam licet verum sit, quod supponatur contrarietas inter morbum, & sanitatem, quæ si non esset, neque esset morbus, qui exposceret curationem, quoniam morbus refertur ad sanitatem: tamen minimè curatur morbus per illam contrarietatem, licet præsupponatur ad curationem sed potius per remedium seu auxilium contrarium, & oppositum morbo: Ergo potiori jure indicatio curativa morbi desumi debet ex contrarietate cum remedio, seu auxilio morbo opposito, à quo immediatè fit translatio morborum status in sanitatem, quam ex contrarietate morbi cum sanitate, quæ solùm præsupponitur ad curationem, minimè autem per ipsam fit curatio morbi formaliter, sed præsuppositivè & quasi materialiter. Et confirmatur: nam si per possibile aut impossibile daretur morbus lædens operationes viventis, quin daretur sanitas opposita morbo, sine dubio morbus exposceret curationem, per sui contrarium, hoc est per remedium morbo oppositum: Ergo curativa indicatio formaliter, & immediatè desumitur ex contrarietate remedij cum morbo; & minimè ex contrarietate morbi cum sanitate.

Solum restat dissolvere Argenterij argumenta, quæ nullius roboris sunt. Ad primum dicimus admittit Galeni doctrinam lib. 3. meth. cap. 1. citato, ubi tenet idem esse quod curatur, & quod curationem indicat, tamen contrarietas non curatur in abstracto, sed morbus curatur per contrarietatem, quæ importat remedium cum ipso morbo; & hac ratione intelligitur, quòd communis indicatio curativa morbi sumitur ex contrarietate, non quia curetur contrarietas, sed vivens morbosum, per contrarietatem auxiliij debellantis morbum. Ad confirmationem dicimus optimè cum hac doctrina intelligi definitionem indicationis, quippe ex dicta contrarietate comprehenditur juvans, & nocens, ut per se patet.

Ad secundum constat ex dictis: nam licet contrarietas in abstracto non indicet sui conservationem, neque ablationem: tamen morbus indicat sui ablationem per contrarietatem, quam importat auxilium cum morbo. Neque argumentum à simili de causa externa aliquid probat contra nos, quoniam causa externa nullo indiget auxilio ad sui ablationem; at morbus ratione contrarietatis, quam importat cum remedio, indiget ipso ad sui ablationem. Ad ultimum patet solutio: nam licet unum, & idem prorsus invariatur non possit esse indicans, & indicatum; tamen hoc non verificatur in curativa indicatione, quæ sumitur ex contrarietate remedij cum morbo; nam morbus, quia habet oppositionem cum remedio, & contrarietatem, indicat remedium; & insuper remedium ipsum, quia contrariatur cum morbo, est indicatum à morbo: Ergo minimè verificatur in nostra opinione; quod idem & unum prorsus invariatur sit indicans, & indicatum, quia per reciprocam & alternativam contrarietatem, quæ versatur inter morbum, & remedium, quo debellatur morbus, unum est indicans, & alterum est indicatum; unde licet contrarietas sit una, & reciproca; tamen subiectum talis contrarietatis est diversum, alterum

ubi subiectatur forma morbi; & alterum ubi subiectatur forma remedij, & hac ratione unum est indicans, & alterum indicatum, sub ratione unius contrarietatis reciproce, & alternativæ: unde clarè intelligitur, quòd indicatio, sit comprehensio nocentis si referatur ad morbum; & etiam sit comprehensio juvantis, si referatur ad auxilium, seu remedium, quod contrariatur morbo. Quibus attento animo pensatis, constat clarè Argenterij placitum nullius esse momenti.

Restat tamen examinare quâ ratione, aer curationem valeat indicare, cum inter præcipua indicantia à Galeno adducatur, ut supra monuimus; & insuper etiam restat explicare, quomodo aer sub generali indicatione curativa contrarietatis comprehendatur: & ratio difficultatis oritur perfectò ex eo quòd aer potius sit materia remedij quo plurimi morbi exterminantur, aut saltem remittuntur; & ob hanc rationem potius habeat rationem indicati, quam indicantis: si ergo à Galeno inter præcipua indicantia numeratur aer ambiens, minimè poterit habere rationem remedij, seu indicati: quoniam unum & idem non potest esse indicans, & indicatum.

Licet plura de aere supra dixerimus; nihilominus in præsentis litigio, aliqua addemus, ut omnino absolutum, maneat juxta Galeni doctrinam, quam ut veram admittimus. Videtur tamen ex aere minimè posse sumi indicationem curativam in morbis, neque posse comprehendere sub generali indicatione contrarietatis: siquidem aer frequenter est materia remedij, quo utimur in morborum medela, aërem varijs modis preparando, & alterando, ut sit auxilium, seu remedium in morbis. Si ergo est indicatum minimè poterit esse indicans, quia impossibile apparet, quòd unum, & idem possit esse morbus, & ipsius morbi remedium: & sic etiam apparet difficillimum, quòd unum, & idem sit indicans, & indicatum; cum ergo aer sit materia remedij minimè poterit indicare ipsum remedium.

Insuper etiam Galeni doctrina claudicare videtur, nam licet sine aëris consideratione, nec tolli morbus possit, nec sanitas conservari, & hac ratione dicatur à Galeno causa, seu conditio sine qua non, ut supra notavimus, ideoque ab aere sumi indicationem curativam dictavit Galenus, & inter tres præcipuos scopos, aërem numeravit; nihilominus, ob eandem rationem, ex omnibus alijs rebus non naturalibus, quæ necessario nos alterant, & continuo ab ipsis patitur vivens; deberet sumi indicativa curatio; totum quod videtur docuisse Galenus lib. art. medic. cap. 85. ubi nos monet, non minùs esse necessariam continuam passionem in viventi, ex cibo, & potu, ex somno, & vigilia; & ex motu, & quiete, quam ex aere, ita ut sine ipsis, nec morbus possit auferri, nec sanitas conservari; Ergo quemadmodum ex aere docet Galenus sumi indicationem curativam, ita de omnibus rebus non naturalibus, in eandem debet asserere; unde defectuosus, in enarrandis curativis indicantibus præcipuis fuit, aut aer non est indicans in curatione.

Socius noster citatus in præsentis dubio tenet, aërem nullatenus habere rationem indicantis in curatione morborum, quia cum non sit aliud quod curatur, & aliud quod curationem indicat; & aer minimè curetur, infert necessario, quòd aer non possit esse indicans in curatione; addit etiam insuper, quòd quando aer habet temperiem

temperiem morbo contrariam, est materia remedij, si tamen habet temperiem morbo similem non est indicans ut signum, sed solum ut causa quoniam quod indicat, ut signum, nihil pro sui ablatione indicat, sed solam ablationem, quæ à morbo per se indicatur; & cum quando aër habet temperiem similem morbo, sit veluti causa, à qua fovetur morbus; sequitur, quod tunc aër non indicet, ut signum, sed ut causa morbij, sui ablationem.

Nos tamen in præsentia controversia asserimus aërem quandoque se habere ex parte naturæ, seu sanitatis, & interdum ex parte morbij, juxta temperiem, seu alterationem, quam mendicat ex regione, aut cœli statu, aut anni tempore: unde quando habet temperiem morbo contrariam, & similem pro conservatione naturæ habet rationem remedij, seu indicati: Cæterum si habeat temperiem morbo similem, habet rationem verè indicantis in curatione, & sicut omnia ea, quæ se habent ex parte morbij verè in curatione indicant, quoniam sui ablationem ex postulant; etiamsi morbus solum primò, & per se indicet sui ablationem; causa verò secundariò; quia non immediatè, & primariò lædit. Unde quando aër habet temperiem similem morbo, indicat ut signum sui attemperationem: Ergo indicat sui ablationem, hoc est expulsivam caloris tanquam lædentis. quia hujus modi intemperies fovet febrem, seu morbum; & sic neque morbus curatur, sed subjectum morbo apprehensum, & tamen morbus indicans est primariò in curatione: Ergo etiamsi aër non curetur, nihilominus erit indicans in curatione ut signum: ut pote indicat aliquid pro sui ablatione, hoc est pro ablatione intemperiei foventis morbum, qua præditum est, & cum possit talis intemperies perseverare, adhuc ablata causa interna morbij, quæ sine dubio exposceret sui ablationem; firmiter censeo aërem calidum præter naturam indicare ut signum in curatione febris; quoniam aliquid pro sui ablatione indicat, & licet primariò indicetur à febre; nihilominus non tollit, quod indicetur à aëre, quia talis intemperies ex parte morbij ita se habet, ut jure optimo morbosa possit nominari, etiamsi habeat alteram considerationem causæ morbificæ, quatenus subjectatur in aëre; & hac ratione non est dubium, quin indicet in curatione, tanquam causa morbij sui ablationem secundariò, ut supra latius probavimus. Præterquam quòd inseparabile est in aëre habente similem temperiem cum morbo indicare ut signum ipsius morbij, & indicari ut causam morbij: nam quomodolibet quis concipiat aërem calidum in febris curatione, semper attendere debet Medicus Rationalis ad applicandum auxilium, quòd opponatur aëri calido, ipsum attemperando, independenter ab indicatione curativa, quæ debetur causæ morbificæ: Ergo etiam si aër calidus non consideretur, ut causa febris, sed ut signum petit sui ablationem; quòd sufficiens est, ut aër sit verum indicans in curatione, quando habet similem temperiem cum morbo, & etiam quando consideratur ut causa morbij. Si tamen temperiem habeat aër contrariam morbo, sine dubio habet rationem remedij & indicati; torum quòd satis clarè manifestavit Galenus 9. lib. method. cap. 14. per sequentia verba: *Sanè ambiens si contrariam morbo temperiem*

habet, è præsidiarum numero unus est, sin similem agitudinalium causarum unus est, ergo ut diximus (concludit Galenus) ambiens rationem modo materie sanantis, modo cause morbum foventis habet. Hinc discas, quòd cum febris exposcat refrigerationem & humectationem pro sui ablatione, si aër sit frigidus, & humidus, habebit sine dubio rationem sanantis, seu remedij, seu indicati; at vero si aër sit calidus inter causas febris est numerandus, quoniam ipsam fovet, aut auget, & sic tunc indicat in curatione, sui ablationem; quemadmodum quælibet alia causa febris, seu morbij, eâ ratione, quâ supra docuimus.

Solum restat solvere dubiola in contrarium posita. Ad primum dicimus, nullum esse inconveniens, quòd unum, & idem per diversos respectus habeat rationem indicantis, & indicati, & cum aër interdum habeat temperiem similem morbo, & quandoque similem naturæ; nihil mirum quòd si habeat temperiem calidam, & morbus sit febris, tunc habet rationem indicantis, quippe tunc se habet ex parte febris, ipsam fovendo, & habet rationem causæ, & sic indicat sui ablationem, seu attemperationem: Cæterum si habeat aër temperiem morbo contrariam, & similem naturæ, tunc quidem aër habebit rationem auxilij, seu remedij, quo propulsatur morbus; unde licet aër sit unus secundum substantiam, tamen juxta varias alterationes, quas patitur, per variam temperiem, quam participat, modo habet rationem sanantis, modo verò rationem agentis morbum, & sic interdum est indicans, & interdum indicatum.

Secundum argumentum adductum solvitur si dicamus, diversam rationem militare de aëre; ac de reliquis rebus non naturalibus: nam ab aëre continuo, & necessariò nos alteramur, imò inevitabiliter, & continuo aërem inspiramus, & expiramus citra voluntatis arbitrium; & hac ratione solus aër habet rationem conditionis sine quâ, nec potest debellari morbus, nec recuperari sanitas; at omnes aliæ res non naturales, minimè sunt simpliciter necessariae pro vitæ conservatione, nec pro morborum expulsionem: quippe plures sunt morbij, qui sine cibo, aut potu, somno, aut vigiliâ, motu, aut quiete, medentur, & mitigantur, nec continuo utimur cibo, aut potu, vigiliâ, aut somno, sed pro voluntatis arbitrio, ex quo planè infertur, aëris alterationem esse omnino inevitabilem, secus verò eam alterationem, quæ ab alijs rebus non naturalibus fit. Merito ergo aër habet specialem dignitatem & prærogativam, in curandis, morbis, & in conservatione sanitatis, quare ab eo sumi indicationem specialem in curatione dicitur Galenus.

CAPUT VIII.

Utrum tempora morbij indicent in curatione.

CAPITE sexto superiori aliqua de temporibus morborum tetigimus, dum de indicantibus incuratione egimus; quia tamen obiter ibi hanc rem proposuimus, specialiter in hoc capite examinare oportet an à temporibus morborum sumatur curativa indicatio. Et ut certa ab incertis separemus, supponendum est

est non esse sermonem de tempore morbi secundum physicam considerationem, secundum quam in suo intrinseco conceptu solum dicit esse numerum motus, secundum prius, & posterius, & hac ratione certum est nihil in curatione indicare. Ulterius etiam advertendum est tempus morbi posse accipi, & considerari pro tota morbi constitutione, seu duratione, in qua acceptance longitudinem, aut brevitatem morbi significat, quæ speciale auxilium ultra id quod morbus exposcit absolute, minimè indicat; sed solum Medici considerationem ad servandas vires, ut possint perdurare usque ad morbi solutionem, quæ ex vi auxiliorum à natura consequitur, sic Galenus 4. method. cap. 5. de ulcerum diuturnorum curatione loquitur, *ac signum quidem vitiosi succi est ipsa ulcerum diuturnitas, inventio autem ejus quod expedit, non ex diuturnitate, sed ex succi vitio suggeritur.* Et tandem est notandum morborum tempora non esse consideranda per dies plures, aut pauciores, sed ratione diversarum mutationum sensibilium, quæ in morbis reperiuntur, tum in ordine ad accidentia, tum etiam in ordine ad mutationem causæ morbificæ, & hac ratione in morbis quatuor tempora distinguimus, quæ sunt principium, augmentum, summus vigor, & declinatio, ex quibus tota morbi curatio, seu constitutio completur.

His ergo prælibatis litigium est utrum à temporibus morborum in hac ultima consideratione pensatis, sumatur vera curativa indicatio, ratione diversæ mutationis, quam in ipsis patitur morbifica causa, nec non etiam ratione accidentium, quæ ad ipsam causæ variationem, seu alterationem sequuntur, in morbis materialibus, sub quibus etiam comprehendimus morbos, qui à fluxione dependent, & inter tumores, seu inflammationes, numerantur: de quibus omnibus procedit, præsens controversia, an scilicet à diversis morborum temporibus sumatur vera curativa indicatio.

In qua difficultate Socius noster supra citatus in suis manuscriptis asserit, minimè à temporibus morborum sumi indicativam curationem, Hanc conclusionem suadere intendit, unico, & suo videri efficaci fundamento: nam quodlibet indicans debet indicare, aut sui conservationem, aut sui ablationem, sed morborum tempora neutrum indicant: Ergo absolute non indicant in morborum curatione: minorem probat per partes, & primò quod morbi tempora non indicent sui conservationem; ex eo patet, quod sint præter naturam respectu viventis, sed quidquid præter naturam est minimè potest postulare sui conservationem; Ergo: secundam partem assumpti in quo stat tota difficultas intendit validare sic; quoniam tempora morbi non indicant sui ablationem, quippe hoc debet fieri per contrarium: sed nihil contrarium applicamus in curatione respectu temporum morbi: Ergo neutriquam sui ablationem possunt indicare. Secundam minorem probat; quia tempora ipsa, cum sint quædam motiones causarum, aut ipsius morbi, ad has auferendas nunquam directè & per se primò, auxilia, seu remedia applicamus, neque illa, quid faciendum sit unquam docent; solum enim possunt esse effectus, aut signa eorundem, quare ut signa tantum valebunt demonstrare ea quæ facienda sunt, aut quid

fieri non expedit impedire, id tamen quod impedit nequaquam dici potest indicare; siquidem vires languidæ impediunt sanguinis missionem, & ex eo minimè dicuntur indicare sanguinis missionem; ac per consequens licet morborum tempora aliquando impediunt remediis executionem; non tamen ob hanc rationem dicuntur indicare auxilia, seu remedia: his clauditur totum fundamentum nostri Socii.

Verior opinio est, tempora morbi verè, & propriè indicare curationem; quam capite 6. hujus tractatus insinuavimus; & specialiter in præfenti eam validare conabimur; tum ex impugnatione contrarij fundamenti, tum etiam peculiari rationibus desumptis ex Antiquorum monumentis. Et primò validatur nostra assertio ex Hipp. 2. aphor. text. 29. per illa verba *incipientibus morbis, si quid tibi videtur movendum move, &c.* Cæterum ut argumenti nostri robur agnoscas, perpende obsecro Galeni verba in expositione aphorismi citati. *Aliorum ergo morborum in quibus salutis agri sit spes aliqua, per initia danda est opera, ut majora adhibeantur remedia, nam de his morbis dicebat Hippocrates, si quid movendum videatur, move. Præcipua autem in his remedia sunt, maximè quidem phlebotomia, nonnunquam verò expurgatio, quorum neutrum in vigore venis usurpandum.* Ex his planè constat, juxta Hippocratis decretum, principium morborum indicare remedium, quippe ipsum conducit ad inventionem remedij, & ad determinationem ipsius, hoc autem indicare curatoria est; cum autem præcipua remedia, quæ in arte medica exercentur, sint sanguinis missio, & expurgatio, quibus morbi exterminantur, & ipsorum medela consequitur, & hujusmodi auxilia specificentur à Galeno in principiis morborum exercenda, videtur sine dubio, tempora morbi indicare in curatione.

Si respondeas sanguinis missionem, aut expurgationem, quæ in principiis morborum exerceri debent, non indicari ab ipso tempore morbi, sed potius ab ipso morbo, qui exposulat unum, aut alterum remedium. Contra instatur solutio: quia principium morbi, seu ipsius primum tempus, est pars morbi prima: Ergo tempus illud morbi, indicat ablationem, ut pars integrans morbum, & connotans ipsum morbum, ea occasione in qua debemus uti auxilijs majoribus ad exterminationem morbi: Ergo quod tempus morbi sit occasio idonea, in qua exerceri debet remedium, tutò, & securius, non tollit quod à tempore morbi sumatur indicatio curativa pro ipsius medela, juxta morbi correspondentiam ad suum principium. Confirmatur assumptum; quia ita se habet morbus cum suis quatuor temporibus, ex quibus componitur, seu tota ipsius constitutio integratur, sicut totum quodlibet physicum, cum suis partibus, ex quibus componitur, seu integratur; sed quodlibet compositum physicum, & naturale, non distinguitur à suis partibus simul sumptis, & unitis: Ergo quidquid verificatur de toto, verificabitur de omnibus partibus; sed morbus constituitur ex quatuor temporibus, tanquam ex partibus integrantibus ipsum: Ergo si à morbo sumitur curativa indicatio, etiam ab omnibus temporibus morbi, debet desumi, & à quolibet tempore, cui correspondet pars morbi; quæ non dubiè est præter naturam viventis, & exposcit ablationem

ablationem per auxilia correspondentia tali tempore morbi : Ergo est verum dicere morbum in principio indicare, aut sanguinis missionem, aut expurgationem, pro sui exterminatione, & non in summo vigore, in quo oportet quiescere : Ergo à tempore morbi sumitur indicatio ad inventionem, & determinationem auxilij : Quippe occasio idonea in tempore aliquo, seu parte morbi, non distinguitur ab ipso morbo, pro ut in tali tempore ; sed morbus quando est in principio indicat curatorie : Ergo prout est in principio indicat curatorie ; sed prout est in principio connotat tempus in sua intrinseca entitate : Ergo à morbo prout in principio indicatur auxilium magnum : ac per consequens à tempore morbi indicatur curatio morbi, prout in tali tempore est constitutus morbus.

Fulcitur ulterius idem assumptum : quia tempora morbi constituuntur per mutationem diversam causæ morbificæ ; sed indicatio, quæ desumitur à causa morbi, est curativa, ut supra monuimus, & probavimus juxta communem Medicorum consensum : Ergo indicatio, quæ desumitur à temporibus morborum est curativa proprie, & in rigore : patet ultima consequentia, tempora morborum involvunt necessario mutationem, & alterationem causæ morbificæ ; juxta cujus diversitatem diversa tempora cernuntur in morbis materialibus, ut inconcussum apud omnes est : Ergo tempora morbi intrinsicè important variam mutationem talis causæ morbificæ ; sed per variam mutationem talis causæ variantur remedia : Ergo tempora morbi movent Medici considerationem, ut modo hæc auxilia, interdum alia exercentur, & quandoque ab omnibus cesset ; sed hoc est conducere ad inventionem, & determinationem remedij : Ergo à temporibus morborum sumitur indicatio curativa.

Premitur discursus ; nam morbus semper est unus, & indicat sui ablationem primario ; & unum exposcit remedium : ideoque ab ipso sumitur prima, & præcipua curativa indicatio ; sed non semper & in omni tempore indicat remedium : sed solum in principio : Ergo morbus prout in principio exposcit remedium ; ac per consequens principium morbi indicat remedium, & determinat remedium ; cum reduplicatio illa prout in principio connotet tempus tale morbi formaliter, à quo determinatur remedium : Ergo principium morbi indicat curatorie.

Clarius tamen premitur assumptum, in morbis pendentibus à fluxione, seu inflammationibus ; in quibus in principio morbi repellentia auxilia indicantur : in augmento repellentia simul ; & resolventia, & tandem in declinatione solum resolventibus utimur ; sed talis variatio, in remedijs localibus solum desumitur ab ipsis temporibus morbi, & non absolute ab ipso morbo, sed prout est in principio, aut augmento, aut declinatione : Ergo tempora morbi indicant curatorie ; quippe ab ipsis devenimus in cognitionem auxilij, quod debetur, ad exterminationem morbi, & ipsius causæ, ut per se patet.

Cæterum ad fugiendam vim nostræ fundamenti, nec non etiam ad dissolvendas rationes, quæ pro nostra opinione militant, Socius noster supra citatus distinguit in morbis materialibus tempora ipsa morbi, & tempora auxiliorum ; nam tempora morbi sunt motiones quædam cau-

farum efficientium morbos, quæ cum sint quatuor, quatuor etiam erunt tempora morbi, quæ communiter ab omnibus referuntur ; Tempora verò auxiliorum dicuntur, quæ ad ipsorum applicationem sunt opportuna, & tunc opportuna indicantur, quando adsunt postulantis, & nullum est prohibens : Porro quod istæ duæ temporum differentie inter se distinguantur, & separentur, intendit suadere ex Galeno quia juxta Hippocratis doctrinam secunda sect. aphor. citat. in aliquo tempore morbi auxilia applicamus, & in altero cessare expedit, sic in principio morbi aut venam secamus, aut expurgamus ; in summo autem rigore, seu statu morbi quietem potius commendamus & ab omni auxilio cessamus : Ergo tempora morbi sine temporibus auxiliorum inveniuntur, ac proinde hujusmodi tempora distinguuntur.

Uterius idem assumptum fulcire intendit ; quia multoties dantur plura tempora auxiliorum sine aliquo tempore morbi ; imo & absque aliquo morbo ; quando videlicet sanguinem mittimus, aut expurgamus præcautionis gratiâ : in quo eventu est tempus auxiliorum nullo existente morbo. Et tandem probat idem assumptum, ex eo quod in unico tempore morbi sint plura tempora auxiliorum, utpote in eodem principio multoties sanguinem mittimus, & expurgamus ; & è contra in duobus, aut pluribus temporibus morbi, est unicum tempus auxilij, quando scilicet in principio, & augmento solum sanguinem mittimus : Ergo si in unico morbi tempore sunt plura tempora auxiliorum, & in pluribus morbi temporibus est unicum tempus auxilij, planè hæc tempora inter se distinguuntur, ita ut aliud sit tempus morbi, & aliud tempus auxilij.

His ita prælibatis concludit, & asserit tempora auxiliorum non esse indicantia, neque ex ipsis aliquid utile posse demonstrari, atque adedò tempora auxiliorum potius rationem remedij, & indicati habere, quoniam sub eisdem idoneo usu continentur : etenim tempora auxiliorum desumuntur ex presentia postulantis, & absentia prohibentis, & cum ex ipsis temporibus in cognitionem remedij deveniamus ; ideo rationem habent indicati, & non indicantis, quare tempora auxiliorum indicata sunt, & minimè indicantia.

Porro licet admittamus distinctionem formalem inter tempora morborum, & tempora auxiliorum, ut Galenus insinuavit ; & quia morborum tempora præcisè constituuntur per diversam mutationem, & alterationem causæ morbificæ, ut supra monuimus : & tempora auxiliorum solum per opportunitatem ad exhibitionem remediorum, seu ad ipsorum executionem ; totum quod desumitur ex presentia postulantis, & absentia prohibentis, quod quid diversum est à mutatione diversa, & alteratione causæ morbificæ. Nihilominus superfluum judico hanc distinctionem, ut probet ex temporibus morborum nullam sumi indicativam curationem : quippe tempora ipsa diversa indicant, & exposculant auxilia, ut supra probavimus, & hoc independenter ab opportunitate auxilij, cum exhibitio ipsius dependeat ex absentia prohibentis : Ergo distinctio inter tempora morbi, & auxiliorum minimè probat, neque conducit ad suadendum à temporibus morborum non sumi indicationem curativam.

Neque ex rationibus, quas adducit Socius colligitur distinctio inter talia tempora, siquidem tempora morbi sunt tempora auxiliandi, sive cessandi ab auxilio, quæ cessatio reputatur tanquam auxilium medicum, etiam si privativum sit; quo fit, ut nullum tempus morbi detur sine auxilio sive privativo, sive positivo; & cum tempora sint quatuor; in principio, & augmento sanguinem mittimus, imò, & in statu ad mitigandum incendium, sæpe venam secamus & potionibus frigidis utimur; & in declinatione expurgamus: ergo nullum datur tempus morbi, quod non sit tempus auxiliandi, sive per sanguinis missionem, sive per expurgationem, sive cessando à remediis: quippe majoris artis est cessare dum expedit quam facere opportuna dictante nostro Vallesio; & interdum nullum est majus medicamentum, quam nullo uti medicamento Aucthore Galeno: ergo non separantur tempora morbi à temporibus auxiliorum. Neque dantur tempora morbi absolutè, sine temporibus auxiliorum; etsi in aliquo tempore morbi aliqua adhibeantur remedia, quæ in alio tempore non adhibentur, aut non ita securè ad ministrantur.

Uterius ex eo quod in precautionem aliqua adhibeantur remedia, non sequitur sine morbo adhiberi, & sine aliquo ipsius tempore; quia licet non sit morbus actualis, est morbus imminens, quod sufficit, ut in ejus principio adhibeamus auxilia, quæ præcautoria dicuntur, in ordine ad exterminandum morbum imminens, qui exposcit auxilia in principio; hoc est eo ipso quod timetur, & imminet. Neque ex eo quod in unico tempore morbi, hoc est in principio, sæpe sanguinem mittimus, & interdum expurgamus, & in pluribus temporibus morbi, hoc est in principio, & augmento unico utimur auxilio, nempe venæ sectione; infertur distinctio inter alia tempora: nam tunc est unicum tempus auxiliandi, sive per sanguinis missionem, sive per expurgationem. Et similiter, est tempus sanguinem mittendi, sive in principio morbi, sive in augmento; ex quo constat non dari tempus morbi sine auxilio sive simili, seu dissimili, quod non arguit distinctionem. Non ergo ex argumentis socij colligitur distinctio inter tempora morbi, & tempora auxiliorum.

Insuper quod minus placet est id, quod asserit de temporibus auxiliorum, nempe, quod potius sint indicata & habeant rationem remedij, seu auxilij, etenim priusquam adhibeatur auxilium pro morbo exterminando, intelligitur tempus opportunum auxiliandi: ergo tempus opportunum potius se habet ex parte indicantis, quam indicati; quippe tempus opportunum est occasio præceps, ut exerceatur remedium non ipsum remedium, quod est indicatum à morbo, & ab ejus causa: occasio verò minimè habet rationem remedij, quandoquidem per occasionem neutiquam exterminatur morbus, sed per auxilium, etsi occasio dispositivè conducat, ut remedium tutius exhibeatur, quod commune est etiam temporibus aliquibus morbi, in quibus tuto exercentur remedia; & non ideo tempora morbi sunt indicata, sed potius habent rationem indicantis in curatione, ut supra ostendimus.

Quare in hac re auderem dicere, quod licet tempora morbi, à temporibus auxiliorum for-

maliter distinguantur ut supra insinuavi; attamen realiter non distingui, mihi persuadeo; ex eo quod tempus morbi realiter est tempus auxiliandi, sive per sanguinis missionem, sive per expurgationem, juxta diversam mutationem causæ à qua tempora diversa morbi desumuntur, sive per motum peculiarem causæ morbificæ, ratione cujus is augetur; sive per nimiam ejus copiam à natura insuperabilem. Quæ ratione in principio morborum utiliter sæpe numero expurgamus, crudà omnino existente materià: ergo realiter loquendo tempus morbi est tempus auxiliandi, & pro diverso tempore morbi diversa auxilia exercemus, juxta alterationem, seu motum materiæ, sive ipsius copię, ratione quorum tempora ipsa morbi dicuntur opportuna, ad executionem remediorum, seu ad cessationem ipsorum (quod suo modò operari oportuno est) non ergo realiter distinguuntur prædicta tempora, neque ex eo quod in aliquo tempore morbi complicitur aliter affectus, qui contraindicet remedium, aut ipsum non permittat, tollit quo minus ipsum tempus morbi ex se sit tempus auxiliandi, quippe accidentale valde est, quod sit contraindicans aut prohibens remedium, quod aliàs exerceret tutò, si impedimentum abesset. Ergo ex se tempus morbi est occasio opportuna auxiliandi hoc aut altero auxilio, prout indicatum fuerit vel à morbo, vel à causa, aut ab ipso tempore morbi.

Ratio verò in contrarium adducta nullius roboris est, siquidem tempora morbi sunt præternaturam, & hac ratione sui ablationem ex postulare debent, non quidem per auxilia contraria tempori, præcisè quatenus tali, sed per auxilia contraria morbo, prout in tali tempore; Vnde quando applicamus auxilium aliquod in principio morbi, (exempli gratià) hujusmodi auxilium non contrariatur tempori, sed aut morbo ipsi, aut causæ morbificæ prout in tali tempore, quod præstat opportunitatem, & securitatem, ut exerceatur; imò & indicat tale tempus morbi tale remedium; quoniam conducit ad ejus inventionem, & determinationem; quin ob hanc rationem requiratur contrarietas cum tempore ipso, præcisè quatenus tempus est, sed quatenus connotat morbum, tanquam principale indicans in curatione, & cum tempora morbi sint partes integrantes morbum, & per consequens sint præternaturam viventis, indicantur curationè, quatenus se habent ex parte morbi, & sic per auxilia opposita morbo simul exterminantur, etiam si non habeant immediatam, & legitimam contrarietatem cum auxiliis medicis.

CAPVT IX.

De natura coindicantium impediendum, contraindicantium, & correputantium, in curatione.

DE natura indicationis, quæ primum locum obtinet in morborum medela, latè egimus, superioribus capitibus; ceterum quia ad morborum exactam curationem, alia plura inter sunt, ex quibus perficitur curatio, tum coadjuvando, tum etiam impediendo, quæ omnia

Cap. IX. De natura coindicantium, &c. 27

nia cordatus Medicus ad unguem expendere debet; idè de omnibus in presenti capite agendum est, ut completam adquiramus notitiam pro auxiliorum exhibitione: siquidem in affectibus, & in laborantium corporibus, contraria frequenter se offerunt, quorum, quæ potiora, & digniora sunt, & ad indicandum validiora eligenda, ab eisque sumptâ indicatione aliis non neglectis, omne licet aggredi officium.

Interea verò, quæ conferunt cum prima, & præcipua indicatione, ad inventionem utilis, & adæquati remedij, alia dicuntur coindicantia, alia conraindicantia, alia correpuignantia, & tandem alia dicuntur impediens executionem auxilij utilis, & convenientis; quorum omnium naturam in præsentî capite brevi calamo describere est necesse. Et à coindicatione initium sumentes; dicimus ipsam ex parte indicationis se tenere, & re verâ esse causam, quæ indicationis principalis, & primæ vim & efficaciam auget; exempli gratiâ si quis plenitudine prematur, ea sine dubio sanguinis missionem exposcit, & indicat; cæterum si cum plenitudine, jungatur corporis habitus robustus, vim auget plenitudini indicanti venæ sectionem: & hac ratione coindicare tale auxilium dicitur; Vterius etiam præcedens victus ratio indicationi adductæ consentit, veluti si quis moderato deditus exercitio; plurimo utatur alimento, coindicat sanguinis missionem; augendo vim primæ indicationis.

Sunt etiam ex parte coindicationis aliæ plures causæ, quæ licet non coindicent toto rigore sanguinis missionem, ipsam tamen tollerari faciliorem efficiunt, hujus generis sunt ætas, quæ etsi sua sponte venæ sectionem non exposcat, ipsam tamen facilius ferre efficit; si florens sit, anni etiam tempus, cœli status, & regionis conditio idem præstant beneficium: eiusdem generis est consuetudo; quæ licet non indicet in rigore auxilium; tamen ex assuetudine facit, ut quæ graviora sunt facilius ferat natura; quapropter dum omnia hæc ad sanguinem mittendum, aut alia conductentia ad quodvis auxilium exequendum in unum coeunt, sine dubio profuturum esse, & tuto fieri posse commonstrant; si autem unum, aut plura deficiunt, tantò magis peritescere æquum esse; quantò plura ex dictis defuerint; ut si quis egeat evacuatione, habitu corporis existente gracili, vitâ parçâ, & laboriosa, suspicari oportet vacationem non ita profuturam, præsertim si fiat per sanguinis missionem, etsi affectus ex plenitudine procedat; etenim vitæ parsimonix, & corporis habitui aliquid semper est condonandum, aut saltem si affectus plurimum urgeat, non quidem detrahendum quantum exoptulat, sed parum infra subsistendum.

Coindicantia primò, & per se, sed simul cum alio indicare, tenet Socius noster supracitatus. Rationem adducit; nam si ea, quæ coindicant, seorsim, & non simul cum alio inveniantur absolute indicantia essent; adducit exemplum in ætate puerili, quæ victum humidum tanquam similem indicat, & si simul cum febre coniungatur coindicans dicitur, quia simul cum febre, quæ sicca passio est per se primò talem victum exoptulat, unde infert coindicantia per se primò indicare, etsi simul cum alio indicent.

Fallitur tamen Socius, licet in re parvi momenti;

nam coindicare supponit necessariò aliam primam indicationem pro famosiori: ergo coindicatio in suo conceptu formali, non indicat primò, & per se, sed consequenter ad aliam primam. Itaque in febre, quam medicare incipimus victus humidus convenit indicatione primâ, & principali desumptâ à febre, quæ si coniungatur cum ætate puerili, ipsa ætas, quæ ex sua natura humida est, auget vim indicantis primi: ergo licet puerilis ætas absolute indicet victum humidum tanquam similem pro sui conservatione, non tamen in dicto casu primò, & per se indicat; quia si febris coniungatur cum alia qualibet ætate, semper imperandum est victus humidus, qui omnibus febricitantibus competit, ex Hipp. decreto; ac per consequens prima, & præcipua indicatio pro exhibitione victus humidi, semper desumitur à febre, tanquam à primo indicante; unde ætas puerilis tunc auget vim primæ indicationis, non tamen primò indicat, sed coindicat, quod non est primò indicare; etenim, qui curat febrim, primò, & principaliter imperat victum, & auxilium petitum à febre, tanquam à præcipuo indicanti; secundariò verò respicit ætatem augmentem vim primi indicantis, & sic coindicatio in suo conceptu formali, non indicat primò, & principaliter, licet verè indicet in curatione.

De conraindicacione existimant plures ex Neotericeis nihil aliud esse quam impedimentum eius, quod ab indicatione monstratur; ita ut si alicui accidat morbus ex plenitudine, natura causæ indicat sine dubio evacuationem, virtus tamen debilis, auxilium tale impedit; quod quidem impedimentum conraindicacionem appellant. Falluntur tamen aperte; siquidem aliud est revera conraindicare, & aliud quidem impedire: nam conraindicatio non est id, quod impedit, sed potius est id, quod contrarium iubet ei, quod ab indicatione monstratur: itaque si adsit indicatio mittendi sanguinem; conraindicatio legitima & vera erit, quæ repletionem alimenti, seu refectionem indicat: quippe contra sunt replere, & vacuare. Vnde tota conraindicacionis natura, in eo stat, quod omninò contrarium est ei, quod ab indicatione proponitur; ut si indicatio refrigerationem proponat, conraindicatio excafactionem, & sic militat ratio de aliis, inter quæ est vera contrarietas; at inter vacationem & virtutem nulla versatur contrarietas, licet virtus evacuationem impediatur, ex quo licet colligere, conraindicare aliud esse, quam impedire; ut ex dictis clarissime constat.

Correpuignantia dicuntur ea omnia, quæ vim augent & efficaciam contra indicationis, & quæ è directo opponuntur coindicantibus, nam si quis eo affectu corripiatur, qui expurgans medicamentum exoptulet; mox conraindicatio erit ad huiusmodi evacuationem, si sudor dissipans tale corpus obsederit; cui etiam vim contra indicandi auget ventriculi natura, qui adèò assumptis medicamentis horret, ut nulla modo admittere queat, quæ tamen ventriculi conditio minimè contrariatur evacuationi, quæ fit per expurgans medicamentum, sed ei correpuignant, & vim atque conraindicacionis, cui etiam correpuignantia plura alia addere oportet, quæ licet verè non correpuignent, se tamen ex parte conraindicacionis tenent; ut

anni tempus, iuxta illud Hipp. sub cane, & ante canem medicationes difficiles, & illud etiam eiusdem Authoris, sana habentes corpora, medicationes difficile ferunt, quæ omnia etiam si sua sponte non contraindicent, modum tamen quendam observant in correptione, quæ licet non augeant vim contraindicationis, moderantur tamen vacationem ipsam, nam licet anni tempus nihil habeat, quod vacationi repugnet: ponit tamen naturæ certum quandam modum cuius ratione, plus, aut minus vacuare decet: etenim si quævis vacuatio pro naturæ viribus fieri debet, & has quidem anni tempus, quodammodo augeat, tunc tempus cōindicare dicitur; aut minuit, & eo tempore correptione: ex quibus manifestè constat, quid propriè sit contraindicatio, & qua ratione eius vires augeat correptione; & inter ea, quæ licet videantur correptione; rigorose quidem & verè non correptione, sed quantitatem metiuntur vacationis.

Ex dictis licet colligere valdè differre inter se contraindicantia, & impediencia, quippe contraindicantia verè, & propriè aliquid indicant; cæterum quia id ipsum, quod indicant, oppositum est respectu alterius, quod ab alio indicante exposcitur, idè dicuntur contraindicantia, & per ablationem alterius indicantis fiant propria, & positiva indicantia; ea verò dicuntur impediencia, quæ ex se nihil indicant, nec aliquid eorum, quæ facienda sunt demonstrant, sed solum impediunt, quæ ab indicante facienda demonstrantur: sic accidit, quoties est plenitudo, aut humorum redundantia, sanguinis missionem exposcens, & indicans; si forsan vires debiles appareant, quæ tale auxilium ferre non permittant, dicuntur sanè impediencia, minimè verò contraindicantia, è contra verò si vires validæ appareant, permittunt venæ sectionem, non tamen ipsam coincident; quapropter diversum valdè est impedire, à contraindicare, & permittere à coincidere.

Galenus tamen lib. 1. de ratione vict. text. 45. videtur contrarium docere per sequentia verba. *Hoc enim loco, remedium indicationem à corporis affectione accipiet, simulque vires considerabit, non ut quæ usum remedium unquam indicent, sed ut quæ, contraindicent, atque interdum prohibeant.* Ex quibus Verbis videtur Galenum affirmare vires contraindicare remedium executionem. Cæterum Galenus minimè fatetur veram contraindicationem reperiri in virium defectu ad remedium executionem; quippè in ipso contextu, vires minimè usum remedium unquam indicare fatetur; cum ergo contraindicare, sit verè indicare, ut supra monuimus, deducitur infallibiliter vires nunquam contraindicare, nec contraindicantia dici, nisi largà, & impropriâ significatione, in qua confundantur contraindicantia cum impediencia, ut forsan aliqui Recentiores voluerunt; in qua significatione forsan etiam loquitur Galenus lib. de sanguinis missione cap. 13. per sequentia verba. *Morbi itaque magnitudo cum virium robore, primi erant mittendi sanguinis scopi: ille quidem quæ facienda sunt indicans, vires tamen prohibentes: id quod contraindicare iuniorum Medicorum quidam appellant.* Ex his clarè infertur Galenus non sensisse vires

contraindicare sed solum impedire, & talem vocem contraindicationis in viribus tribuisse junioribus aliquibus Medicis, qui impropriè loquebantur de contraindicatione, & finistrè.

✠

CAPUT X.

De natura Indicatorum, & de recto eorum usu.

CERTUM apud omnes est, & ex dictis superioribus capitibus constat, morbum esse præcipuum indicans in curatione, qui exposcit, & indicat sui ablationem, sicut vires, & natura sui conservationem; ablatio autem morbi consequitur non dubiè mediis auxiliis, quæ morbo opponuntur: talia verò auxilia, seu remedia, quia indicantur à morbo, indicata dicuntur, quorum naturam, & usum debitum in presentiarum declarare est necesse, ut completam notitiam pro medela morborum comparemus.

Auxilium igitur, quod corpori ad motum prodest, iure optimo dicitur tale, & rationem habet indicati, quia in subsidium naturæ applicatur, ita Galenus 11. method. cap. 1. loquitur, *ac propterea cum proficit, vocant auxilium sicut profecto omnis materia, quæ quomodolibet corpus alterat, quo tempore iuvat, auxilium dicitur.* Cæterum si fortasse materia quæ corpus alterat non iuvat revera, & in actu secundò, non vocabitur auxilium; sed potius habebit rationem causæ nocentis: sæpe tamen accidit, ut materia alterans nostrum corpus, non exterminet morbum, quia potentior, & validior sit morbus, aut ipsius causa, in quo eventu, ex se illa materia erit auxiliatrix in actu primo, non tamen habebit rationem causæ nocentis, sed non valentis propulsare morbum.

Notat tamen Socius noster supra citatus in hac difficultate; diversum quid valde esse remedium, & materiam eiusdem remedij, quoniam remedium, seu auxilium est illud quod agendum proponitur, taliter, quod ex cognitione rei, quæ indicat remedium, inveniatur: & cum re illa, quæ indiget auxilio, sit una: consequenter remedium, seu auxilium erit unum: quippe unum indicans solum unum potest indicare auxilium, & solum erit unum indicatum. At verò materia remedij solum est subiectum in quo remedium indicatum inest; & cum subiecta in quibus remedium inest, sint plura, ita, & materia remedium multiplex est, exempli gratiâ si quis corripitur morbo calido in secundo gradu, auxilium debet esse frigidum in secundo gradu, & cum hoc frigidum possit subiectari in cichoria, lactuca, & solano, infert quod materia remedij est multiplex; & auxilium, seu remedium solum est unum, quod pertinet ad methodum medendi, & necessariò otrinè ex comprehensione indicantis, seu morbi.

Re tamen verà licet remedium, seu auxilium in diversis subiectis inhæreat, tamen semper est unum genericè, & materia medicinalis seu remedij debet dici una, quoniam non dicitur ma-

teria remedij cichoria, aut lactuca ratione sub-
jecti in quo inest qualitas frigida, sed ratio-
ne frigiditatis, quæ genericè est una, etsi ha-
beat diversa inhaesionis subjecta; etenim albe-
do semper est una, etsi inhæreat in pariete, aut
papiro, aut quavis alia entitate alba, itaque ma-
teria remedij solum dicitur ratione qualitatis,
quæ est auxiliatrix, minimè verò ratione sub-
jecti in quo inhæret, etenim hæc sola est dif-
ferentia valdè accidentalis, & materialis, non
verò formalis, atque aded iudico remedium,
& materiam ipsius formaliter non differre; &
hac ratione optimè intelligitur, quod etsi qua-
litas frigida sit subjectata, aut inhæreat in la-
ctuca, cichoria, & solano; nihilominus sit
una in genere, & in specie, in genere qualita-
tis, etiamsi diversificetur mixtum, quod com-
ponit, aut eius intensio varietur, ratione for-
mæ mixti, quæ petit ex sua natura majorem
aut minorem frigiditatem; unde cum indicans
sit calidum, & unum, indicatum etiam est
unum nempè frigidum, etsi inhæreat in diver-
sis subjectis.

Itaque cognitio morbi, & omnium rerum,
quæ in ipso considerantur ordinatur ad rectum
remediorum usum, hoc est ad rectam applica-
tionem materiæ medicinalis; ea verò, quæ ratio-
nem remediorum habent, dicuntur indicata;
& hæc non distinguuntur à materia medicinali,
si formaliter accipiatur, iuxta oppositionem,
quam importat cum indicante; & similiter
quidquid sub dispositione Medici est, in ordine
ad prædictum finem consequendum pro auxi-
liorum usu debito, ita Galenus lib. art. Medi-
cinæ cap. 86. per hæc verba rectè *siquidem cau-
sarum utitur materiâ, quæ naturales earum poten-
tias agnoverat.* Et prosequitur sic, *atque ut sim-
plicitè dicam, omnium, quæ corpori afferuntur,
materiam quis noscens, atque potentias, salubribus
utitur causis.* Constat ergo ex his materiam me-
dicinalem afferri corporibus, & applicari tan-
quam auxilium pro debellandis morbis: ergo
determinatur remedium ex materia medicinali
mendicatur, quatenus ipsa continet formaliter
auxilium, sive sit venæ sectio, sive expurga-
tio, sive sudoriferum, sive vomitorium, sive alte-
rativum, sive portiones, sive serapia, sive ignis, aut
ferrum. Sic omnia remedia, sive auxilia habent
rationem materiæ medicinalis, quatenus sunt
instrumenta, quibus Medicus proprium finem
consequitur. Vnde materia medicinalis dicitur
in dicatum, seu remedium in actu secundo; cum
corporibus applicata prodest, hoc est cum ritè
administratur, & debitè, sumptâ verâ indicatio-
ne præcipuâ ex cognitione morbi, qui primum
& præcipuum indicans est, necnon etiam om-
nium, quæ ex parte morbi se habent; quæ omnia
ad inventionem, seu usum remedij, seu indicati
necessariò conducunt.

Vniuersa autem remediorum materia, quater-
nariò clauditur numero, si Galeno credere de-
bemus lib. de const. art. Medic. cap. 14. ubi ea,
quæ offeruntur, adducit, quæ efficiunt, deinde
quæ evacuant, & tandem, quæ extrinsecus of-
feruntur. lib. tamen de sanit. tuend. cap. ult. ea
omnia sigillatim explicat clariùs, ubi sub *offe-
rendis* intelligit cibum, & potum & ea omnia
medicamenta, quæ intro sumuntur, & aërem
attractum; insuper per *efficientia* intelligit omnes
motus corporis, & animi; quales sunt frictio-

nes, & exercitationes corporis, item etiam
somnia, & vigiliam, venerem etiam, & nego-
tiorum sollicitudinem, iram denique, & gau-
dium. Item per *foris incidentia* comprehendit
quæcumque extrinsecus administrantur, talis
est aër externus, qui nos ambit, perfusiones om-
nes, unguenta, cataplasmata, & epithemata,
atque fomentationes; tandem per *evacuantia*
intelligit omne genus excrementorum, qualia
sunt sudores, & dejectiones, & urina, quæ li-
cèt interdum habeant rationem causæ morbifi-
cæ, dum scilicet in corpore præter naturam re-
tinentur; attamen quia in multorum morbo-
rum curatione, eis utimur, possunt contineri
sub materia medicinali. Nec me latet Galenum
pronunciassè, quod materia, quæ ab excremen-
tis desumitur in rigore, non constituit quantum
genus distinctum à tribus assignatis; quoniam
ad intra assumuntur, aut ad extra applicantur,
quare materia medica tribus primis propositis
sufficiens contineri affirmat, & hac ratione
primâ de ratione viêt. comm. 6. materiam medi-
cam in tres partes medicinæ practicæ dividit, in
Dieticam scilicet, Pharmaceuticam, & Chirur-
gicam, quæ sub tribus partibus supra adductis
jure optimo comprehenduntur.

Notare tamen licèt id, quod Galenus monet,
lib. 1. de art. cur. ad Glauc. cap. 1. nempè uni-
versalem remediorum methodum, & rectum
usum consistere in qualitate, quantitate, uten-
di modo & tempore, aut occasione, in qua exer-
ceri auxilia convenit; ubi per qualitatem reme-
dij intelligit naturam, & speciem auxilij; etenim,
quid agendum sit in qualibet curatione, ex na-
tura, & specie morbi indicantis colligitur: nam
differentia, quæ supra genus morbi, speciem
morbi constituit, ad modum qualitatis se ha-
bet; & ita qualitas auxilij, eiusdem est diffe-
rentia, quæ in esse talis naturæ constituitur: &
sic cum natura indicatis possit esse generica sub-
alterna, aut infima, sic similiter qualitas rei in-
dicatæ poterit esse, aut generica; aut subalter-
na, aut infima, & hac ratione optimè intelli-
gitur quòd morbus secundum rationem generi-
cam solum ex postulat auxilium, quo extermi-
netur; tamen cum ratio illa præter naturam in
morbo indicante sit differentia addita supra ra-
tionem indicantis ut sic, quæ communis est
morbo, & naturæ: ita ratio remedij, quædam
differentia est, superaddita supra rationem rei in-
dicatæ ut sic, & quia deinde descendimus ad
morbos in distemperie, solutâ unitate, & malâ
compositione, quæ rationem differentiæ additæ
in aliis speciebus subalternis ex parte indican-
tium constituunt, ita ex parte remedij, & rei in-
dicatæ, alia differentia est assignanda, quæ in
specie subalterna constituitur, & hæc vocatur
qualitas eiusdem remedij; & hoc modo de aliis
infimis differentiis superadditis, quæ species in-
fimas morborum constituunt, philosophare de-
bemus, in auxiliis applicandis. Vnde discas
qualitatem remedij minimè sumi pro qualitate
prædicamentali, quæ tertium prædicamentum
constituit, sed pro differentia quadam, seu spe-
cie, aut forma cuiuslibet rei, quam Philosophus
qualitatem vocavit. 3. suæ metaphysicæ. cap.
de qualitate, & in hoc sensu loquitur Ga-
lenus 1. section. aphorm. comment. 2. Vbi ex-
plicans, quid per qualia intelligat Hypp. in
evacuationibus; docet intelligere eam humoris
speciem,

facta cum morbo comparatione operetur pro urgentiori, altero non neglecto. Hinc dubium propositum investigandum proponitur, ut Galeni doctrina incolumis maneat, an scilicet conservatio debeat fieri medicinis similibus, ut Galenus in cap. cit. notificat.

Ratio tamen difficultatis statim se offert, quia vera & legitima conservatio fit usu rerum non naturalium teste Galeno capite 84. artis medicin. sed res non naturales necessariò alterant, & immutant corpus, ergo conservatio potiùs fit rebus alterantibus, & immutantibus, ac per consequens per contraria fit & non per similia auxilia conservatio: minor suadetur, quippe vivens per actionem rerum non naturalium mortem patitur naturalem, ut latè tomo nostro 1. docuimus tract. de ætatibus & de morte naturali: & hac ratione Galenus 1. de sanit. tuend. dogma sempiternæ passionis in nostro corpore fatetur, quia continuò & semper à causis naturaliter & inevitabiliter operantibus patitur. Confirmatur assumptum ex Galeno cap. 84. cit. supra in art. medicinali, ubi tenet artem conservandi corpora esse de correctivarum genere, sed correctio minimè fit similibus medicinis, sed potiùs contrariis, cum certum sit ea quæ sunt similia, neutiquam posse agere in omninò similia, ut tota Philosophorum schola suadet; ergo conservatio potiùs dissimilibus, & contrariis auxiliis celebratur, & non similibus medicamentis.

Uterius premitur discursus, nam per usum similibus incidit vivens in similes, & præternaturales passiones, ex eo quòd faciliùs sit incidere in morbos similes: ergo non debet fieri conservatio per similia: antecedens probatur ex nostris principiis: siquidem non alià de causâ unum corpus est altero calidius, nisi quia plures partes habet, talis temperiei calidæ, sed per usum alimentorum similibus necessariò debet acquirere tale corpus plures partes calidas de novo acquisite per nutritionem: ergo resultabit calidius quam erat in statu naturali, ergo conservatio non poterit fieri per similia, cum hæc ducant ipsum in statum præternaturalem: consonat Galenus lib. art. medicin. cap. 23. ubi tenet oculos lædi à causis similibus, & juvari à contrariis, ex quo indubie infertur conservatiorem non posse fieri similibus auxiliis, si verum est per similia oculos lædi.

Vera tamen est Galeni sententia, quæ tenet conservatiorem debere celebrari per similia, ita etiam fatetur lib. 7. meth. cap. 13. vbi docet, calidioribus naturis calidiora deberi auxilia, sicut, & frigidioribus frigidiora, ut propria partis temperies conservetur. Sed ut Galeni doctrina clariùs pateat, advertendum est: dupliciter intelligi conservatiorem apud Authores, primo in rigore philosophico, quatenus conducit ad permanentiam rei in eodem esse, & statu, ac erat antea, & hac ratione corpus conservatur, in hac, aut illa positione per conservatiorem præsentia productæ permorum; & lumen conservatur à luminoso in eadem intensione, & permanentia, in quo casu concedenda est actio conservativa sine immutatione, quæ dicitur à Philosophis continuata productio, & forsan in hoc sensu loquitur Galenus cap. 17. de optima secta, dum tenet non pertinere ad artem medicam, conservativam artem.

Secundo modo accipitur conservatio non in

omni rigore physico, sed provt ad medicam artè spectat, quatenus Medici officij est conservare corpus in statu salutis, quin ad aliquod vitium inclinet, & de hac arte prædicavit Galenus esse de correctivarum genere; quia cum corpus nostrum necessariò, & inevitabiliter operantibus ab ipsis immutari est necesse, & sic conservatio debet consequi per ablationem immutationis factæ à causis inevitabiliter operantibus, ac per consequens fieri debet à medicamentis aliquantulum alterantibus, & solùm in tali casu habet locum conservativa ars Medica, provt à curatione, aut reductione differt, quia cum curatio dirigatur ad exterminandum morbum, necessariò importat actionem causarum evitabiliter operantium, & alterantium, sicut reductio etiam petit evitabilem actionem auferentem neutram dispositionem, dum natura extremè lapsa non est; quippe hæc ex se reductionem desiderat, & à causis inevitabiliter operantibus, & alterantibus immutatur sufficienter, pro reductione, aut curatione.

De hac conservatiore in sensu à nobis explicato docet Noster Primari Coll. & cù ipso Neotericus nostræ scholæ Complutensis in suis manuscriptis non debere fieri similibus rei conservandæ; quia cum de correctivarum genere sit talis ars, eius actio debet celebrari per medicamenta dissimilia, quatenus vitia aliqua insensibilia corrigit, ut corpus in statu naturali permaneat, modo possibili, non in totum, nam aliàs, actio causarum inevitabilium posset impediri, & consequenter mors naturalis evitabilis esset; dicuntur tamen insensibilia vitia, respectu eorum, quæ constituunt morbum, & neutram dispositionem, quæ valde sensibilia sunt, quod non tollit, quò minus, ea vitia, quæ emendantur in conservatiore sint verè sensibilia, & manifestè talia, quippe non caderent sub Medici disciplina, si omnino insensibilia essent; non tamen ita sensibilia sunt, sicut vitia, quæ morbum constituunt, ratione quorum vivens cogitur ab operibus consuetis cessare; cæterum vitia, quæ ad neutram dispositionem attinent, læsionem etiam satis sensibilem causant, non tamen ita insignem, ut cogant vivens ab operibus assuetis vacare, etsi ad morbum aliquantulum accedant.

Potro vitia, quæ in statu conservatiore contemplantur, ita ad veram sanitatem accedunt, ut sensibilem læsionem non inducant, sed potiùs ratiocinio indagantur, quatenus constat corpus expositum esse ad actionem causarum, necessariò, & inevitabiliter alterantium, quibus occurrere est necessum, & sufficit vitium tale, quomodolibet esse sensibile, etsi aliqua licet parva immutatio non possit negari; inquit ergo recentior huiusmodi vitia esse insensibilia, quoniam non indigent medico auxilio, ad eorum exterminationem; imò potiùs solo usu rerum non naturalium auferuntur, veluti si plures morbi non essent, qui usu debito rerum non naturalium, non auferantur, & veluti usus talium rerum, non sit remediorum usus, quæ medico subji-ciuntur. Et cum hac doctrina intendunt componere Galenum dicentem conservatiorem debere fieri per similia rei deficienti, & resolutæ; minimè verò per similia respectu subjecti quòd perseverat.

Hæc tamen interpretatio valde sinistra est, & rationi adversa: nam si hoc modo esset intelligendus

gendus Galenus, etiam curatio deberet fieri per similia rei ablata, quippe in utroque casu conatur Medicus tollere alienum, & producere quod debitum est. Et forsan prævidens hanc difficultatem Noster Prim. Coll. & per solutionem adductâ non satisfieri planè doctrinæ à Galeno adductæ, inquit posse intelligi per similia fieri conservationem; quatenus vitia, quæ corriguntur in ipsa conservatione ferè insensibilia sunt, & sic corriguntur per auxilia ferè insensibiliter contraria, quæ dicuntur similia in ordine ad Medicum. Hæc tamen solutio non minùs claudicat, quàm præcedens: nam correctio, quæ conservatio dicitur attinet ad Medicum, ac proinde sensibilis debet esse, & per medicamenta contraria præstari debet, & minimè per similia quoad sensum Medici, seu quoad ipsius cognitionem.

In præsentī litigio dicendum nobis videtur, non solum conservationem physicam, quæ vera est conservatio, verùm etiam medicam conservationem debere fieri per similia omni rigore talia, sicut & curationem per contraria, ut Galenus docuit: dicuntur tamen similia omni rigore talia, quæ in qualitate, & gradu, seu intensiōne sunt similia: ita Galenus c. & libro supra citato per hæc verba. *Dicitum namque est, quod secundum naturam est, similia semper postulare, quod præternaturam contraria; siquidem quod naturaliter se habet custodire, quod præternaturam est, tollere oportet*: quibus verbis manifestè docet similia debere esse talia rei, seu temperamento ipsa petenti; contraria verò morbo ipsa exoptulanti; ob rationem ab ipso insinuatam, quoniam quæ secundum naturam sunt conservari, morbosa & præternaturam exterminari postulant: debet ergò intelligi per similia ipsi rei conservationem petenti, & per contraria rei suam destructionem desideranti, minimè verò rei resolutæ, sive deficienti, ut cum nostro Prim. Coll. Recentior citatus insinuavit: Etenim hac ratione contraria dispositioni resultanti sunt; & eodem modo morbus etiam similia desiderat. Ratio hujus asserti est: nam ea, quæ sunt omnino similia ipsi temperiei debita valent pro conservatione ejus, & pro correctione vitii, quod nec est morbus, nec dispositio neutra, sed temperies, quæ est debita, & non apparet considerabiliter mutata, quæ petit conservationem: Ergò omnino similibus debet fieri conservatio. Major est certa: etenim ideo conservatio intenditur, quia non constat de sensibili, seu considerabili vitio pro quo sufficit agens valens debitam dispositionem reproducere, aut ejus actionem conservare, quale est omnino simile: minor constat: ergò & consequentia.

Ulterius namque similitudo, aut contrarietas debet desumi respectu rei talia petentis, sed res similia exposcens ad suam conservationem, & permanentiam, prout in subiecto indicat, sicut & entitas contraria suam destructionem exoptulat: Ergò illa fieri debet per omnino similia, & hæc per omnino contraria: & forsan hac ratione intelligendus Galenus cap. 63. art. medicin. dum inquit: *Mala temperatura, quæ morbi ratione ventriculus occupant, hoc differunt ab his, quæ naturales existunt, quoniam contraria non verò similia appetunt, quemadmodum naturales*. Quippe verbis adductis naturalem temperiem similia petere ad sui conservationem denotat, præter naturalem verò ad sui

corruptionem; prout in subiecto, contraria.

Confirmat hanc veritatem Veiga in expositione textus Gal. cit. & Vall. lib. 5. cont. cap. 7. & id significasse Galenum arbitratur. 1. de caus. symph. cap. 7. dum tenet vitiosum succum excitare appetentiam; ut naturalis affectus efficit appetitum similis, hoc est naturalis, & boni, ita succus vitiosus excitat appetitum similis, hoc est vitiosi, & pravi: rationem adducunt: quia si ad contraria esset appetitus, usu illorum sanaretur affectus; quippe adhibentur contraria, quibus quilibet morbus curatur; consequens autem est contra experimentum: ergò usu similitum fit conservatio rei naturalis, & præternaturalis; & hac ratione, qui exusto humore abundant appetunt carbones, qui melancholico citra unctionem, terram, & qui redundantem habent falsum humorem falsa desiderant, & tandem, qui crassos, & pituitosos humorem habent, gipsum appetunt: ergò semper appetitum similia appetit, & minimè contraria, quoniam usu similitum nulla sentitur noxa; & non dubiè ventriculus molestiâ afficeretur, si essent contraria dispositioni, quâ laborant. Unde clarè infertur non solum in appetitu animali, verùm etiam in naturali temperie urgere argumentum: etenim semper est verum à similibus conservationem fieri, & minimè à contrariis, & in hoc sensu loquitur Gal. cap. 63. cit. artis Medicin. quidquid noster P. C. asserat disput. 52. de loc. affect. cap. 3. dum de fame Canina sermonem instituit.

Ex dictis onerosum non erit argumenta in contrarium adducta solvere: ad primum constat: quod res non naturales pro ratione indicantis applicantur, ita ut sensibilibus alterent pro morbo, & neutram dispositionem, quippe ipsis contrariantur; quando verò utimur rebus non naturalibus pro conservatione maiori similitudine possibili id faciunt. Ad secundum dicimus; conservationem per correctionem fieri, diversi modè tamen ac curatio, & reductio fit; & ideo ad hæc requiruntur contraria: at verò ad conservationem sufficienti similia, & ut impediant actionem contrariorum, & ut ad reproductionem (ut ita loquar) similis conducant, si forsan aliquid fere insensibile producendum sit: quia licet qualitates naturales primæ ex se conserventur, actio tamen contrarij corruptentis debet impediri.

Dices sicut vitia, quæ reperiuntur in corpore conservationem suam petente, sufficienter auferuntur per omnino similia, cur etiam vitia constituenta morbum, & neutram dispositionem non auferuntur per similia? Ulterius etiam videtur similia, quæ applicantur, esse rei deficienti, minimè autem rei existenti, aut perseveranti; cum per vitium, quod habet tale corpus, quale fuerit, non sit in suo statu naturali; & consequenter medicamentum, quod applicatur simile pro re naturali erit simile rei deficienti, non existenti. Resp. ad primum, quòd ad vitium parvum, & fere insensibile, sufficit excessus, quem habet medicamentum simile rei naturali, si verò vitium iam morbum constituat, propter majorem resistentiam sui maiorem desiderat activitatem, & sic non sufficienti similia naturæ pro tali curatione, præterquam quòd cum medicamenta sumantur ratione indicantis, dum res conservationem exoptulat, inconsiderabile habet

habet vitium, aut ferè insensibile, & sic pro re secundum naturam desideratur medicamen. Cæterum quando curationem exposulat, est pro re, seu vitio ablationem exposcentis, & ad hoc est necessarium contrarium corrumpens ideoque conservatio fit per similia, & curatio per contraria.

Ad secundum dicimus, quòd cum vitium inconsiderabile sit, non respicitur res naturalis tanquam defectuosa, sed ut præsens conservationem petens, & sic remedium est simile rei conservationem petenti, minimè autem rei deficienti: præterquàm quòd non dicitur simile, aut contrarium remedium rei existenti, vel deficienti, sed rei indicanti, ratione cuius rectè dicitur simile omnino indicari ab entitate conservationem petente, quæ est secundum naturam, contrarium verò ab illa, quæ præternaturam est, sive existat, sive secus. Ad tertium argumentum supra adductum Respondetur, non loqui de naturis extremè lapsis quippe ipsis non debetur conservatio, ut infra constabit, sed potius reductio; illæ verò naturæ, quæ conservationem petunt non læduntur similibus, qualitate, & gradu, neque acquisitio partium eiusdem intensiōis facit intemperatium vivens, etsi calidius dicatur, quia non ultrà temperiem requisitam, resultat calidius intensivè, sed solum extensivè, per acquisitionem partium eiusdem temperiei; ut latè tractatu nostro de ætatibus docuimus.

✠

C A P V T XII.

Quæ Natura est conservanda, quando, & quomodo.

EX dictis constat iuxta Gal. doctrinam supra adductam, ea quæ secundum naturam sunt, esse conservanda, quæ verò præter naturam esse auferenda; & per consequens etiam ex dictis constat, quòd conservatio debeat fieri per similia, & curatio per contraria; totum quòd unanimiter Authores communiter defendunt tamquam receptum in antiquorum monumentis: Restat tamen in præsentiarum explicare, quæ sint secundum naturam, quæ conservari debeant, quomodo, & quando. Ad cuius rei examen, notandum est plura dici secundum naturam, quæ ut talia non respiciuntur, ut ætates plures, mors naturalis, & temperamenta; quæ in aliquibus reperiuntur corporibus à propria natura, seu ex generationis principijs mendicata, aut forsan ex consuetudine, quæ altera natura dicitur à Gal. ut infra constabit latius; dubitamus ergo quæ sint secundum naturam, quæ conservationem exposculent. Et ratio dubitandi est, quia nihil dicitur in rigore, & propriè magis secundum naturam, quàm temperies debita corpori temperato, quale est corpus constitutum in statu adolescentiæ, in quâ, & ipsum est temperatum ad iustitiam, & omnes eius partes gaudent debita, & naturali temperie, sed Gal. docet. 9. de compos. medicam. secundum loc. cap. 8. in ulceribus ani, & pudendorum non esse utendum medicamentis humidis etiam si tales partes sint humidæ propriâ naturâ: ergo

adhuc in his, quæ sunt toto rigore secundum naturam non debet fieri conservatio; & per consequens multò minùs in alijs, quæ dicuntur secundum naturam, & ut talia non habentur, qualia sunt supra enumerata. Confirmatur hoc ipsum in natura calida & sicca ex propria formatione, dum incidit in febrem ardentem in quo eventum minimè debemus uti calidis auxilijs, ratione naturalis temperiei corporis febricitantis, ergo non sunt conservanda omnia ea, quæ sunt secundum naturam.

Cæterum pro solutione præsentis controversiæ advertendum est, quòd licet plura sint, & dicantur secundum naturam, ut nostro tractatu de ætatibus docuimus, illa magis propria, & in rigore secundum naturam sunt, quæ ad rectè esse & operari viventis conducunt; quâ ratione temperamentum ad iustitiam iuxta Gal. decretum in arte medicinali omnino secundum naturam totò rigore appellatur; unde omnia ea, quæ absolute ad perfectè operari conducunt secundum naturam dicuntur, dummodò collectivè ad omnia opera perfectè elicienda conducant modò possibili; etenim si aliqua sit temperies, quæ divisivè ad aliquòd opus patrandum perfectè conducatur, secundum quid, & non absolute dicitur secundum naturam talis temperies. Ratio est manifesta nam temperies ad iustitiam, quæ in adolescentia relucet, conducit, ut principalia omnia opera viventis celebrentur in quadam moderatione, & perfectione possibili; & si temperies aliqua in altera ætate, aut naturâ in temperata conducatur ad aliquòd opus peculiare patrandum in aliqua maiori perfectione, exempli gratiâ, coctio in pueritia uberior fit quam in alia ætate, & similiter augmentum; non tamen opera principalia ita perfectè fiunt, sicut in adolescentia, in qua omnia perfectè fiunt modo possibili; quapropter illa temperies absolute, & simpliciter dicitur secundum naturam, reliquæ verò temperies, quæ ad aliquòd opus perfectè patrandum conducunt solum dicuntur secundum naturam, non quidem simpliciter, & absolute sed solum secundum quid.

His prælibatis. Nobis dicendum est, ea quæ secundum naturam sunt omnino absolute, & simpliciter esse conservanda, nisi forsan aliquòd fortius indicans reperiatur, quod nos cogat ad contrarium; ut quando ratione morbi, qui timetur non utimur similibus auxilijs ad conservationem naturalis temperiei in ulceribus pudendi, sed potius contrarijs medicamentis, ne talia ulcera fiant putrida, & deterioris naturæ; quapropter cogitur medicus operari contra partis naturalem temperiem, & iure optimo utitur siccoribus auxilijs ad impediendam putredinem, quæ rationabiliter timetur, si applicarem in talibus ulceribus humida medicamenta. Cæterum ea quæ dicuntur secundum naturam non simpliciter, sed secundum quid, non debent conservari, & curari usu similiarum, sive dicantur talia ex principijs generationis, sive ex consuetudine, ratione cuius pars qualibet aut vivens comparaverit talem temperiem, quippe ratione illius recedit vivens ab his, quæ ad melius operari conducunt; qua ratione minimè debet dici talis temperies absolute secundum naturam, & omnino, sed solum secundum

cundum quid; imò potius ut docet Galenus 9. capit. lib.8. method. dicitur præter naturam aut contra naturam: unde non exposcit conservari similibus, sed auferri contrariis; hujus generis sunt naturæ intemperatæ, neutram constituentis dispositionem, quæ minimè similibus debent conservari; sed potius auferri per contraria auxilia.

Cæterum contra hanc doctrinam instare possumus, etenim pueritia intemperatam naturam constituit in quocumque subjecto; sed si reduceretur traheret subjectum ad mortem: ergo natura intemperata non est reducenda; Major est certa, cum in pueritia non sit temperamentum adolescentiæ, quod est perfectius, ut toties clamat Galenus: minor ex eo probatur: quia si reduceretur puer ad temperamentum adolescentiæ, sine dubio esset proximior morti: ergo natura intemperata, seu illa, quæ dicitur secundum quid naturalis, aut secundum naturam, conservari debet similibus, & minimè debet auferri per contraria. Ulterius quia natura & consuetudo intemperata est reducenda, juxta Galeni doctrinam capite nuper citato, & cap.86. art. Medicinal. cum à negotiis non est distracta, neque laborat morbo: ergo non ex eo quòd intemperies sit indicat reductionem, imò videtur, quod aliqua quæ non sunt secundum naturam debent conservari.

Ad primum respondetur quod licet temperamentum pueritiæ ex se reductionem indicaret, nihilominus propter principale opus, scilicet propter augmentum, quo tantum indiget vivens, & ad quod facit naturale pueritiæ temperamentum debet conservari, etiamsi constituat vivens intemperatum, utpote præstantius est illud opus omnibus aliis, cum sine illo nullum vivens possit pervenire ad perfectius operari, unde temperies pueritiæ est conservanda, & minimè auferenda per contraria auxilia.

Sed instabis: Ergò licebit omnes ad ætatem pueritiæ reducere: quia saltem sic à morte distabit magis vivens. Respondetur quod cum pueritiæ temperies propter augmentum sit simpliciter ad operari necessaria, cum jam est acquisita, illius nulla est necessitas, & sic reductio adolescentiæ ad ipsam, esset extrahere vivens à temperie requisita pro perfectiori operatione, & cum in ordine ad hoc fit constitutum vivens, minimè debet reduci à temperie adolescentiæ in qua perfectius operatur, ad temperiem pueritiæ, in qua non ita perfecte operatur, licet ad augmentum magis conducat, præterquam quòd talis reductio esset pro morbo conducens, ad quem excessiva humiditas facit, & sic vivens non debet reduci ab adolescentia ad pueritiæ temperiem.

Circa secundum argumentum noster Prim. C. quem ferè in totum sequutus fuit socius noster antecessor, inquit naturam intemperatam esse reducendam non solum per salutem, sed etiam per morbos, & in omni eventu. Cujus ratio est: quia ideo per salutem est reducenda natura intemperata (idem est intelligendum de ætate, & consuetudine) quia ex se in morbum inclinatur, & ad incidendum in morbos disponit, sed idem periculum est etiam si negotiis distractum sit vivens, aut morbo laboreat. Ergò: minorem probat; quia per suas qualitates, & usum

similium inclinatur natura in similes morbos, ergò in quocumque statu in ipsos inclinatur; ac proinde in quocumque eventu est reducenda natura intemperata. Ulterius, nam morbus, aut distractio possunt facere contra consuetudinem: ergò in tali casu minimè impediunt reductionem. Deinde: quia ratio propter quam non esse reducendam naturam intemperatam per morbum docet Galenus, est quia natura defatigata labefactabitur per contraria, & insueta auxilia, sed quando reductio est ad melius, potius debet roborari, quam labefactari: Ergò potius erit reducenda, quam conservanda: quippe natura optimo temperamento servatur; sed per reductionem optimum temperamentum inducitur, & contrarium corrumpitur: ergo potius est reducenda, quam conservanda semper, præcipue cum ipsa distractio in negotiis possit ad robustiorem facultatem conducere; quando scilicet natura frigida est, & humida, nam tunc distractio, & exercitium consumens excrementitias substantias robustiorem reddit facultatem. Constat enim ex Gal. lib. artis med. cap. 23. ubi sermone faciens de oculorum temperie; sic loquitur. *A similibus sua temperatura causis facile offenduntur, juvantur autem à modico contrariorum usu.* Quibus verbis videtur ostendere minimè labefactari naturam per usum contrariorum reducendum ad naturalem temperiem, cum asserat *contrariorum usu* juvari. Nec valet solutio, quam adducit noster Prim. C. loquendo de partibus, quæ debent conservari, ubi inquit oculos juvari contrariorum usu, quia sunt partes plurimum lapsæ. Non inquam valet: quia si ob hanc rationem usu contrariorum juvantur: ergo etiam pars distemperata, quæ lapsa est, etiam juvabitur per contraria reductentia: Præterquam quòd solutio est contra Galenum qui in ipso capite post adducta verba prosequitur sic. *Hoc quidem commune in omni cujuscumque partis temperatura cognitione, oportet meminisse: ergo non solum de parte lapsa, sed de omni parte est intelligendum juvari usu contrariorum, cum dicat hoc quidem commune in cognitione temperaturæ cujuscumque partis.* Tandem urgeri potest assumptum: quoniam si in distractione non est reducenda natura, quia non poterat Medici præcepta observare, neque erat conservanda, sed potest conservari: ergo & reduci potest.

His non obstantibus vera est doctrina Galeni asserentis intemperatam naturam & consuetudinem non esse reducendam in morbo, aut distractione, nisi ipsa consuetudo, aut distemperies in morbum trahat. Hæc conclusio desumitur ex Galeno 5. de sanit. tuend. cap. 11. & cap. 86. art. Medicin. & ex capit. 9. cit. ubi sequentia adducit verba. *Satius arbitror cum plane valent, non cum egrotant, vel de se queruntur, victus illis rationem mutare.* Vbi loquitur expressè de intemperatis naturis, & id quem de consuetudine est intelligendum cum altera seu ascititia natura sit, ut ætas, & omnia naturalia, quod etiam in hominibus occupatis esse verum notificavit cap. 86. art. medic. per sequentia verba. *Hominem autem necessariis occupationibus distractum in eodem præstat habitu conservare:* ergo huiusmodi naturæ sunt conservandæ ex doctrina Gal. per morbos & in distractione: cuius rationem assignavit in hoc capite per sequentia verba: *Gaudent enim natura assuetis semper.* Et capite 86. artic.

artif. med. sic dictavit. *Neque enim natura paritur eas, quæ subito sunt alterationes.* Quibus verbis docet: ita molestum esse naturæ insuetis uti ut ab ipsis labefactetur, & lædatur; e contra verò consuetis; per quæ intelligenda sunt; non solum illa, quæ verè consueta sunt, ita ut damnum, aut utilitas pendeat ex legitima variatione consuetudinis, sed etiam ex variatione illius quod pro natura requiritur; nam cum non alia de causa insueta sint vitanda, nisi quia naturam acquisitam mutant, ea quæ contra naturam veram sunt, ita molesta sunt, ut insueta, neque aliter quàm insuetis potest vera natura mutari: nam si consueta essent pro natura consuetudinis sine dubio, facerent: hanc doctrinam forsitan arripuit Galenus ex Hipp. 2. de vict. rat. text. 2. ubi expressè iubet esse respiciendam victus rationem per salutem hominum, ut id quod exercendum sit, in morbis discamus; ipsamque debere servari in morbis docet sic. *Quod autem vitiosam victus rationem, quæ nunquam variat, longè tutius sit observare quam subito vel ad meliorem transire facile intelligitur,* & paucis interpositis rationem reddit sic, *si subito consuetudinem mutaverit, noxam imbecillitatemque contrahit:* docet ergo Hippocr. naturam labefactari & pati per variationem consuetudinis, seu rerum non conducentium pro ipsa, aut pro natura, & iuxta hanc doctrinam locutus fuit text. 50. per hæc verba. *Consueta etsi deteriora insuetis minus molestare solent.* Et 1. sect. text. 17. docet aliquid esse *condonandum ætati, & consuetudini.*

Ex his deducitur pro nostra conclusione ratio fundamentalis, ea quæ mutant naturam seu consuetudinem sunt valde molesta; ergo non sunt exhibenda per morbos, neque in distractione. Probatur consequentia: nam in tali casu natura molestat à morbis, aut occupationibus, sed non est addendus labori labor, neque molestiæ molestia: ergo minimè sunt adhibenda, quæ mutant consuetudinem, aut naturam.

Huic difficultati intendunt satisfacere adversarij cum doctrina adducta in 3. argumento dicentes neutiquam labefactari, aut molestari naturam insuetis, sed potius roborari, cum in melius, & perfectius temperamentum inclinet. Hæc evasio habet contra se universam doctrinam Hipp. & Galeni unâ voce dicentium, molesta esse insueta, & omnes alternationes subitas quales sunt, quæ naturam mutare valent, quippe idè insueta sunt, quia nunquam erant exhibita, & quia propinata erant quæ pro natura conducebant; ac per consequens repente, & subito propinabantur insueta, & sic cum molestia, iuxta illud Hipp. 2. aphor. text. 51. *Plurimum & repente vacuare periculosum: omne enim nimium natura inimicum.* Ulterius solutio adducta habet etiam contra se experimentum, quo constat ipsam reductionem ad naturalem statum, quia subito fit, esse molestant, & dolorosam, ut quando duo digiti, seu duo membra, quæ separata esse exposcunt, si præternaturam uniantur, ut trahantur, aut reducantur in suum statum naturalem per divisionem, molestiam, & dolorem pariuntur, quæ etiam ratione in calefactione digitorum frigidorum iuxta ignem si ad naturalem temperiem reducantur dolore, & molestiâ reducuntur, utpote illa alteratio, est valde molesta, quia subito fit: ergo etiam alteratio quæ fit à medicamentis insuetis erit molesta naturæ, quia

subito celebratur: & ob hæc rationem Galenus dolorem causare docet, non solum violentam sensationem cum Philosopho in definitione doloris, sed etiam naturalem reductionem violentè factam, sic fatur 12. method. cap. 7. videtur enim corpora non solum cum in naturalem habitum confestim aguntur tristem sensationem sentire, sed etiam in ipso ad naturalem statum reditu, nisi cum paulatim aguntur: meritò ergo debent iudicari molesta, ea quæ sunt insueta, unde non sunt exhibenda, dum morbus aut distractio molestant.

Ad argumenta: Resp. quod licet natura, & consuetudo intemperata ad morbos similes sit disposita, ratione cuius reductio est faciendâ per salutem, non tamen per morbos, aut in distractione; & ratio disparitatis est, quia cum sint molesta ea quibus fieri debet reductio, & per salutem non patiatur natura, optimè poterit ferre illam violentam alterationem; minimè verò cum aliunde molestata, aut labefactata est, quippe deterius est iudicandum naturam lapsam ulterius labefactare, quàm ipsam in sua dispositione relinquere; nisi forsitan talis sit intemperies, ut extremè lapsa sit, aut in morbum proclivis; nam tunc propter malum quod imminet proximè, adhuc naturale temperamentum non est servandum, ut Galenus notat.

Ad secundum dicimus, quod quando morbus, aut distractio contra naturam, aut consuetudinem intemperatam reperitur, fortius debemus contra morbum pugnare, quia arguit potentiorè causam, etsi aliquid eius utile iudicetur, ut tale in sine relinquatur; quia potius pro natura temperata conducit, & per salutem sit, cum iam excedens sit ablatum; neutiquam tamen est propinandum medicamen conducens pro morbo contra consuetudinem, tum propter molestiam tum quia in contrarium incidemus lapsum.

Fortius argumentum est Tertium: cui Respondetur naturam labefactari insuetis etiam si pro meliori temperie conducant, & sic non esse exhibenda; Ad probationem dicimus, quod licet natura optimum temperamentum exposcat, & ipso roboretur; tamen alteratione insuetâ molestat magis, quàm roboratur, temperamento perfectiori acquisito, & sic dum ipsa labefactata est, non est ulterius molestanda, ac per consequens per morbos non est reducenda; si verò morbus, aut distractio potius contra intemperatam naturam faciant, adhuc uti non debemus insuetis propter doctrinam, & rationem adductam.

Ad ultimum constat non prohiberi reductionem absolutè in occupatis, quia non possunt observare artis præcepta, sed propter molestiam ab insuetis causatam, quæ debemus fugere; ad quod accedit non posse observare præcepta, quæ debent adimpleri in totum, ut consequatur reductio, non tamen ut conservatio fiat, sufficit enim ad hoc non agere contra ipsam.

Sed dices; natura intemperata taliter est producta suâ temperie, ut cum altera malè se habeat: ergo adhuc per salutem non est reducenda; antecedens suadetur; nam quælibet forma habet producere, & conservare in se temperiem, quam exposcunt, sed prædicta forma illam produxit in se: ergo quia ipsam exposcit; quippe ad eandem temperiem reducitur, si immutetur: ergo malè

malè se habebit si reducat. Deinde nam si in-
sucta sunt reducenda, quia sunt molesta, semper
sunt renuenda; ac per consequens nec per salu-
tem est facienda reductio.

Proposito dubio nostræ scholæ Doctissimus
Recentior, & antecessor noster satisfacere in-
tendit, dicendo non habere vim si asseramus ani-
mas esse ejusdem perfectionis individualis, si-
quidem in tali casu temperies, quæ est perfectior
pro una, pro omnibus debet esse talis, cum sup-
ponamus esse ejusdem perfectionis: unde illa,
quæ ab hac temperie recedit, sine dubio redu-
ctionem desiderabit. Cæterum si teneamus ani-
mas esse diversæ perfectionis individualis (in-
quit Doctor citatus) quod etsi argumentum pro-
positum habeat vim, nihilominus reductionem
esse utilem, ut natura non incidat in morbos
similes, & ut opera, ad quæ non concurrunt ani-
ma, perfectius fiant.

Hæc tamen doctrina omni ex parte non est ve-
ra, nam etsi fateamur animas esse ejusdem per-
fectionis individualis, certum est juxta Philoso-
phi doctrinam, individuum esse cujus collectio
proprietas, quæ in uno reperitur, in alio repe-
ri non potest: ergo ratione hujus collectionis
diversæ, poterit quodlibet individuum diversam
exposcere temperiem, & sic argumentum pro-
positum habet vim, etiamsi ejusdem perfectio-
nis animæ censentur, aut concedendum est vi
hujus argumenti animas perfectione differre;
quo adhuc admissio solutio adducta est nulla;
Etenim affirmare reductionem convenire ne in-
cidat natura in morbos similes, probat adhuc in
natura temperata convenire; aut si in ea non
est tale periculum, quippe distat ab omnibus
(quia temperata) æqualiter; idem debet affir-
mari de intemperata, quoniam respectu ejus tem-
perata debet dici, cum sit temperies, quam
forma exposcular. Neque illud quod adducit de
operibus ad quæ non concurrunt anima, aliquid
valet: quia cum temperies sit conveniens pro
illa forma, debet esse pro operibus omnibus ipsi
convenientibus, ita ut pauca sint & parvæ uti-
litatis alia opera, quæ ratione pro illis non fit
attendenda temperies, sed pro principalioribus
& propriis operationibus.

Nihilominus nobis videtur dicendum redu-
ctionem convenire naturæ intemperatæ per sa-
lutem: quia cum operationes ex se petant deter-
minatam temperiem, ut omnes collectivè rectè
eliciantur, etsi ratione particularis formæ ali-
qua sit specialis temperies, si ab illa, quam ope-
rationes petunt, recedat, reducenda est, quo-
niam vivens propter operari est productum, &
sic reductio, quæ ad perfectius operari facit, quæ-
renda est, etsi à temperie, quam exposcit forma
illa retrahatur.

Sed objicies illico si forma propter pro-
priam perfectionem individualem petit illam
determinatam temperiem: ergo erit ad per-
fectius operari ipsius, ac per consequens ejus
reductio minimè erit ad perfectius operari ordi-
nata; etenim ex se aliàs non habebit perfe-
ctius operari ex propria temperie. Respondeo
animam habere operari plura in corpore, de-
pendenter à dispositione ejus; ratione cujus quo-
modocumque se habeat in perfectione anima di-
versimodè operatur propter diversam dispositio-
nem: totum quod planè constat in actibus ani-
mæ vegetativæ, & pluribus operationibus ad

sensitivum gradum atinentibus; Ulterius etiam
valet plura operari, quæ licet aliquam depen-
dentiam habeant à dispositione; magis tamen
sequuntur activitatem animæ, quam dispositio-
nis corporis in ordine ad quas habet locum ani-
mæ perfectio; tales sunt in nobis operationes,
quæ veluti discursum sequuntur, idest cum ex
una propositione aliam intellectus deducit, &
indagat magis aut minus pro ratione perfectio-
nis, quomodo etiam in aliis est concedendum,
etsi à nobis non cognoscantur, & hac ratione
bene stat, quod licet animæ perfectione differ-
rant, si intemperata sit aliqua natura in ordine
ad operari reductionem desiderat.

Inquires: cur illam temperiem produxit na-
tura, & ad ipsam reducat si auferatur, si utilis
esset ei, aliam temperiem producere; quod con-
stat ex his quæ diximus de morte naturali lo-
quentes in nostro tomo primo, ubi ostendimus
quod cum forma petat partes correspondentes
diversis elementis ad suam conservationem; qua-
libet temperie in parte existente conservatur,
dummodo in alia parte distincta sit, quippe qua-
libet pro uno, aut altero elemento conducit, &
sic illam conservare valet, quam producit, ut po-
te quælibet est ei naturalis, quod petit; habere
tamen hanc aut illam pendet ex activitate agen-
tis, quod ad talem productionem facit, & di-
sponit in ordine ad materiam ex qua, hoc est
ratione seminis, & sanguinis, à quibus pueritia
dicitur calida & humida ex Galeni & Avicennæ
mente. Ad secundum jam diximus molestiam
medicamentorum esse minorem, quàm utilitatem
reductionis per salutem: quia tunc natura non
existit labefactata.

Restat tamen scire, quomodo Galenus ad con-
servationem commendat omnes res non natura-
les: nam ut inquit cap. 8. §. artis medicin. si aer à
temperie requisita non recedit, omnes aliæ res
in mediocritate quadam debent adhiberi; si verò
aer à tali temperie deficiat, quinque aliæ res non
naturales contrariam debent intendere; per
quod debet intelligi, quod cum conservatio est
molienda, si aer non recedit à temperie requi-
sita, reliquæ res non naturales sunt applicandæ
in quadam mediocritate, ita ut nulla sit in ex-
cessu, sed ita ut nec motus calefaciat, nec quies
infrigidet, nec vigilia exsiccet, nec somnus hu-
meccet, & sic dereliquis, sed tali vicissitudine,
ut adveniens corrigat, quod præcedens potuit
inducere.

Difficilius tamen est cur dum aer à temperie
requisita recedit omnes aliæ res non naturales
pro contraria parte sint adhibendæ? Etenim vi-
detur quod si una res non naturalis qualis est
aer distemperatur, per alteram oppositæ vir-
tutis corrigatur. Responderetur quod cum aer con-
tinuo immutat corpus, & agat in ipsum, & nulla
ex aliis rebus continuo applicata sit, sed una
aut altera per vicissitudinem, necessum est ut pro
continua alteratione aeris omnes aliæ res non
naturales in contrarium applicentur, ut ita una,
aut altera existente, etiam sit continua pro con-
traria parte alteratio.

CAPUT XIII.

*Utrum causa, quæ abest indicet in
Curatione.*

ICET de indicatione, quæ sumitur à causa aliqua dicta sunt in præcedentibus capitibus : placuit in præsentibus specialius de hac re agere ; desumpta ratione debitandi ex Gal. lib. 8. method. cap. 1. ubi docuit causam morbi sui ablationem indicare, dum adest in curatione morbi ; dum vero deficit nullam ab ipsa indicationem sumi, quòd quidem exemplo vulneris facti ab ense testificat. 4. lib. meth. ubi docet causam auferendam esse, si præsens sit, si autem sit absens nihil indicare ; & idem est intelligendum, si ab humore causetur ulcus. Unde plene inferitur nullam præbere indicationem curativam causam absentem.

Tamen contra hanc receptam doctrinam ; aliqua se offerunt, quæ ipsum turbare videntur ; nam causa absens non indicat, quoniam non est, sed etiam temperamentum naturale non est, & tamen indicat in curatione : ergo & causa quæ abest, & minimè subsistit poterit indicare in curatione. Confirmatur nam morbus qui timetur non est, & tamen indicationem præbet medico : ergo & si causa externa non existat, poterit nihilominus indicare in curatione : ulterius subsistit assumptum : nam ætas & consuetudo interventus temperamenti indicant auctore Gal. 9. lib. meth. quia per ea incognitionem temperamenti devenit medicus, sed etiam per causam externam, quæ non subsistit sæpè devenimus in cognitionem morbi : ergo indicat in curatione ipsius. Denique corroboratur eadem pars, si quidem non alia de causa virtus indicat, nisi quia per ipsam devenimus in determinationem remedij : ergo indicat in morborum medela, minor suadetur : nam per causam externam devenimus in cognitionem affectus, quando scilicet est constipatio à refrigeratione ; aut si fuerit venenum à morsu canis rabidi ; sed per cognitionem affectus devenimus in cognitionem remedij, & ipsius determinationem : ergo per cognitionem causæ externæ, etsi absit devenimus in cognitionem & determinationem remedij, & per consequens indicabit causa quæ non subsistit.

Vera tamen est Gal. sententia, quæ asserit causam absentem minimè indicare in curatione morborum. Ratio est : quia ea quæ sunt præter naturam indicant sui ablationem, sed causa morbi ut talis, est præter naturam : ergo sui ablationem indicat ; sed quando abest, est ablata : ergo minimè poterit indicare. Ex quo firmissimo fundamento facile erit, ea quæ in contrarium sunt adducta dissolvere. Ad primum & ipsius confirmationem Resp. esse disparem rationem rigorosa significatione si sint secundum naturam, suam conservationem de presenti & de futuro indicant ; quæ verò præter naturam sunt sui ablationem de presenti, & de futuro ; unde quando temperamentum naturale non est, sive tale sit à principio, sive ex ætate, sive ex consuetudine, quomodocumque conservationem exposcat suam existentiam

Henriquez, Laurea Medica Tom. III.

desiderat, ac per consequens indicabit, quando non est, ut quando est : Cæterum causa morbi cum sui desideret ablationem, dum non existit nihil indicat, quoniam iam est ablata ; & solum sui ablationem poterit indicare ; morbus autem qui timetur, licet absit, indicat tamen ; quia cum non solum indicet quidquid præter naturam est de præsentibus, sed etiam de futuro, dum timetur indicat auferri in futurum.

Sed dices : res naturalis dum adest, indicat sui conservationem etsi existat : ergo causa præter naturam, etsi non existat, indicabit conservationem illius non existentis. Resp. quòd cum fuerit timor regressus talis causæ indicabit præcautione, ut indicat morbus futurus qui timetur : difficultas tamen solum procedit de indicatione curatoria, quam iure optimo negamus ob rationem adductam.

Ad secundum constat consuetudinem, & ætatem accipi, aut ratione actuum facientium consuetudinem, & numeri annorum constituentium ætatem, aut ratione termini, seu temperamentum resultantis ex vi actuum, seu ex numero annorum ; primo modo accepta consuetudine, aut ætate, improprie accipiuntur, & sic non per se, sed ratione temperamentum indicant ; cæterum si accipiantur ut debent accipi, pro temperamento acquisito per se indicant, iuxta dictam doctrinam ; causa verò ratione morbi, quatenus morbus id petit, non causa ipsa, etsi negari non possit, conducere ad cognitionem affectus, quòd non est indicare causam, sed affectum ipsum ; quo tertium dubium solum manet.

Difficilius tamen est : an causa sive interna, sive externa dum adest, indicet : nam eadem est doctrina Gal. circa prædictas causas ; tum in hoc primo capite tum etiam lib. de curandi ratione per sang. miss. cap. 7. & 8. necnon etiam, 13. meth. & in comm. aphor. 23. lib. 1. dum docere intendit, quæ evacutio sit exercenda pro morbi curatione. Vbi inquit. *Inspicere autem oportet, an expurgatio, vel sanguinis missio conveniat.* Quasi diceret debere indicationem sumi à causa dum est præsens, ut pote ratione illius determinari debet remedium ; neque alia de causa Gal. ipse lib. de optim. sect. docuit. Omnem indicationem in morbis non de sumi à solis morbis, cum sæpè numero ratione causæ auxiliium diversificetur in eodem affectu, & è contra in diversis morbis, idem exercetur auxiliium, ratione identitatis causæ : ergo dum causa est præsens ab ipsa sine dubio sumitur indicatio.

Contra adductam doctrinam stat ipse Gal. qui. 3. lib. meth. cap. 1. docet absurdum esse asserere, aliud esse quòd curatur, & aliud, quòd curationem indicat ; sed solum morbus curatur, & non ipsius causa ; is ergo indicat curationem, & non causa. Confirmatur : etenim omne ens naturale suam appetit conservationem, sed causa est talis naturæ : ergo non indicat sui ablationem ; quòd est necessarium in curatione. Denique quia Gal. 4. meth. cap. 3. docet indicationem à causa desumptam præcautionem esse, si rigorosè loquamur : ergo causa non indicat cautionem.

Vera tamen est Gal. doctrina, quæ docet indicationem tam à causa quæ adest, quam à morbo debere sumi in curatione, & ratio est efficax : nam curatio est transitus ab statu præter naturam ad statum naturalem, per ablationem illius

D quod

quod est præter naturam, sed talis transitus non fit sine ablatione causæ: ergo causa indicat in curatione: consequentia est legitima, quia curatio fit ablatiis his, quæ auferri indicant, & conservatis, quæ indicant conservari: ergo cum causa præter naturam, ut morbus sine dubio indicabit sui ablationem, sicut morbus in curatione, ac proinde non solum morbus sed ipsius causa indicat in curatione.

Ex his facile quæ in contrarium sunt adducta dissoluuntur: ad primum communis solutio est: rectè dixisse Galenum, esse tamen intelligendum, quatenus solus morbus curatur, curationem indicat; causam verò minimè indicare curationem, cum ipsa non curetur; indicare tamen in curatione: quia ipsa ad inventionem auxilij conducit; quemadmodum virtus non indicat curatorie, quia non indicat remedium; indicat tamen in curatione, quoniam ad determinationem remedij conducit. Tamen contra instari potest: quia non minùs curatur causa, quàm morbus: ergo si causa non indicat curationem, nec morbus ipsam indicabit: antecedens probatur; quia idè morbus curatur, quoniam sanitas acquiritur per ablationem morbi: sed etiam acquiritur per ablationem causæ: ergo causa indicat curationem sicut morbus; etenim non est magis præter naturam morbus ipse, quàm sua causa: ergo sicut fit curatio per ablationem morbi: quia est transitus ab statu præter naturam ad statum naturalem per ablationem illius, quod est præter naturam: etiam per ablationem causæ erit curatio: ac per consequens cum indicet curationem, id quod præter naturam est, & sui ablationem indicet, non magis indicabit morbus, quam eius causa, nec magis curabitur morbus, quam causa.

Instabis non esse curationem in rigore ablationem causæ morbificæ: quia per talem ablationem non fit transitus ab statu præter naturam, ad statum naturalem, cum status præter naturam constituatur per formam talem statum constituentem, per morbum scilicet: causa verò non est forma talem statum constituens; præcipuè cum per talem ablationem non adquiratur status naturalis: quia permanet morbus; at per ablationem morbi adquiritur immediatè, & in rigore status naturalis, & sic talis transitus adquisitus per ablationem morbi est rigorosa curatio; non verò ita fit per ablationem causæ; & consequenter causa minimè indicabit curationem, nec curabitur, sed solum morbus.

Contrà tamen instatur solutio hæc: quia licet dici non possit curatio completa ablatio causæ solius, quia non importat ablationem totius constituentis statum præter naturam; nihilominus causæ ablatio debet dici curatio, ut est curatio ablatio morbi: etenim non minùs per ablationem solius morbi manet corpus in statu præter naturam, manente causa, aut symptomate, quàm si per ablationem solius causæ morbus perseveret: ergo sicut illa non est completa curatio, sic nec ablatio solius morbi, erit completa curatio; & consequenter sicut hoc non obstante, curatur morbus, & indicat curationem, sic & causa morbi indicabit curationem: antecedens probatur: quia corpus in statu præter naturam dicitur per aliquid præter naturam, quod in ipso perseverat, etsi non sit forma inherens, ut probabiliter dicitur vivens morbo-

sum solum per aliquid intra ipsum existens etiam, si non inhaereat: ergo quamvis morbus auferatur, si causa, aut symptoma maneat, in statu præter naturam erit vivens, & per consequens curatio erit completa, quando fiat transitus completus ab statu præter naturam in statum naturalem per ablationem totalem illius, quod est præter naturam; ac proinde etiam erit curatio partialis, quando per ablationem alicuius præter naturam fit transitus in statum naturalem partialem: Vnde si morbus curatur, etiam causa ipsius morbi curabitur, & indicabit curationem.

Alij tamen morbum curari docent, & per consequens indicare curationem aiunt, & causam solum indicare præcautoriè tenent, & minimè curatorie; & sic rectè Galenum docere, dum inquit absurdum esse aliud curari, & aliud curationem indicare, cum morbus solum curetur, & curationem indicet, causam autem nec curari, nec curationem indicare, sed solum præcautoriè. Assumptum suadere intendunt: quoniam causa, adhuc coniuncta, & continens, sui ablationem indicans, non indicat ex se, & præcisè transitum ad statum naturalem; etenim præcisè ex se solum indicat ablationem sui, inter quam ablationem, & consequentem sanitatis, mediat ablatio morbi: ergo non indicat curationem, sed præcautionem. Probant: nam per ablationem causæ præcisè, solum consequitur, quod morbus in posterum non sit duraturus, non verò immediata ipsius sublatio: ergo ablatio causæ præcautionem morbi futuri solum importat ex se, minimè verò curationem. Huic doctrinæ consonat Galenus 4. meth. cap. 3. dicens ad providentiam pertinere indicationem causæ, id est ad præcautionem; ratione cuius idem Author 11. meth. cap. 2. in solis febribus diariis, & hæcticis veram curationem reperiri docet, in putridis autem præcautionem, quoniam à causa indicante pendent.

Tamen contra hoc stat; quia licet veritatem habere possit, respectu causæ, quæ in posterum morbum causare valeat, minimè tamen respectu illius quæ actu morbum causat, præcipuè si continens sit huiusmodi causa, ut si aliquis morbus in fieri & conservari à causa dependeat, quo in casu sanitatis inductio, & recuperatio ab ablatione causæ necessariò dependet, quæ actu causat morbum; & quamvis non dependeat morbus in conservari à causa, eius ablatio curatio est, cum nulla consideratione habita in posterum, solum per ablationem morbi præsentis contra causam operemur, quod est pro curatione, & non pro præcautione: neque interest non opponi sanitatem, & causam directè, & formaliter, ita ut ex ablatione eius sanitas inducatur immediatè, nam cum curatio fit transitus ille in statum naturalem, per ablationem totius rei præter naturam, quidquid ab sanitatis actualem consequentem facit, curatio est; Vnde quæ hoc modo indicant, curatorie indicant, seu curationem indicant, ac per consequens, ut morbus curatur, sic & causa.

Nobis tamen videtur dicendum, si rigorosa locutione utamur, nec morbum curari, nec causam, sed solum vivens; modo quo superius insinuavimus: Ratio est nam curatio est transitus ab statu præter naturam ad naturalem, illud solum curatur, quod curationem recipit, & sub-

etum ejus est; sed solum vivens est quod transit ab statu præternaturali ad statum sanitatis: minime verò morbus, nec causa: ergo solum vivens est, quod curatur. Probatur: nam si morbus aut causa curationem suscipiunt, in se formam recipiunt aliquam, per quam curari dicantur, quod est falsum, cum solum vivens actionem illam, seu formam recipiat, & non morbus; ipse tamen, aut causa agunt, & patiuntur à medicamento, subiectum verò actionis, & reactionis vivens est: ergo morbus non curatur, sed solum vivens, si rigoroso sermone verborum accingamur; licet certum sit ut supra insinuavimus vivens curari per ablationem formæ præternaturalis; ipsum formaliter constituentem in esse morbosi; & hac ratione optimè intelligitur Galeni locus adductus, dum ait absurdum esse dicere aliud esse, quod curatur, & aliud quod indicat curationem; nam vivens ipsam pro ut afficitur aliquo præter naturam, morbo scilicet, tanquam formam, curari, & indicare curationem, & non aliter. At morbus ipse esse & eius causa & omnia illa, quæ sunt præter naturam, & secundum naturam, dicuntur indicare in curatione, modo explicato; nos tamen indicare curationem, seu curari, quia ratione eorum curationem indicat vivens, & omnia illa ad inventionem, & determinationem remedij conducunt, & sic in curatione indicant, non curationem, quia non curantur, sed solum vivens ratione ipsorum curatur, & recipit actionem illam, seu formam. Largam tamen, & non tam rigorosam significatione curationem indicare diximus, quatenus conducunt ad inventionem, & determinationem auxilij; unde recte Gal. docet idem esse quod curatur & quod indicat curationem, vivens scilicet, quia ratione alicuius præter naturam quo constat, curationem indicat, & curatur.

Ad ea, quæ intendebant suadere causam præcautoriè indicare: Resp. id non esse perpetuo verum; nam licet ipsa præcautoriè indicet, quando pro ablatione morbi futuri remedium indicat; tamen quando pro ablatione morbi præsentis indicat auxilium, curatorie toto rigore indicat, seu in ipsa curatione, & non in præcautione indicat, differunt autem in rigore, indicatio curativa, & præcautio; quia illa pro ablatione morbi actualis, ista verò pro ablatione morbi futuri, aut imminentis conducit; dum tamen Gal. ad providentiam pertinere indicationem causæ pronuntiavit, non negat, indicare curatorie ipsam causam, seu in curatione indicare; sed docet nullo alio modo præcautionem fieri, quam indicatione sumptâ à causa, & hac ratione etiam in putridis reperitur vera præcautio, quia de ipsis docuit Gal. pendere à causa auxilio medico indigente; non ita diarias, aut heclicas febres, & sic in his curatio vera invenitur: hoc fiet manifestum si Galenum consulamus 2. aph. text. 22. dicentem contra aliquos, qui solum præcautoriè indicare dicebant de causa, quos deliros appellabat & hæc pro hac controversia sufficiant, cum etiam supra hanc difficultatem, licet obiter, tetigimus.

Henriquet Laureo Medica Tom. III.

CAPVT XIV.

Vtrum ad faciliorem refrigerationem aqua sit dispositio calefactio ipsius.

GUM animus sit in hoc nostro tractatu Gal. doctrinam examinare; quam in libris de methodo medendi copioso calamo adducit, ansam dedit dubitandi, ut propositam litem controversetur. Lib. 7. meth. cap. 4. ubi sermonem instituens Gal. circa curationem imbecillitatis ventriculi ait, *Verum ratio me docuit octo imbecilli ventriculi curationes. Vidisti igitur, & tu quosdam uno die, vel potius hora, frigida potione levatos: quorum alijs non aquam modo dedi fontanam recentem, sed etiam qua nive esset refrigerata; veluti Roma preparare solent, calfacientes scilicet prius, &c.* Ex quibus ultimis verbis clare videtur constare Galenum admittere præparationem seu calefactionem prius factam in aqua, ut facilius, & melius nive refrigeraretur ut more erat apud Romanos, quos sine dubio forsitan experimentum huc præparationis modum in aqua, ut facilius nive refrigeraretur monstravit; unde venit in mentem meam hoc dubiolum controversere curiositatis gratiâ, ut quisque nostro sæculo Romanorum usum imitari cogatur, si velit citius & melius, aquam nive refrigerare pro gustu, aut necessitate.

Hunc præparationis modum in aqua adducit Plinius lib. 31. Histor. natural. cap. 3. sed contra ipsum militat ratio philosophica nam per intensiorem calorem in aqua, maior, & intensior inducitur in aqua resistentia, tum activa, tum etiam passiva ut possit impedire actionem frigiditatis à nive inducendæ: ergo potius caliditas in aqua est impedimentum ut melius, & facilius à nive refrigeretur; quam præparatio adrefractionem. Cui objectioni Respondere possumus pro Gal. admittente Romanum usum: intense esse calefaciendam aquam ut melius refrigeretur: ratio est: quia calefactio in aqua, non requiritur, neque est necessaria propter ipsum calorem, sed potius propter qualitatem quamdam, seu modum substantiæ resultantem ex ipso calore in aqua, tenuitatem scilicet: ratione cuius facilius patitur aqua, & sit aptior ut alteretur à frigiditate nivis, unde quo intensior inducitur calor in aqua, maior resultat in ipsa tenuitas, & maior ad patiendum alterationem dispositio, ratione cuius citius, & melius refrigeratur.

Instabis contra hanc solutionem: nam tenuitas resultat vitalis caloris, & crassities erat vi frigiditatis præexistentis, sed ut aqua refrigeretur intense, debet prius remisse refrigerari, ita ut auferatur calor ille, à quo procedebat tenuitas, & inducatur frigiditas, à qua crassities resultabat: ergo ante intensam frigeactionem erit jam inductum frigus pro crassitie; ac per consequens calefactio antecedens inepta erit, & superflua, ut aqua melius refrigeretur, imo potius indispositio, cum per ipsam inducatur, aliquid expellendum prius, & refrigerationi resistens. Resp. quod licet præcise ratione primarum qualitatum aliquid inducatur resistens frigeactioni, quando aqua calefit; tamen ratione qualitatis secundæ, tenuitatis scilicet, aliquid inducitur conducens ad facilius patiendum, & ut facilius alteretur aqua à frigiditate nivis quippe quod tenuitatem habet, facilius alteratur, quam si esset densum.

Ad probationem Resp. quod si eo gradu, & brevitate, ac inducitur prima qualitas, resultaret secunda; & eadem brevitate ac amittitur prima, amitteretur secunda, valeret argumentum: tamen cum experientia doceat, aquam non attenuari illico, ac calefit; nec statim ac calor amittitur, amittit tenuitatem; hinc est quod calefactio sit necessaria, & conveniens: quia postquam tenuitas resultavit, etsi auferatur, aut remittatur calor, permanet per aliquod tempus tenuitas quæ sufficit ut facilius ab agente refrigeranti alteretur, priusquam densitas inducatur, quod debet intelligi ratione resistentiæ, nam si hæc deficiat, nequit dubitari, non produci facilius in uno passo, quam in alio aliquam qualitatem cum omnis alteratio in instanti fiat, secluso contrario.

Cæterum an raritas, aut densitas ratione pororum accidat, explicant Philosophi, declarantes, qua ratione corpus maiorem dimensionem adquirat, sine additione quantitatis, & sine partium separatione quando minorem comparat quantitatem sine penetratione, neque ablatione quantitatis; nam licet plures ratione pororum evenire velint eo modo quo celeritas in motu, ratione morularum, non tamen omnes ita accidere fatentur; sed in ipsa substantia corporis modum quemdam concedunt, seu qualitatem quandam fingunt, per quam corpus maiorem, aut minorem dimensionem comparat; quæ etiam ratione aquam sine poris raram posse fieri recipiunt, & sic ad facilius patiendum preparari; quod probabiliter potest defensari, sicut etiam quod celeritas in motu fiat ratione morularum, cum Vallesio nostro, aut ratione qualitatis cuiusdam cum communi opinione, quo bene componitur non esse negandos poros in aqua, ut quidam nostræ scholæ recentior acriter tenet, cum experientia doceat, Pisces in aqua audire, & soni speciem nullo modo posse communicari quam per porositates.

Difficilius tamen est explicare qua ratione corpora poros habentia, per rarefactionem habeant poros majores: e contra vero per condensationem: Et quidem ratio contrarium suadere videtur: quippe dum corpus condensatur ideo est, quia partes uniantur inter se magis, sed si inter se magis uniantur pars terminativa versus porum debet retrahi à profunditate ipsius pori, & sic de altera: ergo necessario fiet porus major, & sic de cæteris: ac per consequens per condensationem pori sunt majores, quod est contra experientiam, quæ constat febrē excitari ex conspitatione cutis, impediende per occlusionem pororum ventilationem; quæ ratione laxantibus auxiliis celebratur curatio, dictante Gal. quem sequantur communiter Medici omnes. In cuius Veritatis confirmationem clamat experimentum quotidianum nam corium foraminibus plenum, quale est *cribrum* si soli exponatur per exsiccationem, taliter condensantur partes, ut foramina fiant majora, seu ampliora, si autem humectetur, & rarescat, foramina apparent minora: ergo rarefactio potius ad angustiam pororum facit, quatenus conducit ut partes inter se separentur, ut cavitates repleantur: e contra vero densitas, quæ partes separari facit à profunditate.

Difficultati propositæ satisfacere conatur nostræ scholæ Recentior quidam in suis manuscri-

ptis dicendo: verum tenere propositum argumentum: si dum pars condensatur una non traheret alteram versus se; attamen in nobis dum corpus condensatur, una pars secum alteram trahat; hinc est quod ad occlusionem pororum conducatur, & consequenter in curatione conveniunt auxilia relaxantia, ut partes, quæ tractæ erant ab aliis separantur, & sic pori fiunt majores. Et non explicat cur ita non fiat in cribro, in quo docet experientia per condensationem foramina resultare maiora, & non est cur, si partes trahunt alias per condensationem, ita non fiat in cribro, cum tractio illa non fiat à facultate aliqua corporis, sed præcisè per densitatem. Tamen quid sit de hoc, adducta solutio non videtur sufficiens. Primò quia non apparet intelligibilis unio illa maior partium inter se per condensationem: quia nulla est maior unio, quam illa, quæ per indivisibile fit, & ipsa præcesserit iam in ipsis partibus. Et licet dicta solutio haberet locum in condensatione, minimè constat, quæ ratione per rarefactionem pori fiant majores, quoniam si partes erant unitæ, non apparet ratio, quæ suadeat recedere per rarefactionem à loco in quo sunt.

Difficilè tamen videtur in bona philosophia rarefactionem, & condensationem sine poris fieri, sicut & celeritatem, & tarditatem motus sine morulis, quod magis intelligibile apparet; quippe capere non possum, qua ratione uniantur magis, quæ iam unita sunt, neque quomodo separantur ea, quæ non dividuntur. Sic placuit in hac re asserere per condensationem partes acquirere minorem dimensionem quatenus cavitates, quæ erant distensæ, aut separatæ corporibus aliis tenuibus plenæ, auferuntur, per unionem, seu conjunctionem partium inter se se ratione condensationis, vi tamen rarefactionis denuò fiunt, partibus in antecedentem locum retractis, ratione cuius maiorem dimensionem acquirat tale corpus, quam antea; cum hac tamen diversitate, quod corpus dum condensatur ab ultimis eius superficiebus retrahitur versus profunditatem sui, quod est uniri versus porositates; seu coniungi; dum verò rarefcit versus ultimas superficies, à profunditate extenditur, & sic fiunt cavitates majores, & separantur. Ratio huius est: quia cum condensatio sit veluti unio partium inter se se, & rarefactio e contra, in uno casu versus profunditatem sit retractio ab ultimis superficiebus, & in rarefactione e contra à profunditate in superficies extimas. Et hinc constat quomodo in cribro per condensationem foramina appareant majora; nempe quia foramina illa constituunt superficies ultimas, respectu cuiuslibet partis illius cribri, & sic per condensationem, quælibet pars retrahitur versus porositates suas à superficie ultima, & consequenter pori fiunt minores, & foramina maiora, nisi forsitan tanta sit condensatio, ut totum cribrum corrugetur, & in tali casu etiam foramina fiant minora, quia licet ipsa ultimas superficies habeant illius corij per aliquas partes, cum verò per alias continua sit corium ipsum, necesse est, quod existente densitate magna, ut versus profunditatem uniantur, totum corium corrugetur, ut patet agente igne, quod etiam ostendit non retrahi versus foramina: nam si ita accideret, non esset corrugatio, sed est versus ipsas partes inter se se, & cum in foramine non dentur partes,

quæ uniantur, corrugatio est necessaria, fit hoc præcipuè, etsi foramina non præcesserint facta per artem in ipso corio, quia ab ipso igne vehementer alterante necessum est plures partes resolvi; & consequenter per condensationem magnam resultabit corrugatio; hoc autem non ita accidit, sole agente quia non ita intense alteratur corium, & ipsius partes sicut ab igne.

Si Respondeas corrugationem fieri in igne, quia inæqualiter resolvit, ratione inæqualis alterationis, quapropter aliquæ partes retrahuntur, non ita alteratae; at verò cum in sole fiat æqualiter alteratio in toto corio, non est maior ratio, cur una retrahatur versus alteram, quam contra, & idè non est corrugatio. Tamen contra hanc solutionem instatur, quoniam experientia contrarium docet: nam vidimus corium in igne æqualiter injectum, & citharæ chordam corrugari, quin ignis, seu eius calor applicetur magis secundum unam partem quam secundum alteram; & sæpè sole vehementer æstuante, seu alterante corium, ipsum corrugare: non ergo stat corrugatio in casibus adductis in æqualitate, aut in inæqualitate alterationis, sed potius in intensione, aut remissione ipsius alterationis.

Contra adductam doctrinam se offert illud commune experimentum de fractione vasis, dum repletum aqua, & ita omninò clausum est, ut minimè possit ingredi aër, apposito ad intensam frigiditatem, quæ valeat aquam condensare, ut quotidie hyemè contingit, nam in tali eventu si per unionem aquæ versus porositates fieret condensatio, corpora replentia cavitates illas, deberent replere cavitatem derelictam ab aqua & quamvis corpora illa etiam condensarentur: idem currit argumentum de aliis corporibus in porositatibus eorum existentibus: ergo non debebat frangi vas ad ingressum aëris propter replendum vacuum. Vtèrius contra adductam doctrinam urgeo: nam sicut ab ultimis superficiebus versus profunditatem retrahitur corpus in condensatione, debebat etiam retrahi à superficie constituente, seu terminante porositatem versus profunditatem: quippe etiam illa est ultima quoad illam partem: ergo non debebat resultare minor in condensatione.

Ad primum argumentum adductum Resp. minimè frangi vas propter ingressum, seu ad ingressum aëris; neque ut aliqui censent, quia erat impossibilis dispositio, tam intensa frigiditas, pro esse, seu conservari ipsius vasis, nam si ita esset, secundum omnes partes in minimas divideretur vas, sed idè est, quia etiam vas debet condensari, & sic ut partes, magis versus porositates coniungantur, necesse est, quòd aliquæ separentur, cum non sint omni ex parte ultimæ, quæ cedant, & ita necessaria est fractio per partem aptiorem, seu minus resistentè. Ad secundum dicimus, non dici ultimas superficies, nisi illas, quæ ad sensum sunt tales, verè terminantes corpus; cæterum, quæ in porositatibus inveniuntur, cum pori sint de natura corporis in sua profunditate, & veluti partes corporis iudicentur, hinc est, quòd non dicantur rigorosa, & proprià, atque accepta communi significatione superficies terminantes, neque ab ipsis ad partes ipsas fit condensatio, quia nulla est maior unio inter partes ipsas.

✠

CAPUT XV.

De dubiis incidentibus circa Galeni doctrinam.

GALENUS in hoc cap. 4. lib. 7. meth. de adstringentibus auxiliis, ita laudabiliter loquitur, circa aliquas partes, ut morbo adhuc renuente adstringentibus utatur; sic in declinatione inflammationis ventriculi, & hepatis, etsi inflammatio solum resolventia medicamenta expostulet, & adstringentia renuat, tenet expressè Galenus non esse applicanda resolventia præsidia, sine adstringentibus, cap. 13. lib. huius. 7. indicatione sumptà à parte; quæ ratione idem Author cap. 95. art. Medicin. tenet partes roborari per usum adstringentium, idem docet lib. 11. meth. cap. 16. necnon etiam 13. cap. 15. quibus in locis modum curandi partes inflammatas adducens, inquit, & ad expulsionem succorum, adstringentia conducere, & ad roborandam partem.

His præactis, & in doctrina Galeni in concusse stabilitis, pullulat dubiolium; quæ ratione in distemperie ventriculi calidâ curandâ, prohibet omninò adstringentia capit. 4. lib. 7. supra citato, ubi sequentia verba adducit, *Veni autem absinthium, & quidquid adstringeret.* Quibus verbis videtur inconstantem esse Galenum, dum ratione partis, generaliter commendat adstringentia medicamenta, ratione corroborationis, quæ pollent. Et ratio difficultatis in eo stat; quia si adstringentia utilitatem habent; nunquam maiorem, quam in distemperie calidâ, si ve ventriculi, si ve cuiuslibet alterius membri, in qua potius laxitas præter naturam pollet, quæ adstringentia desiderat; atqui in ipsa calidâ distemperie, prohibet adstringentia: ergo non sunt utilia. In cuius rei confirmationem possumus adducere Galenum ipsum lib. de opt. lect. ad Trasib. cap. 45. ubi reprehendit Medicos Empyricos, qui per adstringentia, partem minus patibilem; & robustiorem reddi affirmabant; quæ ratione cap. 50. ridiculum esse partem roborari per adstringentia docuit; & ratio id videtur suadere, nam ut cap. 4. huius lib. docuit Galenus, robur partis in optimo temperamento, & optima conformatione consistit: ergo quidquid sit de auxiliis adstringentibus, robur partis servatur, optimo temperamento, & conformatione optimâ servatis: & minimè per adstringentium usum.

Verius tamen mihi videtur adstringentia auxilia habere vim roborandi partem, ut cap. 95. art. medicin. docuit Gal. ipse, non solum quoad expultricis facultatis actionem, ut in hoc capite docuit, sed etiam quoad retentricem, ut 3. de sympt. causis cap. 3. notificavit, quod verum est etiam quoad omnes facultates: ratio est manifesta, non solum propter inæqualis adstrictionis, & siccitatis gradum pro una, aut altera facultate requisitum, & propter applicationem adstringentium secundum diversas partes; ut censet noster Prim. Col. qui tenet in partibus externis applicatis adstringentibus auxiliis roborari facultatem; si verò pars inanita sit, & versus omnem dimensionem adhibeantur adstringentia, augeri retentionem affirmat. Hoc tamen

non videtur esse verum, sed quocumque tempore, & in quocumque statu adstringentia applicentur, omnem facultatem roborant, saltim in ordine ad operandum, (cum ipsa facultates magis, & minus non suscipiant) & sic ad perfectius operandum conducunt per unionem partium inter se: quapropter dicitur Philosophus. 3. de partib. animal. cap. 6. virtutem unitam fortiozem esse, se ipsa dispersa; sed per adstrictionem omnes partes uniuertur magis, seu appropinquantur: ergo & facultates ipsarum fortiores erunt in ordine ad operandum. Nec Galenus contrarium docuit, lib. de opt. sect. sed reprehendit illos, qui per adstringentia curabant, & ideo censebant partes minus patibiles reddi per ipsa adstringentia medicamenta; non tamen roborari ad expulsionem; & cum experientia ostendat, etiam ad expulsionem iuvare, eos reprehendit, ne forsitan intelligeretur robor partium consistere in adstrictione; & ulterius monet, ridiculum esse affirmare robor partium in adstrictione consistere; alias senum corpora, robustiora essent, quia magis adstricta sunt, quod est contra experientiam: quippe robor consistit in optimo temperamento, & optimo spiritu, ad quorum conservationem, auxilia adstringentia conducunt, & sic ad perfectius operari, & in ordine ad effectum robustiora reddunt membra.

Ceterum dum Galenus in hoc cap. 4. vetuit adstringentia, in calida distemperie: Respondent aliqui, id fieri, ne siccitas inducatur, quae cum calore partis causabit majorem extenuationem, cum siccitas sit lima caloris. Haec tamen solutio invalida est, & opponitur Gal. ipsi, qui cap. 8. ejusdem lib. cit. in distemperie calida, & sicca utitur adstringentibus: non ergo ob hanc rationem, sunt prohibenda in calida ventriculi distemperie. Alter nostrae scholae recentior in hac re, solvere, seu limitare Galeni dictum intendit; dicendo Galenum non prohibere omnia adstringentia in calida ventriculi distemperie, sed solum ea, quae vehementer sunt talia, ne in marasimum trahantur partes, per nimiam auxiliorum siccitatem cum calore partis conjunctam. Colligit hanc solutionem, ex eo quod in calida, & sicca intemperie remissa adstringentia concessit Galenus ad robor partis servandum, & quia calida intemperies laxitatem inducit in parte, cui adstrictio, & frigiditas est utilis; hanc etiam solutionem insinuat Noster Col. super hoc caput: quaerens cur in sicca intemperie etiam Galenus adstringentibus non utebatur.

Doctissimus noster Socius in Caesaraugustana universitate olim vespertinam cathedram regens in suo tomo super 8. libros Galeni de method. in expositione lib. 7. cap. 4. fol. 18. super verba supra citata Galeni, dum calidam ventriculi intemperiem curare intendit, per illa verba *vetui autem absinthium, & quidquid adstringeret*: Intendens exponere doctrinam adductam, juxta genuinum sensum Galeni, tenet, illius verba ut jacent, tenenda esse: nam quamvis omnis imbecillitas virium, caloris nativi defectus sit, non tamen semper talis nativus calor dissipatus ex partium laxitate, aut nimia potiorum raritate deficit; sed interdum etiam suffocatus; quo in casu non solum adstringentia non postulat, verum e contra dilatationem partium, ac pororum raritatem proclamat, eo quod oppressus, nimisque coarctatus, vel ab humorum multitudine, vel ab eorum

crassitie, sive alia quacumque causa densante, obstructuente, aut aliter porositates occludente, suffocatur; haec sunt verba hujus Doctoris, quibus adductis concludit, solum in debilitate caloris nativi per suffocationem prohibere Gal. usum absinthii, & adstringentium, minimè verò quando aliter dissipatur, & solvitur calor nativus.

Licet tamen adducta expositio (utpote tanti Authoris) acutissima sit, & possit habere locum, quoad causam mediatam suffocantem, obstructuentem, condensantem, aut aliter ingressum aëris frigidi impediendam, pro ventilatione, & conservatione caloris nativi, cui opponitur adstringentium applicatio; minimè tamen potest habere locum quoad causam immediatam suffocationis: nam latè nostro 2. tomo de pulsib. demonstravimus juxta mentem Galeni, & rationibus efficacissimis suffocationem fieri à calore dissipante calorem nativum, & ipsam flammam, imò à calore ipsius flammæ celebrari tanquam à causa efficienti, supposito impedimento aëris frigidi ingredientis pro conservatione; quo supposito si ad causam immediatam suffocationis attendamus, conveniunt adstringentia auxilia, quae dissipationem, & dissolutionem prohibeant, quemadmodum convenire fatetur in qualibet dissipatione caloris; dummodo non fiat per suffocationem modo explicato. Verumtamen adducta expositio non videtur genuina, & legitima pro mente Galeni, nam absolute, & absque ulla limitatione in ventriculi calida distemperie vetuit absinthium, & quidquid adstringeret, quin de calida intemperie, seu debilitate ventriculi, aut nativi caloris, quae sit mediâ suffocatione, fecerit mentionem: ergo gratis videtur adducta expositio.

Militat etiam contra hujus Doctoris assertum, quod in aliis casibus in quibus debilis redditur calor nativus propter exsolutionem, non est necessarius usus adstringentium pro corroboratione partis, ut ex solutio impediatur, ut ipse planè clamat, & fatetur. Quare in hac re libenter censeo, arbitrorque Galeni doctrinam absolute esse intelligendam: Nempe quod in omni intemperie calida ventriculi jure optimo prohibuit absinthium, & quidquid adstringeret: ratio est manifesta; quandoquidem ipse pro curatione talis intemperiei adducit aquam frigidam, interdum nive refrigeratam, ut supra monuimus, quo habito unâ die, imò, & horâ unâ, fatetur curasse ægrotantes. Quo præhabito sic formo rationem, in tutelam firmissimæ doctrinæ Galeni: nam intensa frigiditas aquæ valet unire partes, ipsasque coarctare, seu condensare pro corroboratione, & impedimento exhalationis, seu resolutionis, quam intensa caliditas laxando partem, ipsamque attenuando, & rarefaciendo causat: ergo alia adstringentia superflua videntur: quandoquidem aqua frigida impedit resolutionem, & ipsa sola sufficit pro medela intemperiei calidæ. Et insuper alia adstringentia ad exsiccationem majorem, quam expediret, conducerent: omnia ergo alia sunt vitanda, quippe intense frigida auxilia compleunt utramque indicationem.

Ceterum in sicca intemperie potius laxantia conveniunt & sic jure optimo etiam adstringentia prohibet; at in calida & sicca intemperie aliqua moderatè adstringentia applicanda sunt; etenim cum medela frigidis, & humidis auxiliis sit procuranda, non potest fieri ita frigidis, ut exsiccet,

siccant, sed frigidis humectantibus; sed quæ talia sunt, non uniuert partes: ergo necessaria est aliqua adstrictio in calida & sicca distemperie, per moderata auxilia adstringentia. Sed instabis in sicca intemperie adstrictio non est necessaria; quoniam à siccitate morbosa, supponitur pars adstricta præter naturam: ergo idem dicendum in calida, & sicca intemperie. Respondeo disparẽ esse rationem: quia in sicca & calida intemperie ratione caloris inducitur laxitas, & raritas quæ ad resolutionem maximè disponunt, & adstringentia expostulat; at in sicca sola intemperie, cum non sit calor laxans, neque aliquid ad resolutionem conducens nulla est adstringentium necessitas; ex quo Gal. doctrina manet inconcussa.

Circa caput quintum lib. cit. animadversione dignum est, quod Galenus docet: nempe tempus calefaciendi, & infrigidandi esse quodammodo par; periculum verò impar. Hæc autem propositio, quoad omnes partes, quas continet difficilis apparet. Primò: quia species sunt sicut numeri in perfectione, iuxta communem Philosophorum consensum, & hac ratione calor est perfectior frigore; sed quod perfectius est in ordine ad operari est tale: ergo & calor, sed hic non dicitur perfectior: quia plusquam frigus in intensione agat: ergo quia citius operatur; ac per consequens tempus calefaciendi, & infrigidandi neutiquam potest esse par. Porro quod periculum non sit impar probatur: quoniam periculum debet procedere ratione intensiõis, magnitudinis, aut moris morbi; sed non est aliquid in frigore ratione cuius sit impar periculum: ergo ruit assertum Galeni minor probatur nam cæteris paribus in intensiõne, & parte affecta non debet iudicari maior morbus, in quo unus gradus caloris, quàm in quo unus frigiditatis excedit, aut e contra, cum sit æqualis à naturali statu recessus, & ratione talis excessus magnitudo morbi est compensanda. Vterius, nec mos, aut malignitas morbi debet indicari maior per excessum unius, quàm alterius qualitatis ex primis, quippè solum immutatio est in una ex constituentibus temperiem, & non est ratio cur deterius sit temperamentum naturale vexari per unam, quàm per alteram qualitatem earum.

Pro prima ratione dubitandi communis solutio deducitur ex litera textus, in qua Galenus non docet tempus alterationis per calorem & frigus esse par absolute; sed quodammodo par, quasi diceret, etsi calefactio ratione perfectionis caloris aliquantulum citius fiat; tamen utraque alteratio quodammodo par est, id est, ferè eodem tempore celebratur: præcipuè cum inter humiditatem, & siccitatem sit maior differentia. Contra instatur: quia licet hæc solutio sit vera in alteratione facta cum resistantia contrarij, in communissima sententia, non tamen est unde constet citius fieri calefactionem frigeactione, adhuc resistente contrario. Urgeo eandem solutionem: nam si calefactio, aut frigeactio sine contrario celebrentur resistente, in instanti fiunt, sed in unico instanti non est inæqualitas: ergo alteratio ab utraque qualitate saltim quatenus est ex se non fit tempore impari; Doctor, & Socius noster Cesar Augustinus citatus; in commentariis de methodo medendi fol. 26. in expositione huius text. tenet calorem, & frigiditatem in elementis, & cum in summo adsunt, esse inæ-

qualis activitatis ac operationis; in mixtis verò de quibus loquitur magister Galenus quodammodo pares esse docet, atque ideò tempus caloris, ac frigoris quoad alterationem par quodammodo est; hoc est, aut est par, aut parum in tempore agendi distant huiusmodi qualitates; & hac ratione exponit Galeni verba adducta circa calorem, & frigiditatem.

Hæc tamen expositio claudicare videtur: nam calor, & frigiditas ex eo quod subiectentur in elemento proprio, aut in mixtis, minimè mutant speciem, sed solum diverficantur secundum maiorem, aut minorem intensiõnem, hæc autem in mixtis, etsi remissior sit, nihilominus si in intensiõne æquali consideretur utraque qualitas, tempus in agendo erit etiam impar, & inæqualis activitatis; quippè si in elementis, consideratà caliditate, & frigiditate in summa & æquâ intensiõne, activitas est inæqualis quoniam calor activior est; sic servatà eadem proportione, & intensiõne prædictarum qualitatum in mixtis, activitas erit inæqualis, & tempus alterationis impar; ruit ergo solutio à nostro Socio adducta in defensionem doctrinæ Galeni.

Circa secundum dubium, communis etiam solutio est magis lædi partem viventis à frigiditate, quàm à calore cæteris paribus; quia frigiditas est qualitas magis violenta respectu viventis ex eo quod vita in calore consistit; & sic magis læditur vivens à frigore, quia directè contrariatur principio vitæ, quàm à calore, qui esse ad vitæ custodiam conducit, hoc ipsum potest fulciri in communi Medicorum opinione asserentium, venenum constitui per qualitatem manifestam frigidam, Galeno auctore 3. de simpl. medic. facult. cap. 23. & non per calorem; quia frigus principio vitæ opponitur directè, & minimè calor, quod ipsum in expositione docuit noster Vallesius. Hæc tamen solutio non videtur firma; quoniam ex ea non manet solutum argumentum adductum probans non minùs vitari temperamentum per unam, quàm per alteram qualitatem cæteris paribus; ita ut gratis dicatur deterius esse alterari per frigus, quàm per calorem, etsi unum venenum dicatur, & non alterum.

Respondere tamen possumus cum doctrina, quàm cap. 23. huius lib. adducit Recentior nostræ scholæ; nempe, quòd si solum attendamus ad ipsam temperamenti mutationem, currit argumentum; at verò quia subiectum quodlibet, circa qualitatem excedentem, quàm petit, maiorem latitudinem habet; hinc est quòd vivens cum exposcat calorem excedentem, habet maiorem latitudinem versus calorem; & consequenter, quòd minùs lædatur à calore; quia alteratur intra latitudinem requisitam, quòd non est nocivum; si autem per frigiditatem excedentem alteretur, cum versus ipsam minorem habeat latitudinem vivens, necesse est ut magis lædatur, & consequenter periculum erit maius, si alteretur à frigore, quàm à calore, ut Gal. notificat. Hæc solutio supponit quòd est probandum, id scilicet de quò est difficultas; & licet verum esset non satisfacit dubio, quia supponit maiorem latitudinem habere vivens versus qualitatem excedentem quàm exposcit, quàm versus aliam, quod non probat: militat etiam contra suppositum ipsum argumentum ostendens vivens tale temperamentum exposcens, ipsum expostulare

determinatum ex talibus qualitatibus, ita ut non magis unam, quam alteram qualitatem desideret ex his quæ componunt temperamentum requisitum, nec maiorem latitudinem obtineat versus unam quam versus alteram: potius enim constat oppositum, cum experientia doceat opera perfectiora potentia perfectiorem temperiem, minorem latitudinem habere circa qualitates proprias, quam imperfectiora, & quæ minus perfectam temperiem exposcunt; quippe illæ operationes minori lapsu deficiunt, quam imperfectæ: ergo ex eo quod vivens petat calorem excedentem non sequitur maiorem latitudinem habere versus unam quam versus alteram qualitatem. Et adhuc quamvis hoc esset verum non sequitur periculum esse impar inter calorem, & frigiditatem, quia hæc deterior qualitas sit; nam si minus læditur pars à calore, quia calorem exposcit, etiam pars, quæ frigiditatem postulat, deberet lædi minus à frigore; etenim sicut illa habet latitudinem versus calorem; ob eandem rationem hæc versus frigiditatem debet habere latitudinem: ergo non esset deterior alteratio à frigiditate absolute, sed pro ratione partis alteratæ. Præterea: quia si hoc ita esset, cum Gal. ageret de curatione ventriculi, & alterationes sint periculosæ propter partes vicinas, deterior deberet esse calefactio, respectu earum: quia plures sunt frigidæ ex propria natura, quæ iuxta hoc placitum maiorem latitudinem debebant habere versus frigiditatem; si quidem sunt plures partes membranosa, & nervosa, quæ frigida sunt, & usu frigidorum læduntur, ut docet Gal. 9. meth. cap. 5. adducens læsiones, quæ ex potione frigida fuerunt secutæ: ergo non ex eo quod vivens exposcat maiorem calorem, latitudinem maiorem habet versus ipsum, nec ob hanc rationem debet lædi magis à frigore, quam à calore, ac per consequens æquale debet esse periculum in utraque alteratione.

Nihilominus doctrina Gal. vera est, & intelligenda, non quatenus frige factio absolute sit deterior; sed ex eo quod interdum frige factio, & quandoque calefactio sit deterior pro ratione partis vicinæ, ut constat ex his, quæ cap. 13. huius libri dicit Gal. ostendens à temperie partis sumi indicationem, ita ut calidiora sint exhibenda medicamenta pro parte calida, & frigidiora pro frigida: ergo non læditur pars absolute magis à frigiditate, quam à calore. Periculum tamen est impar absolute, in calefactione, aut à frige factione ut notificavit Galenus: quoniam partes unam, aut alteram petunt temperiem, & sic unam, aut alteram naturam habent & cum alteratione, quæ maxime læduntur, patientur magis, quam per contrariam, hinc oritur, quod periculum sit impar. Dixit tamen esse impar: quia per frigiditatem partes possunt contrahere non levem alterationem: non quia alteratio à frigore absolute deterior sit, ut tenent Recentiores interpretes, nec hoc voluit Gal. sed quia agebat de curatione ventriculi, & cum periculum esset ratione affectus, quem poterant contrahere partes vicinæ & hæc à frigore patientur magis: quia membranosa, & nervosa sunt, iuxta illud Hipp. 5. aph. text. 18. *Frigidum inimicum ossibus, dentibus, & nervis, &c.* Hinc est quod dixerit periculum impar: quia partes illæ vicinæ à frigiditate patiebantur magis, seu de

terius, minime verò: quia alteratio à frigore esse, & absolute deterior sit, nam dum iuxta partes ex sua natura calidas, debet fieri medicatio, ut si fiat iuxta hepar deterior erit calefactio: quoniam magis patitur hepar à calore, aut quia facilius est incidere in morbos similes, ut tenet cum Gal. Vall. nofter 1. de simpl. medicam. facul. cap. 3. quod verius est; aut quia aliquas peculiare alterationes ferant melius, & aliquas deterius: ergo periculum impar est in calore, aut frigore, non quia semper deterior sit alteratio à frigore, sed interdum ab una, & interdum ab altera qualitate: dixit autem à frigore, quia in tali curatione partes vicinæ nervosa, & frigida cum sint, à frigore magis læduntur. Præterea quia ipse Gal. 10. lib. meth. cap. 10. agens de hæcticorum curatione inquit melius esse hæcticum in marasimum frigidum trahere, quam sub hæctica desinare: verba sunt sequentia: *Itaque curare hos quoque cum putrefactione expedit, ac in alterum transferre marasimum, quem jam nominare senium ex morbo insuevimus: licebit enim his, non tantum plures dies, verum etiam menses vivere.* Tunc sic: sed si absolute esset deterior, & periculosior alteratio facta à frigore, non esset utile hæcticos ad frigidum marasimum mutare: ergo adhuc absolute periculosior est alteratio à calore, à quo acutiores, & periculosiores morbi causantur, quam à frigiditate: debet ergo intelligi Gal. præcisè ratione damni, quod partibus vicinis communicatur, quod erit deterius, prout pars est aptior, ut alteretur ab una, aut altera qualitate, ratione cuius periculum impar est, & cum partes proximæ ventriculo aptiores sint ut à frigiditate alterentur, hinc oritur quod dixerit Gal. deteriore noxam sequi ex alteratione à frigore facta; non verò quia de qualibet parte absolute hoc possit intelligi.

Insuper dictavit Gal. inter humiditatem, & siccitatem curandam tempus esse impar, & securitas par. Contra quod militat ea, quæ dicta sunt de calore, & frigiditate: nam sicut inter ipsas duas qualitates datur diversitas specifica, & hoc non obstante tempus est quodammodo par, & securitas impar, pro diversitate partis patientis iuxta Gal. normam sic debebat philosophari, inter humiditatem, & siccitatem; nec apparet ratio cur plus temporis ad humectandum requiratur, cum inter ipsas imperfectior, seu minus activa qualitas iudicetur à Philosophis siccitas.

Communis solutio in eo stat, quod per siccam intemperiem curandam non debet intelligi ex Gal. pars siccitate tantummodo affecta, nam si hoc ita esset argumentum haberet vim; sed potius per siccam intemperiem, debet intelligi pars sicca ex defectu substantiæ naturalis humectantis, iuxta diversas siccitatis species à Gal. adductas; unde cum talis siccitas sit medicanda per repositionem humidæ resolutæ, & talis repositio difficulter fiat, & pluribus transmutationibus intermedijs celebretur: hinc est quod humida temperies difficile inducatur, quæ valeat siccam intemperiem auferre: At verò humida intemperies cum eveniat per aliquam substantiam præter naturam existentem, quæ valeat humectare, & eius curatio per consumptionem talis substantiæ fiat; inde oritur, quod facilius, & brevius possit curari humida intemperies, quam sicca,

sicca, quoniam facilius vi medicamentorum substantia aliqua resolvitur, quam alia humida naturalis acquiritur, etenim hoc plures in nobis supponit alterationes, & transmutationes, quæ tardiùs fiunt, quàm resolutio, quæ nullas transmutationes supponit, & sic brevius fit, ac per consequens tempus humectandi, & exsiccandi est impar; periculum vero est, utpote medicamenta pro his intemperiebus curandis parum activa sunt, & sic remissè possunt alterare, & immutare partes vicinas.

Hæc tamen solutio non videtur coherere cum doctrina adducta Galeni: nam cum loquatur de intemperiebus curandis, de ipsis debet loqui æqualiter, & sic cum de frigida, & calida sermone instituit per alterationem à frigiditate, & à calore medicari tenet, & dum de aliis profert tardiùs curari, minimè fatetur, id esse per transmutationes mediantes; sed quia minùs activa sunt. Verba Galeni perpendite. *Facillimè ad curandum alterationes sunt, quæ ex calido & frigido consistunt, propterea quod maximè activis qualitatibus corriguntur. Acrius curantur quæ in humido, siccoque habentur, quòd imbecillibus, & (ut sic dicam) magis materialibus qualitatibus eorum curatio perficitur*: ergo est intelligendus Galenus de intemperiebus, prout significant partes contraria temperie affectas, & prout debent per alterationem contrariam curari; sed hoc modo accepta Galeni doctrinà habet vim argumentum ostendens idem esse philosophandum de humiditate, & siccitate, ac de aliis duabus primis qualitatibus: ergo sicut in illis tempus est quodammodo par, & periculum impar, idem debet haberi, & in humiditate, & siccitate. Præterea: nam si intemperies sicca difficiliùs, & tardiùs curatur, quia consistit in defectu substantiæ, & propterea tardiùs celebrantur transmutationes requisitæ ad rehumentationem, sequitur etiam periculum esse impar, inter humiditatem, & siccitatem, quemadmodum est inter calorem, & frigiditatem. Probatum assumptum: nam in his periculum esse impar, quia aliqua qualitas potest propter aptitudinem partis, intensius alterare partes vicinas; sed etiam medicamenta exhibenda pro humida, aut sicca intemperie, possunt, & debent inæquali periculo alterare: ergo: minor probatur, quippe tunc est impar securitas, cum effectus productus à medicamento in partibus vicinis, pro intemperie humida curanda, est periculosior, quàm quæ à medicamento pro intemperie sicca curanda inducitur: ergo periculum est impar. Ultima minor suadetur: nam medicamentum pro humida intemperie curanda est exsiccatum, & resolvens substantiam humidam, medicamentum verò pro intemperie sicca delenda est humectans substantificè; sed deterius est partes vicinas exsiccare, & resolvi humidum ipsarum, quippe hoc tandem insanabile redditur auctore Galeno cap. 5. quàm partes vicinas humectari sive substantificè, sive qualitativè, utpote hoc potest mederi: ergo securitas non est par in curatione humidæ, aut siccæ intemperiei, si intelligitur per siccam intemperiem, pars sicca per defectum partium humidarum, & humida per excessum.

Verius tamen dicendum videtur, in omnibus intemperiebus curandis eodem modo esse intelligendum de partibus sicca intemperie affectis, ac calida, aut frigida, & de medicamentis

pro ipsis; verum tamen est calorem, & frigiditatem ferè æquali tempore agere, securitate tamen inæquali; e contra humiditatem, & siccitatem: de securitate inæquali caloris & frigoris dictum est; de securitate æquali humiditatis, & siccitatis constat, cum parum activæ sint hujusmodi qualitates, & remissè valeant alterare; unde non est periculum considerabile, in utraque alteratione, quod non posset intelligi de medicamentis pro resolutione faciendâ conductibus ad exsiccandum, si sicca intemperies in defectu partium deberet consistere. De paritate temporis est major difficultas; nam si ratione diversitatis specificæ eveniat diversitas, & hoc deberet intelligi ratione resistantiæ, ita ut cum ipsa citius ageret calor, non ita frigus, etsi parvâ diversitate, propter quod quodammodo pari tempore agunt, idem deberet currere, de aliis duabus qualitatibus, & ita quòd brevius ageret humiditas, quia perfectior, quod est contra Galenum. Ulterius: nam si ratione diversitatis specificæ esset, ex eo quod passum contrariam qualitatem haberet, aut secus, non tolleretur id, quod de intrinseca perfectione habebat, quælibet qualitas; sed sic est, quod deficienti contrario omnis alteratio fit in instanti: ergo produci brevius, aut tardius non oritur ab intrinseca perfectione sed ex alio capite rimari debet intrinseca, & diversa perfectio, cum ipsa nunquam debeant privari. Totum hoc petit solutionem illius communis difficultatis à Philosophis positæ, & à Galeno adductæ in hoc capite; scilicet unde eveniat, perfectiores esse calidam & frigidam intemperiem & faciliùs curari, quia magis activæ qualitates sunt, id est cur minùs activæ, itaut passivæ qualitates appellentur, & tardiùs auferantur: nam si ratione diversitatis specificæ eveniret, tardiùs deberet operari imperfectior; quod non constat, cum omnis alteratio fiat in instanti, dum nullum adest contrarium; & defectus contrarii non tollat diversitatem specificam earum, & perfectionem à tali diversitate procedentem. Respondetur imperfectiorem, aut perfectionem majorem non stare penes id, quod una celerius alterâ operetur, existente contrario, nam hoc non constat, & gratis dictum apparet, & hoc si de natura qualitatis esset, semper esset: constat ergo perfectiorem esse qualitatem, quia plus sui producere valet in passo. Imperfectior verò quia non potest tantam intensiorem producere, quod experimento constat, plus scilicet caloris produci ab agente summè calido, quàm à frigido intensiori, cum non possit perseverare manus juxta ignem, & possit juxta quodlibet agens frigidum, aut cum minori molestia: ergo est quia perfectior qualitas plus valet agere; humiditas vero, & siccitas ita imperfectiores sunt in agendo, non quidem quia tardiùs, sed quia ita remissè agunt, ut nunquam videatur summa, aut vehemens humectatio facta ab aliquo agente humido; nec vehemens exsiccatio ab aliquo agente absolute sicco; nisi forsitan calidum sit; quod ita verum judicat Noster Vall. 5. de simpl. med. facult. cap. ult. ut afferat calidum, & frigidum, posse ut quatuor esse talia, quia possunt vehementer alterare; humidum vero, & siccum non ita; quippe non possunt vehementer alterare; illa vero nisi summè calida sint id facere nequeunt: ergo imperfectior est qualitas, quia in minori intensiõne, potest alterare quàm

quàm alia sive fit contrarium, sive secus; non quia tardius. Favet huic sententiæ Galenus capit. in quo postquam dixit, quæ sint, hoc, aut illo gradu talia, inquit, neque esse summè sicca, nisi urant; id est non dari sicca, quæ summè exsiccant, nisi ratione caloris urentis exsiccatio accidat, ac per consequens calidam, & frigidam intemperiem facilius curari; quia activæ magis sunt tales qualitates; difficilius verò humidam, & siccam, quoniam minùs activæ sunt humiditas, & siccitas, id est, quia remissè valdè agunt ex propria natura, periculumq; est impar, in illis in quibus est magna alteratio; non verò in aliis, quippe parum activæ sunt; tempus etiam est par in calore, & frigiditate propter minimam in agendo differentiam; impar verò in humiditate, & siccitate; non præcisè, quia ad productionem sui effectus sit diversitas, sed quia ut consequatur, sunt necessariæ transmutationes plures ad humectandum; cuius ratio in eo stat: quia licet exsiccatio per humiditatis productionem auferatur, cum non possit talis productio fieri, nisi reponatur altera substantia humectans, per cuius defectum resultavit; hinc est quod exsiccatio non possit curari nisi mediis transmutationibus conducentibus ad generationem illius substantiæ resolutæ humectantis: dixi humectantis sive humidam substantiam reparantis, quia cum tales qualitates remissè activæ sint, non possunt alio modo humidam reddere partem vehementer, nisi per multitudinem partium humidarum; ideoque quatuor humiditates mediare ad nutritionem recipiunt unanimiter Medici cum Aver. quia illæ substantiæ humiditatem naturalem conservant, & sic species diversas siccitatis, per diversam humiditatum consumptionem explicat Gal. cap. 6. lib. citati.

Sed dices: ergo curatio humidæ intemperiei, & sicca debet celebrari medicamentis conducentibus ad reparationem per sicca, & ad resolutionem per humida; ac per consequens securitas non erit in curatione par. Respond. hoc non esse necessarium per se ad exsiccationem; nam licet ad exsiccationem præter naturam hoc requiratur, quia maior est necessaria alteratio, quam non valet facere siccitas per se; ad humiditatem præter naturam auferendam sufficientia medicamenta per se exsiccantia, ut docuit Galenus c. 9. & talia auxilia resolvere non valent; ac per consequens curatio æqualis securitatis est per se in humida, & sicca intemperie. De aliis siccitatis gradibus agit Galenus: cæterum quia in nostro tractatu de febribus, de illis egimus, in opere præsentis dicta sufficiunt.

Nec omitam id quod de vino docet Galenus (etsi de ipsius differentiis, & temperie dixerimus tract. nostro de aliment. facult.) propter speciale dubiolum, quod se offert: an scilicet in Senibus utilius sit ipsum vinum propinare merum, an potius aqua dilutum, dedit occasionem dubitandi Galenus in hoc cap. 7. lib. 7. ubi de vino loquitur, & firmiter tenet vinum vetus convenire frigidæ, & sicca intemperiei, & eò antiquius, quò frigidior fuerit pars, ita ut amarum non sit, nam tale immodice desiccatur; consonat idè Auth. 4. de simpl. med. fac. ubi docet, vina, quò antiquiora, eò esse calidiora, & quò magis talia, amara, & sic quamvis antiquum vinum commendat, non tamen ita amarum sit.

Recentior tamen nostræ scholæ, circa hanc

rem asserit, quod cum vinum merum facultatem requirat robustam, solum in ætatibus in quibus possit commutari exhibendum esse docet; senibus verò aqua dilutum esse propinandum; & adhuc si vinum merum sit exhibendum facultatem non debilem requirere ait, alias non commutabitur, sed potius corruptetur, & exsiccate valebit, & corpus excrementis replebit; quare ipsum aqua dilutum præbere utilius iudicat, in Senibus, & debilibus corporibus, quippe sic facilius commutatur, & commoda à Galeno adducta sequuntur ex commutatione ipsius, quia & calefacere valebit, & materiam pro spiritibus generandis præstabit.

Tamen etsi negare non possumus, vinum aqua dilutum pluribus convenire, plusquam merum; non tamen caret difficultate cur merum vinum non sit exhibendum cuilibet, & quare aqua dilutum convenire possit, quibus merum non est utile. Recentior citatus convenire aqua dilutum senibus, & non merum inquit: quia cum imbecillis sit eorum virtus, non valent vinum merum commutare. Cæterum contra hanc doctrinam stat Galenus, qui expressè 7. cap. sic ait. vinum autem eligendum semper est antiquum, eoque antiquius, quò maior fuerit frigiditas: ergo si desiderat, & consulit antiquius pro maiori frigiditate debellanda, & corrigenda, non oportebit ipsum propinare dilutum: in cuius confirmationem perpendite verba, quæ adducit idem Author. 5. de sanit. tuend. cap. 5. sanè vinum, ut *Pueris est alienissimum; ita Senibus est aptissimum: esto autem id ex eis quæ calidioris nature sunt.* Et inferius adducens regulas eligendi vinum, ait, *fit substantia tenuissimum, & colore flavum: calidissimum autem, si colorem spectas, flavum est:* ergo de sententia Galeni senibus vinum aqua dilutum exhibendum non est, cum calidissimum desideret; totum quod magis explicat, dum refert utilitates, propter quas exhibendum est, sic ait: *Vinum igitur illud maximum commodum Senibus præbet: quia omnia eorum membra calefacit, & per urinas, serum sanguinis expurgat.* & infra dum vinum album commendat, est, quando cibus ante Balneum præcessit, si fuerit sitis loco aquæ ad distributionem eius, totum quod transtulit. Av. fol. 3. lib. 1. doc. 4. cap. 3. quo in loco ut etiam tenent in expositione Iacobus, & Gentilis, vinum calidius pro senibus commendat, ac per consequens minimè dilutum, aquosum verò cum solum distributionis sit necessitas.

Ratione etiam suaderi potest hoc assumptum: nam vinum potest exhiberi, ut calorem partibus communicet, ut medicamentum, & ut alimentum. Primum melius fit per vinum merum, quo melius completur indicatio: ulterius ut alimentum etiam magis conducit merum vinum, quia in substantiam calidioram transmutatur.

Si respondeas non posse converti in senibus, quia ipsorum calor non valet alterare vinum merum. Contra instatur solutio: quia ipsum antiquum; & quo maior est frigiditas ventriculi, antiquum commendat Galenus: ergo iudicat, non obstare calorem vini, ut possit commutari, & converti à senibus. Nec valet si ulterius respondeas: propinari tunc à Galeno ad calefaciendum & minimè pro nutrimento. Nam contra instatur: quia Galenus, docet ventriculum esse calefaciendum, ita ut calor in qualitate non intendatur, sed temperamentum fervetur, & substantia

tia augetur, quod vino & aliis auxiliis, seu medicamentis fieri fatetur: ergo vinum antiquum quod exhibet, est ut nutriat, & ut substantiam calidam augeat. Audite Galenum. cap. 7. *Et calefacere ventriculum, ita ut in qualitate calorem non intendat, sed quā maximē naturale eius temperamentum tuearis, ac substantiam inangas; efficit hoc in victu simul cum dictis, maximē vinum.* Ex quo patet vinum merum in frigida intemperie posse converti: præcipuē cum negari non possit, saltem secundum partes secundum quas est in potentia, posse alterari, & transmutari: ergo vinum merum adhuc senibus est utile dummodo ratione morbi non sit aliqua contraindicatio.

Præterea: nam si vinum merum non potest coqui, neque est utile senibus, neque aquā dilutum erit utile; probatur: nam per admixtionem cum aqua, non tollitur calor naturalis vini: ergo si calor ipsius impedit, alterari à senibus, ita ut non convertatur; etiam si vinum aquā diluatur, non poterit alterari, neque converti; etenim mixtio cum aqua solum facit ipsum vinum alterari à frigiditate aquæ; sed talis alteratio non tollit incapacitatem, quam habet vinum, ut possit alterari supra suam intensiōem: ergo si merum non potest converti, neque aquā dilutum; minor probatur: nam vinum non convertebatur merum, quia calor viventis non valebat supra calorem vini sufficienter agere, victoriosa actione; sed quamvis ab aqua refrigeratum sit vinum, nihilominus calor noster non poterit agere ultra id, quod antea agebat in vinum; atqui antea ipsum non valebat commutare: ergo nec postea: suadet minor: nam id quod producit à viventi in vino aquā diluto, est id, quod fuit ab aqua ablatum; sed id est debitum ex propria natura, & propria forina vino: ergo illud minimē conducit ad conversionem; supra intensiōem debitam non potest vivens agere, ita ut commutet: ergo si antea non potest, numquam poterit; aut semper poterit, ac per consequens, si vinum merum non convenit senibus, neque dilutum convenit; & si dilutum commutatur, merum etiam commutatur; & cum ex alia parte vinum antiquum Gal. concedat, merum etiam concedendum est, ut utile; tamen in parva quantitate, aut moderata, ut suffocare non valeat imbecillum calorem viventis; ita enim calor nativus conservabitur, & spirituum fiet nova generatio, ut vivens possit perfectē suas elicere functiones. Aliter enim sic loquitur Vall. Noster, lib. de Sacra Philosophia. Iam verò nihil arboris stultius quàm senibus vinum merum abundanter propinare; corpus enim replet cruditatibus, innumeros parit morbos, & mortem properat.

CAPVT XVI.

Quomodo se debeat Habere Medicus cum Plures incurrunt indicationes in curatione morborum.

Si perpendamus Galenum lib. 7. meth. cap. 12. invenimus normam, quā debet Medicus observare, cum plures se offerunt indicationes, in morborum medela: verba Gal. sunt

sequentia; Respicendum esse an aliquod ex aliquo immineat periculum, quod vocat urgere, & quod alterius sit causa, & quod ante aliud aufferri non possit; nam urgentiori est occurrendum; sin minus causa, si autem aliquod ante aliud nequit curari, ad id quod ordo dicitur. Quibus verbis videtur primò urgentiori, secundò causæ, 3. conditioni esse occurrendum: dicitur conditio sine qua non, id quod impedit alterum, ante ipsum auferri; non tamen est ita, neque hoc nos docet Gal. nam per illa verba; *ad id quod ordo dicitur est respiciendum.* Manifestè explicat, si unum ante aliud non potest auferri, ad id quod ordo dicitur est respiciendum; id est auferendum est prius id quod impedit tolli alterum, seu ante alterum tolli petit; si attendamus, primò urgentiori est occurrendum, & deinde causæ: pro cuius intelligentia in ipso ventriculo posuit exemplum Galenus: dicens, si humor à capite in ventriculo fluat, & intemperiem causet, & humor præterea imbibatur in tali causa: non dubitat intemperiem esse præcipuum indicans sui ablationem, per ablationem causæ id est per ablationem vitij capitis talem fluxionem causantis: nam inquit, *Vbi aliud efficiens est, aliud quod ab eo efficitur, ipsa causa est spectanda.* Si autem supponamus maximam esse quantitatem humoris in ventriculo contenti: & deinde ab ipso humore contento, morsum excitari, syncopen, aut animi deliquium, ante ablationem talis accidentis, nulla potest fieri medicatio; quippe viribus deficientibus nihil sit, & sic primò accidentibus illis occurrere debemus, id enim ordo dicitur, ut id auferatur prius, sine quo alterum auferri non potest; præterea urgentiori, ut tandem de veniamus ad causam; vocat urgentius Galenus, quod maximum est inter indicantia, & cum dixerit supponendum esse maximam humoris quantitatem; illam dixit urgere; ut ipsa imminuta, à causæ ablatione curatio perficiatur, pro qua non est intelligenda causa immediata tantum, sed causæ omnes, quæ talis effectus sunt; nam cum sanari non possit, quin eius causa auferatur, si illa ab altera dependeat, neque tolli poterit, quin etiam altera auferatur, & sic de cæteris, donec in primam illius generis deveniamus.

Porro ut id quod urget percalleamus, (inquit Gal.) cognoscendam esse magnitudinem morbi: nam ab ipsa sumi urgentiam censet. Sic ait, *atque in esse curationis consilio quod ab urgente innuitur, affectus magnitudo perpendenda est;* quo ordine curationem esse incipiendam ab urgentiori docet; id est à maiori morbo, pro quo non est intelligendum, ita ut ab illo morbo debeamus incipere curationem, ut remedia directè cum ipso opponantur: hoc enim non est ita; nam pluries in vanum, & præter rationem operaremur; sed incipere ab ipso, est incipere ab eius ablatione, eo modo, ac auferri petit ipse, vel per causæ ablationem. Ideoque inquit Gal. dum aliquid ante aliud curari non licet, ad id quod ordo dicitur est respiciendum; quod fiet manifestum, si attendamus quod Galenus, ut explicet, quid urgeat magis, postquam à magnitudine morbi sumi urgentiam docuit, loquens de intemperie regulariter auferenda iu primo casu, sic postea loquitur. *In huiusmodi explanationis dignitate, maior est intemperies, & infra adducens quod urget, & quod ante aliud medicari ex postulat, inquit: Constat igitur primum esse adhibendum*

adhibendam curam, ut ei quod vires resolvit occurratur; deinde quoniam omnium maximum, propria essentia ratione hoc fingimus, utique ad id primum te verteris; ubi id mediocriter se habuerit, ac nec vires amplius habent, nec plurimum vitiosi succi in vetriculo sit, tunc nimirum ad causam accedes. Quibus verbis manifestè docet urgentiam majorem sumi à magnitudine majori affectus complicati, cui primò occurrendum, si non sit aliud, quod ante ipsum auferri exposulet; & his deficientibus causâ morbificâ occurrere debemus; ex quo patet, propria rationem conditionis habere, quando auferri ante alia exposcunt (aliàs non consequetur sanitas) rationem verò urgentis, alter affectus habet, quando si regularem curationem spectemus, prius potest interficere, aut cum periculo lædere; curationem vero regularem habet morbus, indicatione sumptâ à causâ, cum nullum accidens auferri prius perit, neque alter affectus est periculum minans, ante causâ ablationem.

Dubitant circa hanc rem cum Argenterio Recentiores, an hujusmodi curationes adductæ à Galeno differant inter se, etenim videtur curationem regularem factam à sublacione causâ morbificâ, esse à conditione sine qua non, cum sine illa non possit morbus auferri, quod idem de urgentiori dici potest: ergo una est curatio. Præterea quoniam regularis curatio debet nominari illa, quæ secundum regulas artis celebratur, sed quæ ab urgentiori incipit, aut à conditione, etiam sit secundum regulas artis quippe ita fieri exposcunt quælibet: ergo omnis debet nominari curatio regularis.

Vera tamen est Galeni doctrina, quæ docet, diversas esse curationes ab ipso supra adductas; nam regularis, & methodica curatio est illa morbi ablatio, quæ per ablationem causâ celebratur: ergo ex propria natura, morbus, qui curari exposcit ablationem causâ indicat, dummodo à causâ dependeat; Vnde ille est modus regularis, & primus in cujusque morbi curatione, qui per ablationem causâ fit; at verò morbus, qui aliter curatur, non medetur regulariter, sed præter communem ordinem, & naturalem, & talis curatio dicitur coacta, sive sit ratione urgentiæ, sive ratione conditionis sine qua non; sunt tamen hæc duæ curationes diversæ, prout illa, quæ ratione urgentiæ fit, periculum respicit præcisè ab affectu urgente; quæ verò à conditione, non periculum conditionis per se, sed ipsius morbi, quem intendimus curare, impedimentum respicit; finge igitur (exempli gratiâ) ulcus cum inflammatione, aut sordibus, & fluxu sanguinis existens: tunc sic, ulcus ipsum est quod curandum proponitur, quod si aliis accidentibus non est complicatum, præcisè ratione illius, aut unio, aut generatio carnis intenderetur, si à nulla causâ procederet; sin minus à sublacione causâ inciperet curatio regularis; cum verò fluxio sanguinis cum inflammatione, aut sordibus est, tunc inflammatio, & sordes, ulceris curationem impediunt; quia neque unio, neque carnis generatio, illis existentibus, potest consequi: debet ergo conditio hæc prius auferri. Si tamen sanguinis fluxus perseveret, vires cadunt, & urget prius ipsas restaurare, ne vivens pereat antequam curatio perficiatur: ergo hujusmodi indicationes à Galeno assignatæ differunt modo explicato.

Ex dictis ergo examinare oportet, quæ sit illa, quæ majorem vim obtineat, & priorem locum semper in curatione habeat; etenim hucusque & ab urgentiori esse incipiendum, dictum jam est, & à conditione, & videtur semper à conditione esse incipiendum, quippe conditio est sine qua non, quia sine illius ablatione, nequit celebrari curatio: ergo ab illa semper debemus incipere. Ex alia vero parte, quod urget est à quo instat, seu imminet periculum: ergo ab urgentiori debet initiari curatio. Præterea; nam docet Galenus urgentiam esse sumendam, ex morbi magnitudine, sed magnitudo est triplex Galeno ipso authore: ergo restat examinare, à qua magnitudine sit incipiendum, cum ipsa sit quod magis urget in morbis. Si respondeas à majori, seu intensiori magnitudine sumi urgentiam. Instatur solutio, nam in primis restat scire, quæ sit major ex tribus; & adhuc restat examinare, si ratione alicujus conjuncti, aut ex se sint æquales, à qua ex illis sit incipiendum, seu, quæ sit, quæ magis urget.

Respondeo principali dubio curationem semper incipiendam esse à conditione, si conditio sit, respectu illius, quod urget; si autem respectu illius, quod urget, non sit conditio, urgentiori est occurrendum prius, & deinde conditioni, quæ respectu affectus principalis est talis: cujus ratio est manifesta; nam si id quod magis urget periculum demonstrat, ei est occurrendum; si tamen ipsum non possit auferri sine ablatione conditionis, prius est auferenda conditio; etenim quoad hoc eodem modo se habet, ac si alterius affectus conditio consideretur; ut in febre aliqua si talis detur urgentia, quod judicemus, quòd si medicamentum expurgans ante coctionem non propinetur, vivens non possit coctionem peragere; tunc igitur urgentiæ ratione, medicamentum expurgans exhibemus; si tamen alicui existat durities, & inobedientia ventris, conditio quædam est, sine qua nõ potest exerceri purgatio: nam quamvis medicamentum expurgans exhibeatur, frustrabitur ejus effectus; debemus ergo primo occurrere conditioni, per medicamentum alium emolliens scilicet per clysterè, postea urgentiæ, & tandem affectui principali per sublacionem causâ. Si verò conditio non sit respectu urgentiæ, sed principalis affectus, ut quando cum ulcere reperitur inflammatio, seu sanguinis fluxus; primò fluxui sanguinis urgenti debemus occurrere, deinde inflammationi, & tandem ulceri: ex quo prima difficultas soluta manet.

Ad secundum dicimus, illam magnitudinem morbi exposcere prius curationem, ex qua majus periculum imminet, quod est contingens in quacumque magnitudine, si autem æqualiter urgeant, aut una est causa alterius, vel ad invicem sunt causæ, vel nulla; si primùm accidat, illi, quæ rationem causâ habeat, est prius occurrendum si alterum ex dictis accidat, mixta debent applicari auxilia, ut pro ambobus occurramus.

Circa solutionem eorum, quæ adducta sunt, ostendentia non esse diversas curationes adductas à Galeno: Respondent Recentiores nostræ scholæ cum Prim. C. in suis manuscriptis: esse diversas curationes: quia conditio auferitur, ut alter morbus curetur, non quidem per se, aut indicatione sui: quod verò urget, indicatione sui, & per se auferitur, non ut alter affectus curetur.

C.XVI Quid agendum ubi plur.ind.&c. 49

Fundamentum est : nam sæpè numero utitur Medicus medicinis pro auferendo affectu urgente , quòd noceat , pro principali affectu : ergo curatio ab urgentiori , non est , ut alter affectus sanetur , sed pro se ; curationem verò à conditione differre à regulari curatione , quia illa non fit per ablationem influentis in affectum ; regularis verò maximè . Hæc solutio etsi quoad hoc ultimum veritatem habeat aliquam , si intelligatur non solum de vero influxu , in genere causæ efficientis ; sed etiam occasionaliter , quatenus occasio est , ut alter affectus oriatur ; ut debilitas ventriculi occasio est doloris capitis ; at quid sit de hoc in distinctione adducta , inter curationem factam ab urgenti , aut à conditione , non solvunt difficultatem : nam omne quod præter naturam est , sui ablationem petit per se ; sed quælibet conditio pro qua operatur in curatione est præter naturam : ergo indicat sui ablationem per se , etsi necessaria sit , ut morbus curetur , quod idem debet teneri de urgenti : nam si indicat curationem per se , quia quid præternaturam , cum mortis periculo est , etiam ejus ablatio est necessaria , ut alter morbus curetur : ergo similes curationes sunt . Neque hoc quod est lædi morbum pluries per medicamenta exhibita , propter urgentiam , probat curari magis per se , quod urget , quàm conditio , ut de fevo hircino , in dysenteria applicato docuit Galenus lib. 12 , meth. cap. 1 . pro doloris urgentia , etsi cum ulceris novero ; nam in nostro capite 12 agens Gal. de conditione impediens sanationem ulceris , de phlegmone scilicet , in quo aliquando medicamenta exhibita pro conditione præsentis affectui , interdum lædunt , debet esse cum inflammatione impedit curationem ulceris ; quia quæ inflammationem tandem tollunt ; resolutiva sunt , & ipsum ulcus laxant , & adhuc repellentia , quæ in principio applicantur frigida , inimica sunt ulceribus . Auth. Hipp. 5 Aphor. text. 20 . ergo ea quæ pro conditione ponuntur etiam possunt taliter esse pro ipsa , ut morbus post habeatur ; & adhuc in curatione regulari , hoc etiam apparet , quòd sæpè medicamentum pro causa propinatum pro morbi curatione , morbo per se noceat , etsi per accidens pro sit , ut prodest id quod pro conditione , aut urgentia ponitur per ablationem eorum : ergo hæc ex parte curationis minimè differunt . Suadetur antecedens , dum medicamentum calidum ad evacuationem , seu resolutionem humoris calidi , morbum calidum causantis præbemus . Differunt ergo huius modi curationes , quatenus regularis medicatio fit per naturalem modum auferendi effectum ; coacta verò non ita , hæc autem differunt , quatenus , ut dictum est , indicatione sui solum curatur quod urget ; Conditio verò etsi per se petat auferri , ut auferretur , si sola esset satietas , non indicatione sui præcise , sed ratione periculi , quod imminet morbo ex ipsa , si non auferatur . Unde infertur , quòd licet optimum consilium sit operari pro urgentiori , altero non neglecto , interdum tamen ita pro urgentiori operari expedit , ut alterum negligatur : sic fecit Gal. lib. 12 . meth. cap. 1 . in curatione doloris in dysenteria , quando hircinum seivum iussit applicari , cuius verba sunt sequentia . *Atque id est contra symptoma instare , morbo ad id tempus neglecto : Quod etiam in convulsione ex punctura procedente fit , dum nervum scindimus ,*

Henriquez Laureæ Medicæ. Tom. III.

& adhuc in nostro capite , dum phlegmonis curationem in ulcere adducit : ergo pro urgentiori , aut pro conditione operari expedit , interdum altero neglecto , cum verò altero non neglecto dicitur Gal. esse operandum 4 . meth. cap. 9 . debet intelligi saltem quoad tempus subsequens , atque ideo cap. 1 . lib. 12 . dixit *morbo ad id tempus neglecto .*

Cæterum cum ex morbi magnitudine , debeat indagari urgentia restat examinare , qua ratione morbus dicatur magnus . Gal. enim in hoc capite tres esse morbos magnos dicitur , unum ex propria essentia , alterum ex læsæ actionis præstantia , & tandem tertium ex facultate nostrum corpus gubernante ; lib. tamen meth. 4 . cap. 6 . etiam tripartitum dedit magnum morbum , unum ex propria essentia , alterum ex principatu partis , & tandem tertium ex malignitate , seu cacoetia ; quibus verbis videtur diversa membra aduxisse ; etenim lib. 4 . adducit morbum magnum ex malignitate , & lib. 7 . adducit alium ex principatu partis . Pro cuius intelligentia notare expedit : morbum magnum ex cacoetia idem esse , ac læsæ actionis præstantia ; si quidem non esset magnus , nisi præstantem læderet actionem ; morbum verò ex principatu partis , idem esse ac morbum ex facultate nostrum corpus gubernante ; si quidem facultates gubernantes corpus in partibus principibus resident , & sic idem significatur , sive ratione partis , sive ratione facultatis magnitudo morbi constituitur , ac per consequens eadem membra morbi magni , in utroque casu narravit Galenus .

Dices morbum magnum ex præstantia actionis læsæ , idem esse cum morbo magno ex facultate nostrum corpus gubernante , quippe non est alia actio præstans , seu excellens , præter illas , quæ à facultatibus gubernantibus celebrantur : ergo non differunt . Ulterius nam etiam morbus magnus ex propria essentia est talis propter læsionem magnam , quam præstat ; sed non est læsio magna , quin actio aliqua princeps lædatur : ergo non differt hæc magnitudo morbi ab alijs .

Pro prima dubitatione nostræ scholæ Recentior in suis manu scriptis duplicem tantum magnitudinem morbi concedit cum Nostro Patr. Gal. aliam quidem ex propria essentia desumptam ; aliam quidem ex principatu partis seu ex facultate gubernante , sive eius actione læsa , cum non sit diversum principium magnitudinis in aliquo ex tribus à Galeno enumeratis : quoniam illa , quæ accidit ratione partis , propter læsionem , quam præstat in ipsa talis dicitur , & non est alia læsio in parte , & facultate , quàm in actione , & sic idem principium magnitudinis est , etsi per diversa nomina significetur ; & quidem hoc poterat corroborare Recentior citatus ex Gal. 1 . 8 . meth. c. 9 . in quo , solum duplicem magnitudinem in morbo adduxit per sequentia verba . *Porrò nihil in contrarijs indicationibus tam convenit expendi , quàm magnitudinem eorum , quæ ad indicationem coierunt , quàm duplicem esse ostendimus . Alteram , quæ ex ipsorum , quæ indicantur dignitatibus , censetur . Alteram , quæ ex ipsorum proprijs substantijs , spectatur .* Ergo ex Gal. mente duplex tantum morbi magnitudo est adstruenda ; altera ex propria essentia ; altera verò ex dignitate actionis læsæ , sive partis , sive facultatis gubernantis . Vnde satisfacit secundo argumento : dicens morbum ex propria essentia

E magnum

magnum differre ab alio, quia cum magnitudo sumatur propter magnam læsionem, & possit esse magna læsio, eo solum quia morbus sit in parte principe, quæ non esset, si in ipsa non firmaretur, hinc est quod talis magnitudo debeat esse diversa.

Verius tamen est triplicem morbi magnitudinem esse distinguendâ iuxta Gal. expressam doctrinam loco cit. differunt tamen: quia morbus ex propria essentia magnus dicitur, qui ex se talis est ubicumque reperitur ut si magna caloris intensio sit in pede, magnum constituet morbum non quidem propter præstantiam actionis læsæ; sed propter præstantem læsionem, quam causat: quippe cum magna sit intemperies, magnâ debet facere læsionem in parte, in qua stabulatur. Dum vero magnus est morbus propter præstantiam actionis læsæ, aliquid peculiare importat in actione, ratione cuius præstans, aut excellens dicitur, & ratione cuius talis morbus magnus dicitur, sine quo forsitan magnitudo non esset; ut vulnus in oculo, aut brachio, magnus erit morbus, si visionem, aut opera manus impediatur, sin minus contra: quia videre, & operari in manibus, & pedibus præstans actio dicitur, quæ etiam ratione malignus morbus, quia ad aliquam præstantem actionem lædendam conducit, magnus dicitur; posuit exemplum Gal. in ulcere articulorum, quibus plura, & prava sequuntur accidentia: Verba perpendite. *Quin etiam cachoete statim fieri, quacumque in articulis accepta vulnera sunt, id quoque omnes fere sciunt.* Quibus verbis manifeste docet, dici morbum magnum, & cachoete, etsi pars princeps, aut facultas, aut actio eius non lædatur, ut constat alium esse morbum magnum, ratione ipsius partis principis affectæ: ut cordis intemperies, aut cerebri major censetur, quàm si in altera existeret parte. Notare tamen oportet nomine partis principis, & facultatis gubernantis corpus, non debere intelligi præcise partes, quæ communiter principes appellantur, sed etiam alias, quæ ad conservationem viventis deserviunt, etiam si in toto rigore non appellentur principes, quia licet cum aliqua mediatione ad conservationem viventis conducunt, ratione cuius aliquomodo possunt partes principes nominari ita Gal. cap. 6. lib. 4. meth. in quo adducens exempla morborum magnorum, sit ait. *Vtique in capitis, ventrisque vulneribus præstantiam læsæ indicans partis.* Quibus verbis ventrem, & caput æqualiter morbum constitutere magnû dictavit propter præstantiam partis.

Dices morbus malignus, seu febris maligna talis est, propter magnam læsionem, quam experitur in facultatibus, præcipuè vitalibus, & animalibus: ergo est morbus magnus propter partem principem, seu eius facultatem, aut actionem læsam, & minimè propter alteram actionem præstantem. Præterea quia morbus ex præstantia actionis læsæ, omnem actionem partis principis comprehendit: ergo non debet adduci, ut distinctus à morbo ex principatu partis. Ad 1. Resp. quod licet ita se habeat febris maligna; tamen cum alios morbos malignos concessisset Gal. afficientes alias partes, ut vulnera adducta & quæ corruptionem ossis habent, idè morbum diversum numeravit, qui ex malignitate constituitur, ab altero, ratione partis principis, seu facultatis nostrum gubernantis corpus. Ad 2. constat quod licet actio partis principis, præstans possit nominari, diversam magnitudinem consti-

tuit ratione partis principis: quia aliquid peculiare indicat magnitudo ratione partis principis in ordine ad Medici operari, quod non indicat magnitudo ratione præstantiæ actionis: quia cum sit læsio in parte, à qua vitæ periculum imminet, quod in alia læsione non ita se habet; diversimodè considerari debet talis magnitudo, & minimè sub eodem membro est numeranda.

CAPVT XVII.

De cognitione Partis affectæ in morbis.

QUARTI affectæ cognitionem valde esse necessariam in morbis docuit Gal. ex professo lib. 1. & 2. de loc. aff. in quibus specialem adducit doctrinâ, quâ per otium poterit legere, & perlegere, qui certam, & legitimam medelam in morbis desiderat; hanc indicationem à parte affectæ desumptâ principiorè vocat Gal. & quoad nostrum attinet institutum l. 7. meth. cap. 13. quantum expedit particulam affectam dignoscere, iterum dictavit sic, indicatio partis ex quinque eius accidentibus desumitur, nempe ex temperamento, ex actione, ex figura, ex situ, & ex sensu, quatenus ratione cuiuslibet ex dictis diversum indicatû, hoc est auxilium diversum est exhibendum, seu applicandum; etenim ratione temperamenti diversum temperamentum convenit parti calidæ, quàm frigidæ & sic de cæteris. Vterius ratione officij seu actionis partis diversum auxilium aut medicamentum adhibetur, ventriculo aut jecori inflammato, quàm pedibus, & diversimodè celebratur evacuatio, siquidem pedes quamcumque permittunt evacuationem, & resolutionem, aliæ verò partes non ita: quia pro toto alimentum præstant, & ob hanc rationem semper desiderant adstringentia auxilia, ne earû actio debilius fiat, item ex figura in ordine ad evacuationem indicationem sumi docet Gal. quia ex ipsa pèdet, cum hac aut illa regione communionem habere, & etiam medicamentum diversa figura dispensatur. Vterius ex situ partis, non solum regio per quam medicamentum est applicandum cõstat, verum & quale debeat esse medicamentum indicatur; nam ex profunditate partis vehementiora indicantur auxilia, ne in transitu, remissiora quàm expedit, reddantur, quod etiam in ordine ad partes propinquas debet intelligi, ne ipsæ lædantur à medicamentorum usu, ut quando instrumenta vocis, & respirationis læsa sunt, in curatione calidæ ventriculi intemperiei, ratione situs partis remissioribus frigidis uti debemus, quàm expediret. Ex sensu quoque partis tandem sumi indicationem constat, quatenus ratione sensibilitatis partis, mitiora, aut fortiora sunt applicanda remedia, ut si morbus afficiat oculos, aut partem aliquam nervosam, mite, & blandum debet esse medicamentum, forte verò, aut acre in ossibus.

Ex dictis circa indicationem desumptam à temperamento partis pullulat dubium ex verbis adductis à Gal. cap. 13. cit. nempè, *quæcumque calidiores natura partes, ex frigore laborant, hæc & liberalius, & diutius calefieri postulant, sicut quæ frigidiores natura sunt, si ex calore laborent, refrigerari, & sic de reliquis.* Et paulò inferius proficitur sic. *Contra verò pars, quæ calidior natura est, si calido morbo ægrotat, exigua, brevique temporis refrigeratione eget, sicut quæ frigidior est calefactione; si quidem parvus est in ejusmodi in id quod præternaturam est lapsus; quare & rursus in id quod secundum naturam est reditus;*

redditus, unde etiam minus periclitantur quicumque cognato natura sua morbo laborant. Quæ verba cum difficilia valde sint, ad arma provocant authores & ratio difficultatis illico se offert: quia curatio æqualibus contrarijs debet fieri; sed supponit Galenus in morbum æqualem incidere partem, sive calidam, sive frigidam: ergo æqualibus auxiliis debet mederi, in utroque casu, ac per consequens malè inquit Galenus dicens liberaliùs & diutiùs alterandam partem dum contrario laborat morbo, quàm dum simili.

Respondebis non supponere æqualitatem morbi; cum dicat reddens rationem liberaliùs, & diutiùs esse alterandam, in morbo dissimili, exiguâ tamen alteratione in simili, quia parvus est lapsus præter naturam in hoc; magnus verò in altero: ergo videtur supponere inæqualitatem morbi. Contra tamen instatur solutio. Nam agendo de indicatione sumpta à parte, ait talem differentiam sumi penes hoc quòd contrarius sit, vel similis naturali temperiei morbus; ergo intensio qualitatum debet esse eadem, ac proinde æqualis, & sic æqualis debet esse alteratio pro reductione. Secundo quia ratio à Galeno adducta, id non ostendit, nam tenet fortiora esse adhibenda remedia in morbo dissimili: quia maior est lapsus, remissiora verò in simili, quia minor est. Tamen contra hoc, & in confirmationem dicti: militat ratio: nam si solum fuit facta diversitas in similitudine, cætera debent esse paria: ergo æqualis debet esse intensio qualitatum vitians naturalem temperiem in utroque casu; sed æqualis intensio causat æqualem recessum à naturali statu: nam per intentionem additam recedit: ergo æqualis est merbus ac per consequens, æqualia debent applicari remedia.

In confirmationem huius assumpti Recentiores nostræ scholæ adducunt alia, nempe: quia sequeretur in sene febricitante æquali febre cum juvene, intensiora debere applicari refrigerantia in sene quòd est contra communem usum Medicorum. Idem probat exemplum pituitosi, & biliosi corporis febricitantis, in quibus juxta talem doctrinam frigidiora sunt exhibenda auxilia pro pituitoso, quòd ita non fit: ergo non est sustinenda hæc doctrina. Pro quo etiam facit quòd in ulceribus pudendorum, & ani humidiora medicamenta applicari debent, quàm in alijs partibus, seu minus sicca, quia partes humidæ sunt, & humido morbo laborant, & juxta Galeni mentem. 4. meth. & 9. de comp. medic. secundum loc. cap. 8. sicciora medicamenta, quàm in alijs partibus siccoribus sunt exhibenda, quia ratione similitudinis morbi cum parte, non sunt adhibenda remissiora auxilia. Tandem premitur assumptum: nam sequitur, quòd eo passu quo difficiliùs alteratur membrum præter naturam, faciliùs trahi in statum naturalem; ut constat quando corpus grave extrahitur à suo centro: ergo cum faciliùs in morbum similem incidat pars difficiliùs debebat curari, & consequenter fortiora peteret medicamenta, quòd est contra Galenum.

Circa huius difficultatis solutionem Doctor quidam Primarius nostræ scholæ complutensis in suis manuscriptis inquit doctrinam Galeni veram esse, & esse intelligendam supposita morbi æqualitate, solum facta differentia, in similitudine, aut dissimilitudine cum qualitate excedenti secundum naturam partis, in quo omnes con-

veniunt. Ulteriùs inquit medicamenta fortiora indicari à parte in morbo dissimili, quia qualibet pars maiorem latitudinem habet versus qualitatem excedentem; quam exposit ex propria natura, quàm versus contrariam; & sic dum laborat simili morbo per duos gradus excedentes minori morbo laborat, ratione latitudinis sanitatis, quàm habet pars circa illam qualitatem, ac quando per duos gradus contrariæ qualitatis laborat: quia cum versus illam, nullam habeat sanitatis latitudinem; omne additum nocivum iudicatur, & sic intensiora sunt adhibenda remedia pro morbo dissimili, quàm pro simili: quia saltem respectu illius, quòd est intra latitudinem sanitatis pars non indicat remedium contra morbum, & hinc evenit, magis congruere morbum similem, quàm dissimilem; unde infertur indicationem fortioris, aut remissioris medicamæti, non pendere, aut sumi ex majoritate, aut minoritate morbi, cum supponatur æqualis in entitate, sed ex natura partis habentis, hæc, aut illâ latitudinem, ratione cuius deterior est morbus dissimilis, & fortiora indicat remedia. Inquit ulteriùs Doctor citat. ratione causæ partem indicare fortiora auxilia in morbo dissimili, quàm in simili: quoniam intensior causa est necessaria ut dissimilis morbus causetur propter maiorem resistantiam intensioris qualitatis partis ad qualitatem contrariam, quàm ad similem; etenim cum pars calida habeat intensiorem calorem magis resistere valebit frigiditati, quàm calori: quid ergo mirum, quòd pro ratione causæ indicet vehementiora remedia morbus similis, quàm dissimilis, sive causa evacuationem, sive alterationem exostuler. Vnde infert, quòd si morbus consideretur per se, sine ordine ad causam, non indicabit plus morbus similis, quàm dissimilis; Neq; hæc ex parte plus indicabit unus quàm alter, nec pars in uno, ac in alio ratione eius; quia intensio qualitatis extrahens partem ab statu naturali, una est in utroque casu, & sic doctrinam Gal. esse exponendam censet, de parte ratione causæ indicante fortiora remedia in uno ac in alio casu. Tandem concludit, quòd cum pars quando dissimili morbo afficitur, sic curanda medicamentis similibus, pro sua temperie fortiora fert medicamenta, nam cum habeat maiorem latitudinem versus talem qualitatem, & auxilia, in quibus debet fieri curatio, illius naturæ sint, minor erit timor, ut ipsis perficiatur medela, & cum minori dispendio, & minori læsione, quàm quando pro simili morbo medicamentis contrarijs suæ temperiei, & morbo medicatur, quia cum minorem latitudinem habeat, magis læditur pars per ipsa; & cõsequenter rectè Gal. inquit, partem indicare fortiora medicamæta in morbo dissimili, remissiora verò in simili: quia major est lapsus in illo, in quo est minor latitudo, quàm in eo in quo est major cù æquali qualitatu intensio.

Ex dictis impugnat Vallesium dicentem intelligi Galenum quatenus morbus est æqualis in intensione graduum, non verò in recessiva natura; ut si supponamus calidum ut unum, & frigidum ut unum incidere in febrem ut tria: in tali casu erit in utroque calor ut tria, & æqualis febris, non verò æqualis morbus, quoniam in calido morbus est per duos gradus caloris additos, in frigido autem per quatuor, ratione cuius in morbo simili remissiora sufficiunt medicamenta pro duobus gradibus caloris additi; in dissimili verò fortiora requiruntur auxilia pro quatuor gradi-

bus additis, & sic recte Galenus inquit parvum esse lapsum in simili morbo, e contra vero indissimili. Hanc doctrinam impugnat Doctor citatus quia esset ridicula assertio affirmare fortiora indicari medicamenta in morbo dissimili quia est maior mobus; remissiora in simili, quia est minor; quippe non poterat dubitari, à majoritate morbi majora, & à minoritate morbi minora indicari remedia: Galenus autem solum posuit differentiam in similitudine, aut dissimilitudine cæteris paribus: non ergo erat supponenda diversitas in intensione morbi.

Præterea Recentior alter nostræ scholæ Vallesium nostrum impugnat, quia cum morbus, & intemperies talis sit, qualis est recessus à naturali statu, non potest esse intemperies æqualis, quin recessus à naturali statu, æqualis etiam sit, cum ab eodem sumatur uniuscuiusque ratio: unde si in uno est lapsus per quatuor gradus caloris, in altero per duos, non supponitur morbus æqualis, aut intemperies æqualis, ut supponere debemus juxta Galeni mentem.

Pro solutione litis propositæ, advertendum primò est non esse dubium, an calidioribus partibus calidiora medicamenta, frigidioribus frigidiora debeantur; nam hoc indubitanter recipiendum est, cum ex se ea quæ secundum naturam sunt sint conservanda, & quæ præternaturam sunt, sint auferenda: & cum temperies naturalis si calida sit, calidis debeat conservari auxilijs, & contrarietas in ordine ad id, quod præternaturam invenitur, sit attendenda, hinc est, quòd pro parte calida calidiora debent esse remedia in quolibet morbo, quæ pro parte frigida.

Difficultas solum stat circa propositionem Gal. dictantis intensiora esse pro morbo dissimili exhibenda remedia, & diutius esse operandum, quàm pro morbo simili cæteris paribus existentibus, quæ ratione periculosiorem morbum dissimilem esse censet. Præterea advertendum est Gal. doctrinam debere intelligi suppositâ æqualitate morbi, solum factâ diversitate aut differentia in similitudine, aut dissimilitudine, ita Gal. 2. aphor. in expositione text. 34. sentire videtur, super illa verba, *minus periculose agrotant, quorum natura, ætatis, vel consuetudini lege temporis familiaris est morbus*: nam si ratione inæqualitatis morbi, auxilia deberent esse inæqualia, nihil erat notandum ratione indicationis à parte desumptæ ut optimè notavit Recentior suprâ citatus: debet ergo, ut ratione partis talis indicatio sumatur, non aliunde esse sumenda diversitas remediorum nisi ratione partis, & consequenter æqualitas debet esse in omnibus alijs, solum differentia existente, in similitudine, aut dissimilitudine; cum quo potest verum tenere Vallesius noster capite ultimo controvers. dum docet esse æqualitatem intensiōis graduum, cum inæqualitate in ratione morbi, ratione cuius fortiora remedia in morbo dissimili debeantur ratione partis 1. Quia ipse Gal. in hoc capite reddens rationem, inquit, parvum esse lapsum in morbo simili, magnum in dissimili; ergo supposita æqualitate qualitatum, solum ratione similitudinis, aut dissimilitudinis cum parte poterat esse indicatio diversorum remediorum: quoniam ratione similitudinis iudicabat minorem esse lapsum in tali morbo, ac in parte dissimili: hoc manifestavit Gal. text. 34. sup. cit. in quo agens contra Dyoclem inquit, febrem ardentem factam

in hyeme esse deteriorem, quàm in æstate, & consequenter fortiora indicare auxilia ratione temporis; quod idem est ratione temperiei partis: ergo supponit febrem esse eisdem intensiōis, in utroque tempore: quippe non esset febris ardens, si tantum diceret calorem excedentem temperiem partis ab humore: ergo importat peculiarem intensiōem calor constituens ardentem febrem, qui etiam in parte calida, aut in æstate febrem ardentem constitueret, ac per consequens, æqualitatem morbi constituit, ratione intensiōis graduum, quæ per plures gradus ultra naturales debet constitui in parte, aut tempore frigido, quàm in calido, ut voluit Vallesius.

Nec urget hanc doctrinam Recentiorum arguties; etenim non esset tunc ratione morbi diversi, sumenda indicatio, sed præcise ratione similitudinis partis; siquidem ex ea oritur quod maior intensio qualitatum sit necessaria ad constituendum eundem morbum, in parte dissimili, quàm in simili. Et quamvis morbus constituatur per recessum, non potest negari, quod esset recessus ante tantam intensiōem; tamen non erit morbus æqualis, cum alio existente in parte simili: ut calidum in 1. & frigidum in 1. non haberent eandem febrem, penes eo quòd in utroque duo gradus caloris producerentur; nam in calido esset febris ardens, quia erat sufficiens intensio ex calore addito, & præexistenti ad ipsam; in frigido minimè, si deficiebat calor ut duo; esset tamen febris remissior, quia non potest dubitari calorem illum præternaturam esse; at cum non sit æqualis cum alia, non est illa, de qua est facienda comparatio, si quidem debent esse cætera paria: esset quidem morbus dissimilis, remissior tamen, quàm similis in propria entitate, & inter morbos inæquales rectè potest esse deterior similis morbus, ut si tertiana simplex esset in senes, febris tamen ardens in juvene, quòd ex Hippocrate potest deduci text. 14. 1. aphor. dum inquit *in senibus parum calidi innati inest, atque ideo febres acutæ similiter non fiunt, frigidum enim eorum est corpus*. Quibus verbis non negat senes corripri febre, sed non corripri febribus similiter acutis, quia frigidum corpus difficile alteratur in tanta intensiōe, ut febris resultet acuta.

Sed dices, dum in utroque subjecto diverso duo gradus caloris producuntur, est morbus in eadem intensiōe, quia in utroque sunt solum duo gradus præter naturam: ergo lapsus est idem, ac per consequens æqualis, sed morbo existente æquali, ratione similitudinis, aut dissimilitudinis cum parte, sunt exhibenda medicamenta diversa: ergo non est spectanda æqualitas in gradibus. Suadetur assumptum: nam morbus debet dici æqualis per id quod est præter naturam, & non per id, quod secundum naturam; sed quando duo gradus præter naturam producuntur in utroque est æqualitas in ipsis, & quando est æqualitas in omnibus gradibus, est inæqualitas in illo, quod est præter naturam ergo quando duo gradus producuntur est æqualitas in morbo, ac per consequens in ipso est intelligenda Gal. doctrina; contra quàm militat ea, quæ adducta sunt.

Resp. quod licet negari non possit, recessum à naturali statu fieri per duos gradus in utroque casu adducto, quod est causaliter esse æqualem, & eum dispositio, quæ constituitur morbus sit omne illud, per quod actiones læduntur, seu partes

Cap XVII. De Cognit. Partis affectæ, &c. 53

præter naturam se habent, & dispositio præter naturam, exempli gratia in alimento usto, sit per tantam intentionem caloris, hinc est quod nõ dicatur morbus æqualis per duas illos gradus caloris, sed per omnes, qui in subjecto sunt, & cum non sit æqualis intensio in uno, ac alio, non est æqualis morbo; hoc intelliges facilius & clarius, si rationem febris in utroque calore addito scilicet, & præexistenti constituas, ut latè nostro tractatu de febribus docuimus, & quamvis solum in calore addito febrem quis constituat, & idem sit recessus non erit æqualis morbus in esse morbi, quoniam æqualitas non debet sumi præcise per ipsum numerum graduum additorum, sed potius per entitatem perfectivam eorum, si forsan in ipsis admittatur, vel per entitatem eiusdem naturæ ad constituendam talem dispositionem, id est penes hoc quod sit in utroque tertius, vel quartus gradus; si quidem non sunt, nisi talem constituit dispositionem ad talem morbum, ratione cuius æqualitas constituitur, ex quo intelligitur facilius Gal. doctrina, quàm super aphoril. 34. sect. 2. adducunt omnes Authores asserentes facilius esse incidere in morbos similes, quàm in dissimiles, quòd est, in morbum æqualem similem, facilius incidit vivens, quàm in dissimilem, quia minùs qualitatis est producendum ut in similem morbum incidat æqualem dissimili; nam si non intelligeretur hoc modo, quis dubitat posse vivens incidere in morbum dissimilem remissum, priùs quam in similem intensum, quòd est facta comparatione gradus ad gradum; activitas est ad producendum unum gradum similem, quàm dissimilem, cum supponamus causam ad utrumque sufficientem; & eadem est resistentia formalis, cum sit gradus ad gradum; de activa etiam resistentia, etiam est æqualitas, quia cum resistentia gradus, qui sunt in actu, respectu passivi, sicut fuit in agente excessus per æquales gradus, similiter est in passivo.

Tota hæc doctrina adducta est, ut cognoscamus quanto fundamento loquutus fuit Vall. Nos autem Gal. doctrinam utroque modo posse intelligi censemus; & adhuc facta comparatione unius gradus similis, ad alterum dissimilem. Asserimus fortiora medicamenta indicari à parte, morbo dissimili affecta; quàm simili; & ut clarius procedamus in hac assertionem notare oportet, minime esse verum partem habere maiorem latitudinem circa qualitatem, quam habet excedentem, quàm circa alteram; nam pars ita exposcit temperamentum unum, ut qualitates omnes, ex quibus conflatur in gradu determinato petat, nam aliàs plura ex postulare temperamenta, cum per variationem cuiuslibet ipsa mutantur: ergo non potest non exposcere omnes qualitates eius, æquali determinatione, ac per consequens, non potest habere maiorem latitudinem versus unam, quàm versus alteram.

Confirmatur assumptum ex communi doctrina, quàm ex Galeno admittunt communiter Medici lib. art. medic. cap. 8. scilicet corpus temperatum resistere collectivè plusquàm intemperatum causis morbum inducentibus; distemperatum divisivè, ut nostro tomo primo latè docuimus; & hoc autem accidit, quia omnibus causis æqualiter resistit corpus temperatum; distemperatum verò aliquibus plus, alijs autem minus, sed si corpora, aut partes haberent maiorem latitudinem versus qualitatem, quàm ex postu-

lât excedentem, minime resisteret æqualiter omnibus causis morbofis, quippe minus resisteret causæ induceti morbum dissimilem, ut pote non habet latitudinem versus illam qualitatem; & qualibet introductio qualitatis sit nociva; non verò qualibet introductio qualitatis similis. Ex quo etiam videtur colligi facilius esse incidere corpus in morbum dissimilem, quod est falsum.

Hoc ipsum impugnat Recentior alter nostræ scholæ ex eo, quòd asserit Hippocrates quasdam naturas ad æstatem, alias ad hyemem melius se habere; in cuius textus expositione, Galenus de calidis, & siccis, & frigidis, & humidis intellexit; si quidem ipsæ intemperatæ cum sint, non possunt non bene se habere in contrarijs temporibus; quippe ratione propriæ intemperie ad morbos sunt dispositæ: & cum doctrina adducta sit intelligenda de corporibus temperatis, quæ in medio morborum sunt, ad nullum inclinantia: Hoc argumentum posthæcendum est, & alijs adductis prædictum placitum est refellendum. Vtcrius nam ipse asserit contra Vallesium non debere sumi æqualitatem morborum, per æqualitatem in intensione graduum siquidem esset asserere, maiorem morbum, maiora exposcere auxilia, sed idem sequitur ex sua doctrina: ergo non est sustinenda: nam fatetur ratione maioris latitudinis, quàm habet pars versus qualitatem excedentem non esse tantum lapsus in simili morbo, ac in dissimili: ergo fatetur esse remissorem morbum; etenim illa ex parte, quæ tangit, aut implet latitudinem qualitas producta non est nociva: ergo neque morbus, ac per consequens minor morbus est similis, quàm dissimilis, ut pote duo gradus in utroque subjecto, respectu dissimilis sunt nocivi secundum totos; in simili autem non sunt, nisi prout excedunt latitudinem: ergo jam ratione diversitatis morbi, fatetur diversa remedia, & minime ratione indicationis à parte.

Communis magis, & recepta doctrina est, partem in morbo simili indicare remedia remissiora, ut signum, ratione verò causæ fortiora in morbo dissimili, quatenus pars non potest in morbum dissimilem trahi, seu incidere, nisi magna fuerit causa; quia solum ipsa valebit vincere resistentiam qualitatis intensæ partis; at ut in morbum similem incidat, debilior causa sufficit, quia remissior est qualitas contraria resistens; unde evenit, facilius incidere in morbos similes, quàm in dissimiles, & consequenter, pars, non per se, sed ut signum indicat fortiora medicamenta in morbo dissimili, quàm in simili: quia in illo vehementiorem esse causam significat; & in hoc debiliorem: quòd probant 1. quia alio modo non apparet intelligibilis Galeni doctrina, cum morbus in utroque casu æqualis sit, & sic per se æqualia indicat remedia: ergo si fortiora remedia exhibenda in morbo dissimili, ratione causæ deberent applicari. Hoc ipsum suaderi potest ex Arist. 4. sect. problem. quæst. 28. ubi inquirens, cur per hyemem minus quàm per æstatem, sed perniciosius ægrotetur? Respondent quia morbi in æstate ex parva causa accidunt, in hyeme ex magna: idem testificat Galenus 2. aph. 34. reprehendens. Dyodem contra Hipp. dicentem magis periclitari in morbo simili: ubi sequentia dictavit verba. *Putant febrem ardentem, in hyberno tempore, facilius sanari, quàm in æstate, non advertentes quòd vehemens dis-*

vehemens dispositio causa est, ut febris ardens hyeme fiat, nec facta fuisset, nisi causa potentior temporis contrarietatem superasset. Quibus verbis periculum maius in causæ vehementiam reduxit: ergo pars in morbo dissimili indicat vehementiora auxilia ut signum, id est quatenus significat ab intensiori & fortiori causa pati, in tali casu. Qua etiam doctrina 2. de prælag. expulsi. cap. 4. pulsus intermittentem minus periculosum esse dictavit in sene, quam in Iuvene: quoniam facultas debilis à debiliore causa pati potest, & in sene cum debilior sit facultas, debiliorem causam significat, robustiorem autem in Iuvene; & ob hanc rationem, illi qui rarè morbis corripiuntur periclitantur magis, dum laborant morbo: quia cum valdè resistent causis morbofis, dum vincuntur magnam fuisse causam significat. Et tandem hoc assertum confirmatur ex Avicenna. F. 2. lib. 1. doct. 1. cap. 8. ubi reddens rationem cur deterior sit morbus dissimilis, quàm similis, sic ait: *non enim accidit, nisi propter causam ipsius magnitudinem.* Ex quibus omnibus tandem colligunt, quod si morbus per se consideretur, sine ordine ad causam, non indicabit pars fortiora remedia in dissimili, quàm in simili: quia æqualis cum sit morbus idem indicat auxilium in utroque casu, secus verò ratione causæ, & hoc voluit docere Galenus cap. citato.

Hæc assertio nunquam mihi placere potuit: quia Galenus nullo ordine habito ad causam, absolute loquendo, de indicatione sumpta à temperamento partis, inquit, fortiora indicari remedia in morbo dissimili, quàm in simili: non ergo limitanda est Galeni doctrina in morbis pendentibus à causa; quippe si hæc limitatio locum haberet, falso testificaret Galenus dum dicit, partes calidas dum frigido morbo laborant, diutius esse calcificandas; cum non esset ita faciendum, si morbus non penderet à causa: ergo cum Galenus solum facta differentia in similitudine, aut dissimilitudine firmiter hoc teneat, minimè potest, nec debet admitti limitatio dicta. In cuius rei confirmationem ipse Galenus infra agens de indicatione sumpta ab actione partis, ait debere considerari, an actio pluribus serviat partibus, vel non in ordine ad evacuationem faciendam, si morbus ab humoribus dependeat, secus si ab ipsis non pendeat: ergo si talem differentiam assignavit: in indicatione sumpta ab actione, id debebat dictare in indicatione à temperamento sumpta. Præterea nam Galenus agit in hoc capite de methodo curandi, sumpta indicatione à parte, & hoc modo inquit quinque sumi ab ipsa parte indicationes, aliam à temperamento &c. Sed si indicatio sumeretur à causa, seu ratione ipsius, minimè diceret indicatio sumpta à parte; sed potiùs à causa: ergo non esset indicatio partis. Minor suadet: nam indicare partem, ut signum, non est indicare remedium ipsam partem, sed significare indicans auxilium: ergo non est indicatio sumpta à parte. Suadet antecedens à simili: nam, eo quod pulsus significet ratione suarum differentiarum, magnum esse calorem intensa refrigerantia exposcentem, minimè dicimus pulsus indicare refrigerantia illa auxilia; sed calorem; pulsus verò dicimus significare calorem: ergo cum Galenus loquatur de indicatione sumpta à temperamento partis, non loquitur de temperamento indicante, ut signum,

sed ut verum indicans, ratione morbi dissimilis, aut similis, & non per se.

Uterius: aliæ indicationes partis adductæ à Galeo sumuntur ex aliquo accidenti eorum, quæ sunt in ipsa parte naturaliter, ita ut ipsa medicamenta indicentur à morbo taliter morigerata, aut fortiora, aut remissiora, aut huius, aut illius naturæ, ratione accidentis partis; ergo indicatione sumpta à temperie partis, ratione ipsius debet esse differentia medicamenti, & non ratione causæ; quippe si morbus sit similis siue dissimilis, si causa eius sit potentior, potentiora indicat remedia quam si sit debilior: ergo indicari fortiora auxilia in morbo dissimili ratione causæ, non est indicare partem; sed causam. Tandem nam ut supra dicebant Recentiores contra Vallesium diversa remedia non debent indicari ab inæquali morbo: quia esset dicere maiorem morbum maiora remedia indicare, minorem minora, quod esset ridiculum; sed hoc idem sequitur, si indicatione sumpta à maiortate causæ, remedia diversificarentur, indicatione sumpta à parte: ergo minor probatur nam esset dicere, pars, in dissimili morbo, fortiora indicat auxilia ratione causæ id est: quia est causa fortior, siue intensior indicans: ergo esset dicere, causa fortior fortiora indicat remedia, remissior remissiora, ac per consequens, sicut non debet affirmari, ratione inæqualitatis morbi, auxilia indicari inæqualia; non debemus dicere, ratione inæqualitatis causæ, ipsa inæqualia auxilia indicari; sed potiùs ex se partem in morbo dissimili fortiora exposcere remedia, e contra verò in simili.

Socius noster Cæsaraugustanus citatus, in huius textus expositione, propositionem Galeni adductam obiter, & currenti calamo exposuit suo tomo cit sup. fol. 60. §. 219. omittebat hanc spinosam litem, quæ in varias semitas doctissimos Recentiores Complutenses divisit, & properans ad practica præcepta, quæ solito ingenio, & mira eruditione explanat.

Nobis verò placet in hac re Galeni doctrina, quæ docet partem indicare fortiora remedia, dum dissimili morbo laborat, quam dum simili, ex se, & sine ordine ad causam; cum quo non nego ratione causæ etiam fortiora remedia indicari in morbo dissimili; tamen hoc non esset indicare partem, sed causam. Itaque quod asserimus est, ipsam partem præcisè ratione similitudinis, aut dissimilitudinis morbi, diversa indicare intentione auxilia, nullo ordine habito ad causam: quod probant rationes immediatè adductæ, & ipse Galenus, qui expressè sic ait, *atque ita quidem à temperamento laborantis partis auxiliorum indicatio sumitur*: ergo iuxta eius mentem & genuinam verborum expositionem, ipsa pars ratione sui temperamenti talem præstat indicationem, & non ratione alterius. Præterea quia indicatione sumpta à temperamento partis Galenus docuit calidioribus partibus, calidiora deberi remedia, frigidioribus frigidiora, in quocumque morbo partis, sed in tali casu non sunt frigidiora pro parte frigida, & calidiora pro calida, ratione alicuius alterius, quàm ipsius temperamenti, ipsa pro sua conservatione petentis: ergo cum Galenus docuit indicatione sumpta à temperamento partis intensiora esse adhibenda remedia in morbo dissimili, ratione ipsius temperamenti, & non alterius rei debet intelli-

Cap. XVII. De cognit. Partis affectæ. &c. 55

gi. Hoc placitum posse sustineri docet Antonius Musa super aphorism. 34. lib. secundi.

Tota difficultas quæstionis stat in solutione argumentorum, pro qua supponenda est doctrina quædam, ab omnibus medicis recepta, nempe quod, licet verum sit partem talem petere temperamentum determinatum, ita ut per quemcumque recessum ab statu naturali recedat, & morbosa reddatur & aliquæ operationes lædantur in ipsa; nihilominus verum est in ordine ad operationes, ita se habere partes quasi-libet, ut per recessum unum in aliquo gradu aliquod opus perfectius fiat, etsi alia lædantur opera, & e contra; ita ut licet pars in suo esse nullam latitudinem sanitatis obtineat, magis versus unam, quam versus alteram qualitatem, ut ostensum est, in ordine ad opera versus unam qualitatem, maiorem latitudinem habet pro opere talem qualitatem postulante, quam versus aliam, & sic de cæteris. Suadetur primum, ex eo quod pars una cum sit, unam petat temperiem determinatam, quæ pro omnibus suis operibus sufficiat, ita ut per quemcumque recessum privetur temperie requisita, & consequentur pro aliquo opere deficiat; est enim præter naturam parti: ergo morbosa; & consequentur aliquod lædet opus. Ulterius supponendum est, quod licet quolibet opus petat temperamentum ex omnibus conflatum qualitatibus, ratione cuius Avicen. agendo de facultatibus naturalibus F. 1. lib. 1. doc. 6. cap. 3. dixit, *his quatuor virtutibus naturalibus quatuor prima servantur qualitates*: non tamen ita est intelligendum, ut una qualitas sola pro uno opere, & alia pro alio conducat, sed omnes pro quolibet, tali differentia, ut temperamentum cum excessu talis qualitatis, ad unum, & cum excessu alterius ad alterum conducat opus; sic pro retentione, calor & siccitas excedens, facit, pro expulsionem verò non ita; pro coctione calor, & humiditas, ut ipse Avicen. docuit loco cit.

Sed Dices, talis temperies est determinate petita à parte illa, quia debita: ergo pro omnibus operibus debita; ac proinde pro omnibus operibus deficiet, dum quomodolibet immutatur. Talis objectio petit comprobationem secundæ partis nostræ suppositionis; & est quod licet verè dicenda sit pars morbosa, quia privatur temperie requisita per quemcumque recessum, ratione cuius, aliquod opus læditur, non tamen omnia debent lædi pro quibus illa temperies conducebat, sed illud, quod minorem latitudinem habet versus talem qualitatem. Suadetur 1. ex Gal. lib. art. medicin. cap. 62. & 63. in quibus expressè docet, quod si ventriculus versus calorem immutetur, magis coquere, quam appetere valet; si autem versus frigus, magis appetere quam coquere: dixerat cap. 51. corpus temperatum omnia opera moderate exercere: ergo quodlibet opus talem latitudinem habet, ut aucta qualitate, quæ specialiter postulat, perfectius fiat, quam si diminuat, ac per consequens maiorem latitudinem habet, versus illam tale opus, quam versus aliam, etsi pars quocumque recessu præter naturam reddatur. Quod confirmat actus memorandi, qui perfectius fit quoad retentionem specierum, naturali temperie immutatâ, versus siccitatem, quam exposcit, quam versus humiditatem; e contra verò quoad receptionem, perceptionem, seu apprehensionem rerum, ut con-

stat ex cap. 12. art. medic. quâ ratione deteriori ingenio constare dicimus illos, qui perfectiori gaudent memoriâ: ergo pars distemperata, & præter naturam per recessum alicuius qualitatis; perfectius poterit aliquid elicere opus, aliud verò imperfectius.

Tandem supponendum est: partem illam petere qualitatem illam excedentem ex propria natura; quæ conducit specialiter pro operibus principalibus eius, pro quibus fuit instituta; reliquas verò in remissiori gradu, sic ossa frigiditatem, & siccitatem habent maiorem, pulmo & cerebrum humiditatem; Cor calorem, & sic de cæteris, quia omnia consistentiam debebant habere, pulmo, & cerebrum motum, cor generationem spirituum vitalium; & tandem tota cutis temperata debet esse; quia ad perceptionem qualitatum in mediocritate debet habere temperiem. Sunt ergo omnes partes affectæ proprio temperamento in tali proportione, ut qualitas, quæ conducit pro opere principali; eius sit excedens: hac etiam ratione influxus communicatus à corde calidus, & humidus est; quia pro operibus principalibus vitæ, pro quibus fuit concessus tale temperamentum conducit: ex quo deducitur quod quando pars simili morbo laborat, cum habeat recessum versus qualitatem pro principali opere conducentem, non ita lædatur neque ita efficax auxilium exposcat, quam si dissimili morbo corripiatur. Ratio est, nam licet negari non possit morbum esse æqualem in se, & partem præter naturaliter existere, & opera lædi aliqua, in utroque casu, quando dissimili morbo laborat, læduntur opera minus principalia partis, quia principalia cum qualitate excedentem exposculent, & versus illam habeant latitudinem maiorem, potius perficiuntur, & quoad illa non se habet pars morbosa, etiam si absolute dicatur morbosa, quia recedit à temperie requisita, & consequenter opera imperfectiora pro illa parte læduntur, quia versus talem qualitatem, non habent latitudinem; quippe potius oppositam petebant; & sic licet quatenus morbo laborat lædatur, & auxilium exposcat; tamen quia morbus est quoad opera minus principalia, potius pro principalibus salus minus labefactatur, & remissiora petit remedia. Cum verò pars dissimili morbo afficitur, etsi quoad opera minus principalia, minor sit læsio, quia est versus qualitatem, quam exposculant, cum sit recessus à qualitate, quam exposcunt opera principalia, specialiter magis læditur pars, & efficaciora desiderat remedia: ut docet Galenus. Ex quo etiam constat, quomodo cognatus magis dicatur morbus similis naturæ, ætati; & consuetudini; aut tempori, quia non nocet operibus principalibus, cum morbus similis sit intra latitudinem temperie requisitæ pro ipsis; e contra verò dissimilis si cognatus magis; & consequenter ob eandem rationem minus periclitantur ægroti, in morbis similibus, quia conducunt ad læsionem operum minus principalium.

Sed dices iuxta Hipp. doctrinam loco supr. cit. aph. 34. non solum dictavit minus periclitari morbum congruentem naturæ, ætati, & consuetudini; sed tempori etiam; atqui morbus congruens tempori, non potest esse talis, quin conducat ad læsionem operum minus principalium eius, cum non habeat opera propter quæ dicatur: Quippe si aliquis incidat in febrem

hyeme, & vere, solum ratione temporis, magis periclitatur hyeme, quia non congruit ipsi, & non ratione operum cum eius non sint, nec ratione latitudinis qualitatis naturalis, cum sint eadem, quippe cetera debent esse paria: ergo non stat congruentia in latitudine qualitatum, neque in ordine ad partem, neque in ordine ad actiones, sed propter causam, ratione cuius magis periclitari in morbo dissimili docuit Galenus ac per consequens propter eandem rationem, fortiora debent esse remedia; suadetur, nam docens hoc ita debere fieri, reddit rationem dicens, *siquidem minor est lapsus in morbo simili, unde minus periclitantur, qui cognato morbo laborant.* Quibus verbis docet ob eandem rationem remissiora debere esse remedia in morbo simili, & minus periclitari. Respond. esse philosophandum aequaliter in morbo simili naturae, aut tempori, etsi in utroque casu, ratione operum non sit, nam sicut in morbo simili naturae propter rationem adductam, minor sit lapsus, & minus sit periculum, remissioraque debeant esse remedia in morbo. tempori congruente, ceteris paribus, minor est lapsus, quia minus recedit ab eo, quod pro illo tempore debetur sicut minus recedit calidus in morbo calido, ab illo, quod talis natura petit; cum quo non potest negari etiam minorem arguere causam morbum similem; at ex se minus periculosus dicitur, & magis congruens.

Ex quo patet solutio ad argumenta probantia ratione causae maiora deberi remedia in morbo dissimili, quod licet verum sit, talem morbum maiorem causam arguere, & propter ipsam maius exhiberi remedium, etiam morbus ex se id indicat solum; tamen Galenus & Avicenna non intendunt docere esse maiorem morbum ob maiorem causam, sed intendunt convincere, seu demonstrare, ita esse ratione causae, quia notum magis est, non quia ex se non sit morbus deterior dissimilis, quam similis.

Ad argumenta Respondetur ad primum, quod licet morbus sit aequalis in intensione, cum non noceat operibus principalioribus partis dissimilis, non exposcit, ita brevem reductionem, neque ita intensa remedia, nam melius est tardius reduci in meliorem temperiem, cum laesio non est in operibus praecipuis, quam cum periculo operari, incidendi in contrarium lapsum, qui ad laesionem operum praecipuorum faciat, & ex alia parte medicamentis contra naturam partis opus erit, secus vero dum morbus dissimilis est. Ad secundum iam constat, quod licet sit aequalis intensio qualitatum liberalius est operandum in morbo dissimili, quam in simili. Ad ea quae in confirmationem sunt adducta, dicunt communiter non esse intelligendum dum natura est multum lapsa; nam in illa non est observanda doctrina Galeni, sed in aliis, si aliquid non obstat; propter quod in sene etsi frigidiora debeantur, quam in iuvene febricitanti, non ita sunt exhibenda, quia virium obstat defectus. Quae solutio sic intellecta non est admittenda; nam licet verum sit, pluries non servari hanc Galeni doctrinam, non est quia pars semper id non indicet, sed quia aliud contrarium indicans reperitur, propter quod est operandum, & hoc praecipuum perturbat. Nam quis dubitat ea quae secundum naturam sunt servari debere? & nihilominus cum adest nervi punctura, seu fluxio sanguinis ex arteria, ne convulsio, aut mors ex sanguine evacuato acci-

dat, arteriam, & venam scindimus: sic similiter, etsi pectus, & partes eius emollientia ad motum respirationis exposcant, dum adest sanguinis excreatio, ne ex tali evacuatione maiora mala, & mors sequatur, adstringentibus utitur Galenus 5. lib. meth. c. 8. ergo optime componitur, partem aliquid indicare, & contrarium exerceri: sic in exemplis pro contraria parte adductis, quamvis verum sit, doctrinam esse servandam, in natura temperata; quia illa aequaliter a morbis distat, non altera. Nihilominus in natura omni est servanda, nisi sit contrarium indicans urgentius; cum autem natura pluries sive ratione temporis, sive ratione aetatis, sive ratione alicuius coniuncti excrementorum, seu humorum, pars aliqua, etsi ex se temperata sit, ad aliquem morbum sit disposita. Hinc est quod quamvis indicatione temperiei partis talia remedia conveniant, non tamen exhibeantur ratione morbi, qui timetur, urgentioris. Unde in forma Respond. in homine bilioso febricitanti, etsi minus frigida conveniant ratione propriae temperiei; tamen propter periculum quod imminet ex adhibitione talium auxiliorum, id est propter febrem ardentem, seu hecticam, quae iure optimo timentur, frigidiora sunt proponenda auxilia, quam in homine pituitoso, in quo talis morbus non est timendus & virium defectus ipsa prohibet: sic similiter in pudendorum ulceribus, quamvis humidiora medicamenta indicatione temperiei partis conveniant; tamen non sunt adhibenda, non quidem quia lapsa, aut non lapsa sit; sed quia imminet periculum aliquod maius ex talium exhibitione; sic ratione illius, quod imminet, & non ratione lapsae naturae, medicamenta sicciora talibus partibus sunt applicanda; & idem dicendum si nervus intemperie sicca laboret, quae similis est; & quidem hanc solutionem insinuavi in nostra Academia Complutensi in ultima, & publica disputatione pro laurea doctorali consequenda socio nostro magnis vociferationibus arguenti; quam nunquam capere potuit, convictus suo videri, ex eo quod exercebatur, minime vero ex eo quod ratione partis indicabatur, quod quam diversum sit, & alienum a veritate poterit quivis agnoscere, sed ad rem nostram redeamus.

Sed Dices: ratione naturae multum lapsae imminet periculum, quippe est timenda propter hoc partium corruptio. Tamen facile diluitur arguties haec, quoniam temperies illa est debita pro operibus illius partis: ergo naturalis est iudicanda; si vero corruptio timetur est, vel propter excrementorum imbibitionem, quae praeter naturam sunt, vel propter humiditatis excessum a medicamentis productum: non ergo lapsus naturae hoc praestat; sed morbus qui timetur est in causa, ut indicatio a parte desumpta posthabeatur. Quis enim dubitare potest, saepe numero indicationem morbi futuri, aut presentem propter maiorem, & urgentiorem indicationem partis superari. Quo manet soluta difficultas altera, quaerens, quae sit indicatio maior, quae a parte desumitur, aut quae a morbo? nam cum semper operandum sit pro urgentiori, interdum urget magis morbus, seu accidens praesens, aut futurum, quia periculosius, quam urgeat conservatio partis, ut constat in reiectione sanguinis ex pectore, exemplo supra adducto; aliquando vero contrarium accidit ut in ventriculo inflam-

mato, qui semper adstringentia auxilia exposcit, & sunt adhibenda, etiam si morbus resolutiva indicet medicamenta, quia magis urget, & periculosus est, ventriculum relaxari, & eius actionem ita necessariam pro toto impediti aliquantum; quam ipsam partem inflammatam remanere, quod debet intelligi utraque indicatione cognita; quidquid clament Recent. citati; nam licet tot, & tam utiles partis indicationes adducat Galenus, non ideo præstantiores sunt, indicatione morbi, cum sæpè ipsæ posthabeantur propter morbi maiorem urgentiam. Si verò una aut altera indicatio ignoretur, præstantiorem esse morbi indicationem aiunt prædicti Recentiores, quia cognito morbo, quale debeat esse remedium dignoscimus, etsi ad ultimam speciem eius non possimus descendere, quod non potest colligi morbo ignorato, etsi partis indicatio habeatur.

Sed contra hanc solutionem insurgo: cognita morbi essentia, videlicet distemperie calida in parte, ignorata eius temperie, non potest fieri curatio: ergo non potest agnoscere Medicus quantus sit recessus, & sic poterit partem in contrarium lapsam trahere, aut ipsam cum morbo relinquere; si verò temperies partis agnoscat, & eius indicatione operetur medicus, ignorata essentia morbi, exhibitis auxiliis pro conservatione temperie eius; operabitur necessario contra morbum; etenim medicamentum, quod pro temperie partis conducit, non potest, non opponi cuicumque recessui, quem habeat, siquidem remissum remittit intensum; in optima philosophia: ergo medicamentum, quod est conducens pro temperie partis, si morbus sit similis, erit remissum respectu morbi, & valebit per contrariam qualitatem adimplentem latitudinem, intensum morbum remittere, si verò morbus dissimilis fuerit, per qualitatem intensiorem, qua assimilatur parti, morbo opponetur, ac per consequens, una, aut altera indicatione ignorata præstantior est indicatio partis.

Ad ultimam objectionem Respondetur, quòd dum resistentia ad incidendum in statum præter naturam est propter principium reductionis vetum est, quod cum facilius sit retractio ab statu naturali in præter naturam, difficilius sit retrocessus, & e contra; ut in casibus dictis lapidis extracti à suo centro, aut virgæ tractæ à rectitudine sua, cum autem resistentia non est reductionis principium, non est ita: quia aliud est, quod resistit extractioni ab statu naturali, gradus scilicet præexistentes; aliud verò est, quod facit reductionem, scilicet forma ipsa, aut medicamenta cum resistentia causæ. At in aliis casibus exempli gratia, dum resistit gravitas ad extractionem; ad reductionem nihil resistit; dum verò morbus temperamenti inducitur, resistunt qualitates præexistentes ad reductionem induciti & aliquando causæ, & sic ratione illius, quod resistit, stat facilitas, aut difficultas, non ratione facilitatis incidendi, aut non incidendi.

Sed adhuc videtur, argumenta adducta contra latitudinem concessam à Recentiori in parte, militare contra nostram conclusionem. Primum probat, partem non habere latitudinem maiorem versus unam, quam versus alteram qualitatem; quod est verum non tamen inde sequitur, ita esse philosophandum de actione, nam pars petit illam temperiem pro omnibus suis actionibus, quia cum una debeat esse, non potest esse,

quæ magis pro quolibet opere faciat, est tamen quæ pro omnibus in quodam moderamine; actiones autem cum ex se diversas temperies exposcant, hinc est quod quælibet latitudinem habeat versus aliquam qualitatem, quam specialiter petit, quam non habet pars, quæ pro omnibus simul debet temperari. Ad confirmationem dicimus: Corpus temperatum cum pro omnibus operibus tale sit, determinationem habere, non tamen ita actiones ipsas divisive sumptas, ob rationem dictam; & sic bene stat non habere maiorem latitudinem in una, quam in altera qualitate ad incidendum in morbum; habere tamen in ordine ad opera divisivè, quod non tollit absolute per quemcumque recessum æqualiter incidere in morbum; corpus temperatum, etsi minus periculosus indicetur, prout conducit ad lesionem operum minus principalium, aut ecòtra. Ex hac doctrina constat non incidere facilius in morbum dissimilem, cum non sit major latitudo in esse præter naturam, aut secundum naturam in una, quam in altera qualitate, etsi quoad opera divisivè sit: quod non tollit esse id, quod inducitur præter naturam. Cæterum ut clarius constet hæc doctrina in sequenti controversia latius examinabitur.

CAPUT XVIII.

Dubium Vltimum incidens, utrum sit facilius incidere, in morbum similem, quam in dissimilem.

DITIGIVM hoc apud Recentiores nostræ scholæ celebre est, & plures affirmant; non esse facilius incidere in morbum similem: quia difficilius est invenire causam tam intensam, ut supra intensionem corporis sit; facilius verò contrarium videtur; sed ut incidant corpora, in morbos similes, causæ debent esse supra suam intensionem tales: ergo difficilius est incidere in morbos similes, quam in dissimiles. Hoc argumentum habet contra se communem solutionem, nempe in tali comparatione cætera debent esse paria, excepto illo in quo fit comparatio; & cum comparatio sit solum inter similitudinem, aut dissimilitudinem morbi, ita ut cætera sint paria, debet supponi causa, quæ valeat utrumque corpus alterare, solum differentia in similitudine, aut dissimilitudine positâ. Aliud adducitur argumentum probans saltem non incidere facilius unum corpus, quam alterum in morbum; nam supposita causa æqualiter valente alterare corpus v.g. per duos gradus caloris, non apparet ratio cur unum facilius altero alteretur: ergo non incidit corpus in morbum similem, quam in dissimilem facilius: antecedens suadet: nam causa habet vim agendi in utroque casu per duos gradus caloris: ergo ex parte agentis, æqualis est activitas, quia supponimus excessum solum esse per duos gradus; ex parte etiam passi æqualis est resistentia, etenim formalis resistentia æqualis est in utroque cum sit per impossibilitatem formalem gradus ad gradum: de activa etiam resistentia idem videtur dicendum: nam resistentia activa mensuratur per activitatem passi, sed sicut per duos gradus qualitatis

qualitatis agit agens, quia per ipsos est in actu respectu passivi; per eisdem contrariae qualitatis debeat reagere passivum, quia solum per ipsos est in actu, respectu agentis; quod est passivum: ergo resistentia activa, & formalis est aequalis in utroque casu. Suadetur nam si passivum sit calidum ut unum, aut frigidum ut unum, causa calefaciens debet esse calida ut tria, respectu calidi ut unum, & calida ut unum respectu frigidi ut unum; sed aequaliter distat calidum ut unum a calido ut tria, ac frigidum ut unum a calido ut unum, tamen per intensiorem agentis, quam per qualitates passivi; quibus sit resistentia formalis, & activa: ergo aequaliter utrumque alterabitur corpus.

Communis tamen, & magis recepta est opinio, quae tenet facilius esse incidere in morbos similes, quam in dissimiles, sic Galenus 1. de simpl. med. facult. loquitur, dum sermonem facit de temperamento aquae: *Igitur temperato admota plusculo tempore, ipsum omnino refrigerabit, in temperato quidem citius refrigerabit, id quod frigidius natura fuerit, tardius vero quod calidius.* Quibus verbis deducitur facilius esse alterari, & incidere in similem morbum, quam in dissimilem. Hanc doctrinam recipit Valles. noster in com. tex. cit. & Iacob. de Forlivio super aphor. 34. lib. 2. In cuius expositione Recentiores nostrae scholae citati asserunt, facilius esse incidere in morbos similes, quam in dissimiles: quia si gradus diversae perfectionis sunt, ut morbus similis inducatur, gradus perfectior agit, & imperfectior resistit, quippe ad hoc quod calefiat calidum ut unum, agit sextus gradus caloris, & resistit tertius, frigoris; & ut incalescat frigidum ut unum agit quartus gradus caloris, & resistit quintus frigiditatis: ergo citius calefit corpus calidum, quam frigidum. Caterum si ejusdem perfectionis supponantur gradus, cum omnes ad agendum concurrant, plures sunt gradus, qui concurrunt, ut corpus calidum ut unum incalescat; etenim sunt sex gradus caloris, & minus resistunt, quippe sunt tres frigiditatis in resistentia activa; nam formalis aequalis est. Porro ut frigidum ut unum incalescat, agit calor ut quatuor, & resistit frigiditas ut quinque activè: ergo minor est activitas & major est resistentia pro morbo dissimili: e contra vero pro simili; ac per consequens facilius est incidere in morbos similes, quam in dissimiles.

Recentior quidam olim in nostra schola Primarius super F. 1. lib. 4. Av. agens de praeparatis ad febrem, inquit facilius esse incidere in morbos similes, quam in dissimiles; quia ut frigidum ut unum incidat in febrem, debet venire ad eandem intensiorem, ad quam devenit calidum ut unum, sed magis distat frigidum ut unum a calore ut tria v.g. quam calidum ut unum a calore ut tria: ergo facilius est producere id, quod deficit in calido ut unum, quam id quod deficit in frigido ut unum. Majorem propositionem nititur suadere Doctor citatus sic: quia ut senex incidat in febrem, in majorem calorem devenit, quam in statu naturali habet juvenis; quippe differentiae pulsus id ostendunt clarissime: ergo est quia senex pervenit ad caliditatem juvenis, & aliquid plus, ut incidat in febrem; sed facilius est produci parum illud, quod deficit juveni; quam totum illud, quod deficit seni, ut ad tantam intensiorem deveniat: ergo facilius est incidere in morbum similem, quam in dissimilem.


Idem premit assumptum, exemplo humorum febrem causantium; etenim humor frigidus non causat febrem, nisi supra calorem naturalem cordis invalescat; sed magis distat humor frigidus a tanta intensiorem, quam calidus: ergo difficilius in dissimilem distemperiem incidet, quam in similem.

Ceterum doctrina adducta minimè satisfacit pro solutione litis propositae, & sic non est admittenda: quia incidit in id, quod contra Valles. impugnat iste Doctor: nam super hoc caput inquit, non esse admittendam Vallej doctrinam: quia non supponit cetera paria, & super caput de praeparatis ad febrem dicit, differentiam esse, quia plus est producendum in corpore dissimili, quam in simili: ergo incidit in id, quod impugnat; nam cum debeant esse cetera paria excepto illo, in quo fit comparatio, & difficultas sit quod sit facilius incidere, in similem, aut dissimilem morbum, morbus debet esse aequalis, solum differentià posità in similitudine: cum ergo hoc non supponat, incidit in foveam, quam fecit, & sic dubium debet intelligi, si corpus frigidum ut unum, & calidum ut unum sit alteratum per duos gradus caloris, ita ut calidum dicatur ut tria calidum, & frigidum dicatur calidum ut unum; quia in tali casu est aequalis recessus per duos scilicet gradus. Praeterea: quia nemo dubitabit talem esse inter qualitates differentiam, ut magis resistat, quae minus activa est: ergo licet gradus perfectione differant, & ad morbum similem agat perfectior, quam ad dissimilem, & resistat imperfectior; & sic major sit activitas, cum magis resistivus dicatur, quòminus activus sit, & hic sit, quo resistit pro morbo simili; hinc est, ut quod excedit de activitate in simili morbo inducendo, suppleatur de resistentia faciendae a gradu imperfectiori, & quod deficit de activitate in morbo dissimili inducendo cum gradu imperfectiori, suppleatur de resistentia contrarii, quae est minor; ac per consequens, aequalis erit hac ex parte utriusque morbi productio.

Insuper nam si adhuc gradus aequalis perfectionis dicantur, non celebratur facilius una alteratio, quam altera. Suadetur: quippe omne agens agit secundum id, quod est in actu respectu passivi; sed in casibus dictis solum per duos gradus est in actu respectu passivi: ergo aequalis erit activitas, & resistentia; & consequenter productio erit aequalis. Praedicto ratiocinio communis solutio est, quod gradus cum ejusdem perfectionis sunt, omnes ad agendum concurrunt, & sic cum plures gradus reperiantur in causa inducente morbum similem, quam dissimilem, etsi solum per duos gradus utraque excedat passivum, fortior actio reperitur per morbo simili, & fortior resistentia pro dissimili: quia plures gradus sunt resistentes. Tamen contra instatur solutio adducta: nam gradus quatuor, verbi gratia, caloris, neutiquam possunt producere quintum, etsi ejusdem perfectionis sint, ergo quia non possunt ipsi attingere quintum gradum; sed si per productionem alterius gradus caloris supra quatuor in agente non ponitur major perfectio in quatuor praexistentibus, neque additur ejus virtus: ergo si ipsi antea non poterant tangere productionem quinti gradus; neque postea, ac per consequens non poterunt simul cum quinto ad productionem quinti conducere, cum simulta-


neitas nihil ponat in ipsis : si ergo non possunt conducere ad productionem quinti simul cum quinto : ergo quamvis plures gradus reperiantur in causa pro morbo simili, cum solum agant illi qui sentiuntur exuperantes, & sint ut duo, in utroque casu æqualis erit activitas, & æqualis resistentia, ac proinde non erit facilius in morbum similem incidere, quàm in dissimilem.

Nobis tamen videtur veram esse Galeni doctrinam, aliterque esse à dubiis liberandam. Pro quibus advertendum est, non esse dubium tantum distare corpus calidum ut unum, à calido ut tria, quantum distat frigidum ut unum à calido ut unum. Neque est dubium unum gradum agens activè, & formaliter per alterum in compossibilem impediri, & consequenter æqualem esse resistentiam in utroque casu. Est tamen differentia, quod cum in omnium productione reperitur agens, & passum, & consequenter actio, & reactio, illud habeat rationem agentis, pro quo tandem victoria manet; & illud est, quod actionem victoriosam valet elicere. Illud autem dicitur passum, quod tandem victum manet; quod pendet ex eo quòd talis, aut tanta sit qualitatum intensio in uno, quod supposita reactione valeat adhuc passum vincere; ad quod non solum requiritur excessus ad agendum, sed quòd talis sit, quòd valeat victoriam ferre, quod sit per qualitates in majori gradu existentes: sic dum calidum ut unum alteratur à calido ut tria, nihil mirum, quod facilè fiat alteratio: quia major qualitatum intensio in calore adest, & minor in frigore resistente, & sic quamvis sit actio, & reactio victoria pro calido debet resultare, nam facilius est tandem frigus remissum vinci, quam calorem intensum. Dum verò frigidum ut unum est per calidum ut unum calfaciendum, cum tanta sit intensio qualitatum in agente per calorem, quanta in passio per frigiditatem, fit quod non sit major ratio, ut actio victoriosa pro uno, quam pro altero resultet, & sic difficilius consequetur victoria, nisi virtus agentis magis intendatur, ac per consequens ideò difficilius est, incidere in morbum dissimilem; quia supposita continuà actione & reactione, interdum unum vincens, jam aliud victum resultat, quod non fiet dum agens intensiorem majorem habet. Ex quo manet solum argumentum difficile: nempe quòd licet actio fiat per duos gradus, & resistentia per eosdem in utroque casu, cum ad morbum similem inducendum major qualitatum intensio sit in agente, & minor in passio resistente, fit quod per continuam actionem, & reactionem, tandem vincatur id, quod remissius est, & reductione facta in agente semotà qualitate contrarià, quasi agens fortius, & victoriosum resultet. Dum verò morbus dissimilis est inducendus major intensio, aut æqualis qualitatis resistentis est in passio, quàm in agente qualitatis agentis; & sic ferè ad invicem vincuntur; unde evenit quod tardiùs actio victoriosa pro agente resultet, nisi virtus addatur, seu augeatur, & sic difficilius erit alteratio in dissimilem qualitatem. Sed de his satis, quia magis ad Philosophum, quam ad Medicum spectant, & ad reliqua properemus, ut tractatui nostro finem imponamus.



DISPUTATIO
DE CONSVETVDINE.

GVM Galenus toties repetat ratione consuetudinis diversimodè debere operari Medicum in quacumque curatione, itaut summoperè eam commendat, ut videre est per omnes libros Methodi, præcipuè in 9. cap. 6. & super libros aphorismor. & de victus ratione, & quotiescumque aliquid agendum disponit; eius naturam examinare apparet necessarium, quod ut consequamur primò de eius essentia caput instituemus.



CAPUT PRIMUM.

Quid sit consuetudo.

VT quæstio intelligatur: advertendum est consuetudinem dupliciter sumi: primò pro multitudine actuum præcisè, qua ratione ex eo quòd quis pluries uteretur hoc, vel illo alimento dicimus habere consuetudinem illius, sicut ex eo quod quis pluries medicamento purgetur, vel sanguine evacuetur, habere talis evacuationis consuetudinem dicimus, propter quam aptiorem resultare hominem ad similes actus eliciendos dicimus, nullo in subjecto accidenti resultante, ut Peramatus cap. 19. de temperamentis voluit. Qua ratione Consuetudinem definit dicens. *Est natura ad opus ex actibus inclinatio.* Quibus verbis manifestè docet consuetudinem non constitui per aliquod accidens ratione actuum in viventi productum ad facilè operari conducens, sed pro multitudine actuum formaliter ad id facilitante ex se, ita ut ipsa naturæ inclinatio, sit effectus ostendens actus à quibus processit; consuetudinem constituentes. Nam nemo negabit, quod ipsa facilitas operandi sequatur consuetudinem, & cum nihil aliud facilitas sit, quam naturæ inclinatio, ideò tanquam per effectum, consuetudo per inclinationem vel facilitatem naturæ ad opus ex actibus, definitur. Qua ratione Galenus in hoc capite nullo alio meliùs temperiem cognosci docet, quàm ex consuetudine: ergo sentit diversum quid esse consuetudinem ipsam à termino per eam resultante. Et consequenter in fine capit. 16. lib. 9. docuit *aratem, & consuetudinem interventu temperamenti indicare*: quibus verbis docet diversum quid esse consuetudinem à termino resultante per ipsam, ac per consequens consuetudo pro multitudine actuum potest accipi.

Secundò accipitur consuetudo pro termino, vel qualitate quadam ratione actuum producta ad facilè operari conducente, siquidem eo modo ac per multitudinem actuum, generari qualitatem aliquam habitum appellaram, docuit Philosoph. cap. 8. prædicamentorum, propriè ad actus interiores pertinentem, vel ad facilè operari conducentem; ita per longum alimentorum usum circa facultates naturales, & per usum circa aliquas facultates, qualitas quadam resul-

tat in subjecto consuetudinem constituens in communi Medicorum doctrina. Per amato excepto, cuius ratione aptior ad operandum similem actum ulterius resultat facultas, sicut de vero habitu diximus, quam veritatem manifestavit Galenus 2. aphor. 50. qui reddens rationem cui consuetudo minus molestare soleant, sic ait. *Cibus, ac potus naturam adventitiam efficiunt*, per quæ verba manifestè demonstrat consuetudinem constitui per terminum, vel qualitatem quamdam resultantem usu rerum, adscitiam naturam dictam, ex eo quod usu rerum acquiratur, vel adveniat, quæ etiam ratione, & lib. de consuetudine per totum, & pluribus aliis in locis ostendere conatur Gal. alimenta consueta esse meliora, quia familiaria sunt temperiei usu rerum resultanti, vel ex propria natura esistenti; nam ut docet præcipue cap. 2. quia familiaria propria naturæ fuerint assueta, nam contraria, nec appetuntur, nec ipsis bene se habet vivens.

Ex dictis facillè intelligitur quomodo dissueta, etsi meliora, sunt posthabenda, ut docet 2. aphor. 50. Galenus, & 2. Acutor. à text. 21. ad 34. in quibus ex professo ostendit non solum esse præferenda consueta, etsi minùs bona alimenta verum & vitiosam victus rationem, quod ex eo est, quia natura ad familiaria alimenta appetenda inclinatur, & consequenter illa sunt consueta, alia verò contraria, & quamvis per artem quis ad prava alimenta assuescat, cum natura specialis acquiratur ex eorum usu, quæ adventitia dicitur à Galeno, hinc est, ut adhuc talia alimenta assueta utiliora sunt iudicanda, quia familiaria illi naturæ adventitiæ, & consequenter lædere non valent, maxime tamen insueta.

Sed Dices si natura inducit ad appetendum familiare, & hinc est quod consueta familiaria sunt, non poterit verificari consueta esse deteriora: nam ut Galenus docet cap. 2. de consuetudine, alimenta meliora sunt familiaria: sed appetunt hæc: ergo insueta sunt meliora. Nec valet Respondere loqui de consuetudine comparata, non ex eo in quod inclinatur natura, sed per artem, quæ depravata, & ad alimenta prava esse potest: nam etiam hæc consuetudo cum dicat specialem naturam acquisitam, respectu cuius familiare, & simile est alimentum consuetum, non poterit verificari de ipso deterius esse, & esse præferendum ratione consuetudinis.

Probatur alimentum optimum appellari, non solum propter optimum succum, quem habet præstare, sed etiam propter aptitudinem, quam habet ex se ad conversionem, & propter alia accidentia alimentosa, vel quæ debentur ut alimentum est; & sic cum bonitas hæc absolute sit accipienda respectu subjecti temperati, hinc est, quod alimentum, quod respectu ejus est omni ex parte optimum, & absolute dicitur tale, respectu consuetudinis non debeat esse optimum, quia potest consuetudo esse diversa, & sic illud erit præferendum, quod consuetum, id est, quod familiare, respectu illius naturæ specialis. Quæ etiam ratione cap. citat. Galenus docet esse plures homines, quibus propter specialem naturam familiare est vinum, alios quibus una caro, & alios quibus altera, & e contra, ita ut propter propriam cujuslibet animantis naturam sive ab intrinseco, sive ab extrinseco comparatam proveniat alia esse alimenta unius, alia alterius animati propria. Quæ etiam ratione 3. de alimentis

27. docet familiaritatem substantiæ voluptate judicari.

Difficultas tamen est in quo formalis ratio consuetudinis sita sit: An in usu rerum; an in termino ex usu rerum resultante? & videtur veram, & formalem consuetudinis rationem in ipso rerum usu consistere, non verò in termino, vel qualitate resultante. Quod videtur docere Galenus cap. 16. cit. dum dixit & temperiem corporis cognosci melius ex consuetudine, quam ex alio signo; & ipsam consuetudinem interventu temperamenti indicare, quod magis manifestavit 4. de sanit. tuend. cap. 9. per hæc verba. *Porro consuetudinem, ut quæ adscitiam generet naturam, mutare, noxium est*; docet ergo consuetudinem in usu rerum formaliter consistere, cum ipsa usus sit, qui adscitiam naturam faciat, ut comm. 50. aph. 2. docuit: quomodo etiam loquitur semper, dum de consuetudine agit, cum per consuetudinem corpus immutari fateatur, tam lib. de consuetudin. quàm 2. de motu muscul. & pluribus aliis in locis.

Hæc etiam ratione probatur 1. quia potest quis duobus contrariis assuescitur; sed non possunt esse in uno subjecto duæ temperies oppositæ: ergo non consistit consuetudo in termino producto. Major etsi non adducitur à Galeno 2. aphor. 50. constat experientiâ, quæ rebus calidis aliquibus & aliquibus aliis frigidis corpora assuescitur videmus: minor est certa cum de ratione contrariorum sit adinvicem expelli: ergo & consequentia.

Secundò quia si tres homines habeant idem temperamentum, alter ex propria natura, alter usu calidorum remittentium ejus frigus; & alter usu frigidorum ejus calorem remittentium, habebunt eundem terminum productum, & non habuerunt eandem consuetudinem: ergo non consistit in termino, vel in temperamento resultantè, sed in usu rerum; major patet, quia primus nullam habebit consuetudinem ex propria natura temperatus, & malè se habebit aliis. Secundus homo habebit consuetudinem calidorum, quibus bene se habebit, & aliis malè, e contra verò tertius: ergo: & hæc etiam ratione, ut diversa indicantia temperamentum, & consuetudinem adducit Galenus.

Tertiò quia si consuetudo consisteret in termino producto, vel in temperamento resultantè usu rerum, sequeretur, quod nulla sumeretur indicatio consuetudinis; sed tantum à termino indicationem esse sumendam, cum solum ratione ejus sit diversificandum remedium, non ratione usus rerum: sed sic est, quod ratione consuetudinis diversa applicantur medicamenta, & alimenta, quàm ipsum temperamentum expostulat: ut in casibus dictis: ergo consuetudo non consistit in temperamento resultantè usu rerum, ac per consequens, nec habet rationem naturæ. Quod confirmatur quia natura ad operari conducit; consuetudo ad facillè operari: ergo differunt, ut docuit Philosoph. 7. ethicor. 10. ostendens facillè curari incontinentes ex consuetudine, quàm qui tales ex natura sunt: ergo consuetudo non est natura.

Non tamen magis consentaneum veritati videtur consuetudinem consistere in qualitate quadam usu rerum comparata; vel in adscititia natura, quàm in aliquo alio. Primò, quia non alio modo per habitum redditur intellectus aptior

ad operandum, quàm facultas motiva per consuetudinem redditur aptior ad suos actus eliciendos. Sed habitus ex doctrina Philosophi, est qualitas quædam ex actibus producta ad faciliè operari conducens: ergo & consuetudo erit qualitas ex actibus producta ad faciliè operari suæ facultatis conducens. Vocatur enim habitus in intellectu, quod respectu aliarum formarum magis materialium dicitur consuetudo.

Secundò, quia consuetudo indicat sive per salutem, sive per morbos sui conservationem per similia, ut Hippocrates docet. 2. acut. citat. & 2. aphor. & Gal. in comment. & in his libris methodi: sed si consuetudo formaliter non consisteret in aliquo resultante usu rerum, non posset sui conservationem indicare: ergo in qualitate resultante consistit. Minor probatur, quia si nihil esset in corpore consuetudinem constituens, non esset quod indicaret sui conservationem, nec esset cui assimilaretur medicamentum: præterquam quod usus rerum dum non fuerit propter terminum productum necessarius, non est ad quid requiratur propter se: ergo consuetudo in aliqua qualitate usu rerum resultante consistit.

Totam hanc doctrinam ostendit Galenus capit. 2. de consuetudine dicens acquiri similitudinem quamdam alimentorum usu inter ipsa & vivens, ratione cujus meliùs se habet vivens alimentis consuetis, quàm aliis: sed similitudo fundatur in qualitate quadam: ergo usu alimentorum acquiritur qualitas, ratione cujus meliùs se habet vivens circa alimenta consueta: ac per consequens consuetudo in qualitate quadam usu rerum acquisita consistit. Patet nam id dicitur consuetudo, quod ad faciliè operari facultatum conducit: sed qualitas illa ad hoc conducit, ut Galenus docuit loco citato, & quarto de simplicibus decimo tertio, cum sit similitudinis fundamentum: ergo in illa consistit consuetudo. Confirmatur, quia facultas, quæ antea non operabatur, ita promptè, per usum illius, quod ad ipsam pertinet faciliùs, vel commodiùs operatur: sed non potest diversimodè operari nisi aliquo modo immutetur: ergo per aliquid in ipsa, vel in ipso subjecto productum: patet: quia si usus rerum nihil ponit, vel tollit de facultate, seu de dispositione ad ejus operari: eadem numero se habebit facultas ac antea; sed diversimodè se habet, cum diversimodè operetur: ergo ponit aliquid usus, ac per consequens illud habebit rationem consuetudinis cum sit aliquid usu rerum productum ad faciliè operari conducens.

Ex dictis, & ex quotidiana experientia constat consuetudinem dari, per ipsamque promptiùs se habere vivens in ordine ad opera consueta, & in ordine ad alimenta consueta, ratione cujus utiliora judicantur à Galeno consueta, quàm dissueta, quidquid sit de bonitate intrinseca rei, & sic periculosa judicatur consuetudinis mutatio: ut cap. 9. de sanit. tuend. dixit Galenus. Definitur autem consuetudo rectè: si dicamus esse quid ex actibus resultans ad faciliùs operari conducens: non dixi esse qualitatem, vel dispositionem, quia plura sunt, quæ rationem consuetudinis habent, ut dicemus: & omni rigore qualitates non sunt.

Ad argumenta Respondetur ad Gal. quod ipse

utrumque confundit, ex eo quod idem significetur quoad esse medicinale: sive usus rerum, sive terminus productus formaliter consuetudo dicatur, & per usum rerum intelligatur, quod veram consuetudinem constituit tanquam in causa ostendente terminum. At verò lib. de Consuetudine cum ex professo de ipsa agat, explicuit aliquid per diversos actus in ipso viventi produci, ratione cujus aptius ad operandum circa consueta manebit vivens, cum quo docuit in illo rationem formalem consuetudinis consistere.

Prima ratio petit, quomodo possit quis duobus contrariis assuescere, quod constabit infra. Dum dicemus, quomodo acquiratur consuetudo. Ad secundum dicimus temperamentum absolute tale non constituere consuetudinem: sed temperamentum tale ex actibus, ratione cujus, qui ipsum à propria natura habet, habet naturam, non consuetudinem; habet tamen hanc; qui ipsum ex actibus habet, quod talem constituit consuetudinem, quale ipsum fuerit, cum ordine ad actus, per quos fuit productum, & sic, qui usu frigidorum acquisivit temperamentum, diversam habet consuetudinem ab alio usu calidiorum idem comparante, propter diversum ordinem, quem dicit tale temperamentum ad actus diversos, & sic tanquam diversum indicans dicitur natura, & consuetudo; & sic consuetudo altera natura dicitur. Quo constat solum tertium argumentum: ideo fit quod faciliùs curentur incontinentes ex consuetudine, quàm ex natura, quia illa, etsi alteram naturam constituat, non potest esse ita universalis, ut quæ à principio intrinseco in toto orta est.

✠

CAPUT II.

An ex actionibus frequentibus acquiratur consuetudo in vegetativis facultatibus.

RO cujus explicatione supponendum, quod consuetudo duobus modis dicitur. 1. pro frequentiori rerum usu, ut quando quis simili alimento sæpissimè fruitur, & hac significatione in præsentia, nomine consuetudinis non utimur. 2. modo accipitur pro eo quod remanet, transacto rerum usu, illud enim revera consuetudo appellatur, & propriè, ut colligitur ex Arist. 2. lib. Ethicor. cap. 10. ubi dicit ex frequenti rerum usu consuetudinem acquiri: appellat ergo consuetudinem illud, quod distinguitur ab usu rerum, & hac significatione vertitur in dubium, an ex actionibus procedentibus ab anima vegetativa acquiratur consuetudo.

Et pro parte negativa potest esse hoc argumentum: ea quæ operantur secundum naturam non possunt assuetudinem comparare, sed facultates vegetativæ animæ operantur secundum naturam: ergo non comparant consuetudinem ex actibus. Major est certa patet enim inductione: quia lapis quantumvis sæpissimè deorsum moveatur: cæteris omnibus eodem modo se habentibus: eodem modo movetur: similiter ignis quantumvis sæpissimè calefaciat, eodem modo se habet semper: & ratio hujus est, quia facultates naturales operantur secundum ultimum potentiæ, juxta

proportionem agentis ad id quod patitur : atque adeo in illis non potest reperiri promptius , aut facilius agere : Probatur minor : quia facultates vegetativæ operantur mediis qualitatibus elementorum , ut instrumentis : ergo operantur secundum ultimum potentiae.

Obiter tamen advertendum est , omnes Medicos comprobasse non posse assuescere ex eo quod dictum est ab Arist. 2. Ethicor. cap. 1. nihil ex his , quæ secundum naturam sunt aliter assuescere : quo testimonio , ut constat non dixit Aristot. respectu naturalis actionis non posse consuetudinem comparari : sed tantum voluit dicere : quod respectu actionis , quæ contrariatur operationi naturali : non potest contingere consuetudo : ut patet exemplo ibi appposito.

Secundò probatur hoc idem in agente ubi tantum est principium activum , & non passivum : non potest reperiri consuetudo : sed omnes facultates vegetativæ sunt activæ ; & nullo modo passivæ : ergo in illis non reperitur consuetudo : Probatur major : quia consuetudo , ideo fit , quia illud , in quo reperitur , per actus præcedentes disponitur : oportet ergo , quod recipit consuetudinem , actus recipere : sed recipere est pati : ergo necessarium est passivum principium esse quod debet recipere consuetudinem : & non tantum activum . Probatur minor argumenti inducti : quia actus nutritivæ facultatis non subiectatur in ipsa , sed in materia : Similiter neque actus augmenti , non subiectatur in facultate augmentativa : sed in parte substantiæ , quæ producitur . Similiter generatio non subiectatur in facultate generativa , quæ est in animali , sed potius in materia sanguinis , aut seminis , & sic de aliis .

Sed his non obstantibus absque dubio dicendum est , in facultatibus vegetativis locum habere consuetudinem : quod constat primo : nam experientiâ constat : plantas , quæ certis , & determinatis temporibus irrigantur . arescere , si non irrigentur ipsis temporibus : reliquas vero minime : hujus rei nulla potest assignari ratio , nisi ea , quæ in consuetudine fundatur . Hoc autem ad facultatem vegetativam spectat .

Similiter hanc sententiam probat , quod dicitur ex Gal. lib. de simpl. med. facult. cap. 8. ubi dicit Anum nutritam fuisse cicuta , citra læsionem : quod profecto in consuetudine , quam comparavit pars per nutritionem consistit . Habet vim similiter , in hujus rei confirmationem , & illud , quod tradit Gal. in principio libri primi de Antidotis : quo loco refert Regem Mitridatem ex frequenti usu Antidoti proprio nomine appellati , liberatum fuisse à morte ex assumpta veneno . Quod etiam confirmat Arnald. de Villanov. lib. suo de speculo cap. 82. ubi refert hominem citra læsionem araneis nutritum fuisse . Quod etiam confirmat Hipp. 2. acut. comm. 21. ubi dicit consuetam victus rationem , etsi deterior sit , tutius est sequi , quam subitè in meliorem mutare : quæ omnia , & plura alia , quæ potest quis videre apud Galenum lib. de Consuetudin. cap. 1. comprobant in facultate naturali commutativa per nutritionem , vim habere consuetudinem .

Neque solum in hac facultate : sed etiam in attrahente & coquente videtur reperiri consuetudo : quia ut constat experientiâ , quod homo , qui singulis diebus ter assumere alimentum decrevit , ter etiam appetit : si verò ter non assumat , læditur . Ratio est , quia in hoc homine , fa-

cultas attractrix consuevit ter attrahere à ventriculo , si verò non trahat , læditur pars necessaria . Contra verò , qui tantum semel assuevit assumere cibum , si pluries assumat , læditur , quia in hoc facultas attractrix tantum consuevit semel trahere à ventriculo : quæ omnia tantum habent fundamentum in eo quod trahens facultas assuescat .

Similiter ille , qui consuevit maximam quantitatem cibi assumere , læditur si non assumat . Contra verò , si assumat ille , qui non est assuetus , gravatur : ut 2. acut. com. 22. ab Hipp. dicitur . Constat ergo non solum in facultate coquente , & commutativa habere locum consuetudinem ; sed etiam in trahente . Similiter in facultate expellente hoc est verum , quod constat ex Hipp. 2. progn. comm. 13. ubi dicit laudandam esse in dejectionibus horam consuetam deiciendi ; similiter licet somnus meridianus vituperetur ab Av. F. 3. lib. 1. doct. 2. cap. 9. tamen si quis assuevit eam horam dormire , læditur , si non dormiat : quia eo tempore caput gravatur : eò quod consueverunt partes eam horam mittere vaporosa in caput , quæ somno dissolvuntur . Propter eandem causam fluxionem ex longo tempore cohibere non est tutum : quia expultrix facultas consuevit secernere bonum à malo , & hoc expellere . Hæc est causa propter quam , malum est Hemorrhoidas antiquas sanare : nam sequuntur illa damna , quæ traduntur ab Hipp. 6. de morb. vulgar. part. 3. à comm. 34. usque ad 40. ita ergo constat non solum in facultate nutriente : sed etiam in subministrantibus locum habere consuetudinem .

Pro solutione tamen argumentorum , quæ proposita sunt in contrarium ; est advertendum : quod non est idem dicere in vegetabilibus reperiri consuetudinem , aut reperiri habitum propriè : hic enim habitus non potest adesse nisi in subiecto habente libertatem : unde rectè dixit Averroes 3. lib. de anima comm. 14. habitus est , quo utimur , cum volumus ; ideo verò dicimus in vegetabilibus reperiri consuetudinem , quia adest habitualis quædam dispositio in ordine ad suam naturam ad quam tria tantum sunt necessaria . Primum : quod id , quod disponitur per ipsam , sit diversum ab eo ad quod disponitur , & comparatur id ipsum ; sicuti potentia ad actum . Secundum , quod id , quod disponitur , possit pluribus modis commensurari , & determinari : Tertium , quod concurrant plura , quæ possint diverso modo se habere . Vnde rectè dictum fuit ab Aristot. quinto , lib. metaphys. capit. de qualitate , *habitus est dispositio , dispositio est ordo habentis partes* .

Ex qua doctrina Respondetur ad primum argumentum : quod non est eadem ratio in purè naturalibus & in vegetabilibus : ideo enim non possunt assuescere : quia per actus quos eliciunt , eodem modo se habent semper : neque contingit in ipsis aliqua variatio , ut ignis eodem modo se habet semper , quantumvis frequentissimè calefaciat ; similiter lapis licet deorsum semper moveatur . At verò vegetabilia secundum eas facultates , quas diximus non se habent eodem modo , transactis actibus , sicuti se habebant , antequam operarentur frequenter . Quod constat in facultate nutritiva , nam pars , quæ nutritur non solum agit in alimentum , sed ab illo patitur .

Præterea

Præterea substantia, quæ per nutritionem reparatur, habet aliquid simile ei quod erat in alimento, ante commutationem; unde facta frequenti nutritione ex simili alimento acquirit pars similitudinem cum illo.

Ad secundum Respondetur veram esse majorem propositionem: ad minorem vero dico: quod licet verum sit actiones vegetativæ animæ, non subjectari in agente, sed in alio subjecto distincto, tamen ad hoc, quod ex actionibus nutritivæ facultatis adquiratur consuetudo satis est, quod illa pars substantiæ, quæ reparatur per nutritionem uniatur parti existenti, & fiat unum cum illa, nam ita variatio est in agente, quod resultat.

Sed Dicit aliquis: sequitur ex hac ratione, quod ignis potest assuetudinem comparare. Probatur sequela, quia ignis dum commutat lignum in sui naturam, ignem genitum sibi unit, ita ut ex utroque fiat unum numero: idem ergo reperitur sicuti in vegetabilibus:

Respondetur quod est diversa ratio, nam licet verum sit ignem genitum ex ligno uniri præexistenti in unitate numerali: tamen, quia ignis productus eodem modo se habet in omnibus sicuti ignis præexistens ante commutationem nullam suscipit variationem in aliqua qualitate neque in prima, neque in secunda, & ratio est à priori, quia nihil materiæ commutatæ, in specie manet in igne genito præter materiam primam, aut aliquam ex primis qualitatibus, in commutatione verò alimenti per nutritionem manet aliquid, ut dictum est: quia non est necessarium, substantiam, quæ reparatur per nutritionem totaliter assimilari agenti: sed potest aliquid habere ex dispositione alimenti.

Sed Dicit quis ulterius saltim propositum argumentum videtur habere maximam vim ad ostendendum ex actionibus facultatis trahentis, aut expellentis, non fieri consuetudinem: quia neque expulsio, aut tractio subjectantur in propriis facultatibus, neque in ipsum contingit, quod diximus reperiri in facultate nutritiva.

Respondetur quod in expulsionem, id quod expellitur immutat partes expellentes, & pars, quæ ex consuetudine trahit, aliquid habet in se; quod sit veluti occasio cogens ad sic trahendum. Vnde actiones harum facultatum non fiunt sine mutatione principii agendi: & hoc sufficit ut possit in illis habere locum consuetudo. Quo pacto autem debeat explicari hoc argumentum in facultate naturali respectu quantitatis alimenti dicemus infra.

Majorem difficultatem habet intelligere, quid in facultate naturali sit consuetudo. In qua dubitatione Galeni opinio est, consuetudinem esse adventitium temperamentum, sive naturam. Scimus enim ex ejus doctrina duplex esse temperamentum, aliud innatum, aliud adventitium, appellat ergo consuetudinem temperamentum hoc adventitium, non quidem ex ætate, sed usu alimentorum, hanc sententiam tenet expressè lib. 2. de motu musculi. cap. 3. & lib. 2. de temperamentis cap. 9. & lib. 2. aphor. com. 50. dum explicat hanc Hippocratis sententiam *Consueti, etsi deteriora sint, insuetis minus molestare solent*, & 9. lib. method. cap. 16. dum docet unam indicationem sumi à consuetudine, sicuti ab ætate hæc verò duo inquit indicare interveniente natura: sequitur ergo:

quod natura est consuetudo. Probatur quia ut supra declaratum est, nomine consuetudinis hoc loco intelligit res assuetas: si ergo istæ indicant interveniente natura, cum debeant indicare mediâ consuetudine propriè dictâ: hæc ergo erit natura. Eandem sententiam licet non ita expressè habet Galenus 11. method. cap. 3.

Neque verò contra hanc sententiam alicujus est momenti, quod aliquis possit objicere, si dicat, temperamentum est causa simpliciter actionis: sed consuetudo non est causa simpliciter actionis: ideo enim ponitur ut subjectum promptè, & faciliter operetur: Sequitur ergo quod consuetudo non est temperamentum, neque natura.

Respondetur facilè, quod licet temperamentum absolute sit causa actionis simpliciter: consuetudo solum est modi ejus: quod constat ita, nam si aliquis homo frigidus, & siccus temperamento sit, & sæpissime nutriatur frigidis, & humidis, certum est ante usum horum alimentorum corpus nutrirî simili nutritione, & ejusdem rationis: post usum verò horum alimentorum tantum de novo adquiritur, ut commutatio ex his alimentis fiat facilis, & citra noxam.

Sed hanc sententiam Galeni impugnat Vallesius 8. lib. contrav. cap. 5. falsum enim inquit est, consuetudinem esse adventitiam naturam: quia dictum est ab Arist. 7. lib. Ethic. cap. 10. incontinentes ex consuetudine, quàm ex natura facilius sanari possunt. Quippe consuetudinem, quàm naturam facilius est mutare: ideo enim difficile aufertur consuetudo, quia naturæ est perquam similis: ex quo colligitur consuetudinem revera differre ab omni natura: quia facilius est consuetudinem mutare, quam naturam: ergo consuetudo non est natura. Similiter si consuetudo est naturæ perquam similis non est ipsamet natura. Quod autem consuetudo assimiletur naturæ etiam videre est apud Arist. lib. 1. Rethoric. cap. 11. quo loco agit de jocundis. Similem sententiam possumus legere apud Aristot. 2. lib. magnorum moralium cap. 7. ubi dicit in continente improbius est intemperans, curatu enim difficiliora, quæ naturalia, quàm quæ ex consuetudine; ob id enim magnificienda est consuetudo, quia naturæ insideat. Quo loco etiam apertam differentiam constituit inter consuetudinem, & naturam. Libello etiam de memoria, & reminisc. cap. 3. dum vult declarare Aristoteles an ad memorandum incipiendum sit à primo principio cognito, dicit: si enim non per primum movemur, neque assuetudine movemur, est enim consuetudo tanquam natura; quo etiam loco insinuat discrimen inter naturam, & consuetudinem.

Sed revera hæc testimonia non probant contra hanc Galeni opinionem: multò minùs illud, quod à Vallesio adductum est, quod ita constat: nam in hac dubitatione ex Galeni opinione tantum dictum est in vegetabilibus, præsertim in facultate nutriente consuetudinem esse adventitiam naturam; at verò incontinentia de qua erat sermo in prædicto testimonio non spectat ad facultatem naturalem, & vegetativam: sed est habitualis dispositio existens in voluntate, tanquam in subjecto, quam differre à temperamento adventitio nullus dubitat: malè ergo hoc testimonium assumpsit hic Author ad probandum consue-

tudinem in vegetabilibus differre ab adventitia natura, siquidem in istis incontinentia non est.

Quod autem incontinentia sit in prædicta facultate sicut in subiecto, constat aperte; quia contraria sunt circa idem, sed continentia est in voluntate tanquam in subiecto, & non in corpore vegetabili: ergo incontinentia similiter. Major est certa de contrariis, & minor constat ex definitione ejusdem: nam continentia apud Aristotelem eo loco est habitualis dispositio, per quam homo eligit resistere passionibus facultatis concupiscibilis: sicuti incontinentia est habitualis dispositio, per quam homo eligit illa sibi: ergo debet esse ubi est electio: sed ex omnium consensu electio est in voluntate: ergo ibi est incontinentia: non ergo rectè assumitur ad probandum consuetudinem in vegetativis à natura distingui ex hoc testimonio.

Sed Dicet aliquis; si incontinentia est in prædicta facultate; sicuti in subiecto, perperam ergo loco citato distinguit Aristotil. incontinentes ex consuetudine, ab incontinentibus ex natura: siquidem dixit facilius sanari incontinentes ex consuetudine, quam ex natura.

Respondetur quod licet verum sit omnem incontinentiam in voluntate esse sicuti in subiecto, tamen aliquando contingit, ut quidam sint propensi ad incontinentiam ex corporis dispositione, & temperamento: ita ut talis dispositio præstet occasionem: tales ergo dicuntur incontinentes natura.

Sed Dicet ulterius quis, si nomine naturæ intelligit Aristoteles etiam temperamentum, male dictum est ab ipso alio loco citato 2. scilicet lib. moralium ad probandum incontinente improbiorem esse intemperatum, dicitur *curatu enim difficiliora, qua naturalia, quam qua ex consuetudine*; nam consuetudinem consuetudine possumus auferre, natura verò à nemine extrudi potest: potest autem auferri temperamentum usu rerum contrariarum: ergo per incontinentes naturam, non intelligit eos, qui sint tales ex corporis dispositione, aut temperamento.

Respondetur quod nomine consuetudinis, tam hoc loco, quam omnibus aliis locis supra adductis, intelligit propriè de consuetudine morali: ita ut sit sensus, consuetudinem possumus consuetudine auferre, tamen actibus propriè consuetudinis moralis nunquam possumus auferre naturam.

Licet autem his Aristotelis testimoniis non probetur consuetudinem in facultate nutritiva à temperamento distingui; potest tamen aliter ostendi urgentius, quod distinguatur à qualibet natura adventitia: Primò, quia dato opposito si consuetudo est illa natura; perperam reprehendit Galenus antiquos Medicos lib. de Consuetudin. capite primo, qui dicebant tantum esse considerandam naturam ventriculi, & alimentorum, an scilicet inter illa intercedat familiaritas & similitudo, an secus: nullamque esse habendam rationem consuetudinis. Probatur sequela: quia si tantum natura corporis nostri usu plurimorum alimentorum adquisitè temperamentum simile respectu alimenti; cum tale temperamentum possit haberi ex principiis generationis, sequitur in hoc eventu, idem contingere ex natura, si-

cuti ex consuetudine; quia similem familiaritatem habet corpus in naturam respectu alimenti.

Si verò quis Respondeat, usu alimentorum adquiri similitudinem in aliqua secunda qualitate ex alimento, quam nullus potest habere ex principiis generationis. Contra est: quia saltem qualibet similitudo in primis qualitatibus, & in omnibus secundis, quæ ab his oriuntur necessariò, potest esse à principiis generationis: ergo saltem in his non habet locum consuetudo, præsertim cum nulla etiam videatur secunda qualitas contracta ex alimento, quæ in aliquo individuo ex principiis generationis haberi non possit: cum omnia temperamenta adquisita possint etiam esse ex principiis generationis.

Secundò probatur hoc idem, quia si consuetudo in vegetativis nil aliud est, quam adventitium temperamentum, perperam Galenus his libris methodi, distinguit indicationem à consuetudine, ab ea, quæ sumitur à natura. Si verò dicas nomine naturæ intelligi innatum temperamentum, nomine consuetudinis adventitium: & quia hæc possunt esse diversa: ideo tanquam diversa principia indicationum à Galeno ponuntur.

Contra sic, fingamus duos homines alterum calidum in primo gradu: alterum calidum in tertio, ex innato temperamento, calidum verò in primo gradu usu alimentorum calidorum deduci ad calidum in secundo, calidum verò hominem in tertio usu alimentorum frigidorum deduci etiam ad calidum in secundo; isti duo homines habent adventitiam naturam, & tamen habent contrarias consuetudines: ergo consuetudo diversa est ab adventitia natura. Probatur autem major, quantum ad primam partem: nam illi duo homines habent idem adventitium temperamentum nempe calidum in secundo gradu: ergo habent eandem adventitiam naturam. Probatur major, quantum ad secundam partem: quod scilicet sint in illis diversæ consuetudines; nam si illi duo homines incidant in calidum morbum, curatio debet fieri frigidis: tamen non debent similiter utrique adhiberi: nam illi, qui assuetus est calidis, ut deduceretur ad calidum in secundo gradu: frigida non debent adhiberi subito, & repente: ne permutatio ad insueta subito fiat: quòd maximè consonum est his, quæ docet Hippocrates & Galenus evidenter: ergo sequitur diversam esse consuetudinem ab adventitia natura.

Neque sufficit huic argumento Respondere, quòd licet, illi duo homines habeant idem temperamentum, non tamen habent eandem adventitiam naturam: quia non habent eandem temperamenti constitutionem, nomen enim temperamenti est nomen proportionis: & quia illi duo homines habent in qualitatibus, & substantiis similem proportionem revera habent simile temperamentum, non tamen eandem adquisitam naturam: sicuti quantumvis piper album, & nigrum habeant idem temperamentum, non tamen habent eandem naturam; neque eandem temperamenti constitutionem: ita ergo dici potest in illis duobus hominibus eandem temperamenti constitutionem non esse, & ex consequenti: neque eandem adventi-

adventitiam naturam, nam ut à Galeno dictum est 11. lib. capit. 1. adventitiæ naturæ ad causas efficientes reduci debent; ut inde indicationem sumamus; Natura ergo illorum propter usum contrariarum causarum cum contrariis rebus habet familiaritatem, atque adeo contrariam consuetudinem.

Sed hæc solutio non videtur sufficiens: quia diversi temperamenti constitutio in illis tantum videtur reperiri: quia à diversis causis illud temperamentum est factum: cum ergo secundum Galeni, & Medicorum sententiam temperamentum adventitium non differat à natura adventitia, aperte sequitur: quod cum identitate temperamenti non potest stare diversitas naturarum: quantumvis causæ externæ contrariæ sint.

Sed posset quis ulterius Respondere, quòd in illis duobus hominibus est idem temperamentum: tamen in uno calor est, qui ex frequenti usu acquiritur; in alio vero frigus; & licet in utroque gradus sint pares, & ejusdem intensiois, tamen calor, qui in uno acquiritur, in alio est innatus, & ex principiis generationis & frigus similiter; quod in uno usu rerum acquiritur, in alio homine est innatum: & hoc sufficit ut sint contrariæ consuetudines, & ita varietur curatio, nam si calorem acquisitum ille usu rerum, & incidat in calidum morbum, non debent adhiberi frigida subito, & repente, sed paulatim: Contra verò fit in illo homine, qui calorem ejusdem gradus innatum habebat: quod videtur constare ex Galeni doctrina, quinto method. capit. 10. quo loco videtur constituere differentiam inter vulnus suâ naturâ humidum, & vulnus humidum usu medicamentorum humectantium: docetque diversâ ratione curari: nam quod humidum suâ naturâ est, debet curari exsiccantibus medicamentis æqualibus: quod autem humidum factum est usu medicamentorum, non ita debet curari; sed sensim & paulatim adhibendo sicca remissa, sumptâ indicatione à consuetudine ex errata curatione: Distemperies ergo ejusdem intensiois assuetudine comparata variat curationem, ex eo solum, quod usu rerum est facta: non est ergo mirum in illis duobus hominibus habentibus idem temperamentum consuetudines esse contrarias, sufficeretque ad hoc qualitates contrarias usu acquisitas esse, licet quod in uno consuetudine factum est, in alio sit in natura.

Sed hæc solutio mihi non placet, quia per consuetudinem facultas, quæ ex se erat indifferens ad sic, vel aliter operandum determinatur ad operandum in particulari tali modo: ergo cum in illis duobus hominibus sit idem determinans, evidenter sequitur facultatem eodem modo operari: parum ergo refert, quod determinans in uno sit innatum, & in alio acquisitum: sicuti si quis adquirat scientiam usu rerum, & alter habeat similem scientiam à natiuitate, ridiculum esset dicere diverso modo determinari intellectus eorum, ex eo solum quod scientia in uno sit innata, & in alio acquisita.

Locus autem ille in argumento propositus ex 5. lib. method. 10. falso adductus est; tantum enim ille reprehendit Thesalum, qui in ulcere existenti in parte sicissima corporis ute-

batur medicamento humectanti: fundamentum autem reprehensionis est hoc, quia sumpta indicatione à partis natura, siccioribus debeamus uti, tamen in hoc exemplo propter humiditatem acquisitam consuetudine ex mala curatione, non subitò sicciora debent apponi, sed sensim, & paulatim; an verò ita faciendum esset, si humiditas ejusdem intensiois ex consuetudine non esset, Galenus non docet eo loco, neque declarat, an in hac consuetudine ex medicamento humectanti sensim applicari sicca, proveniat tantum ex qualitate prima usu comparata, an verò propter aliquid aliud acquisitum consuetudine non explicat: & ita non constituit differentiam inter illa duo ulcera, quæ in solutione proponebantur.

Circa propositam vero dubitationem sequutus fuit alium dicendi modum Valles. 8. controvers. capit. 5. dicit enim consuetudinem in naturalibus esse familiaritatem inter membra, & alimenta, non tamen esse tam fixam, sicuti est natura, sed esse veluti dispositionem ad naturam: Pro ejus opinionis intelligentia sunt duo advertenda, alterum est, quod temperamentum, sive innatum, sive acquisitum duplex est, aliud quod ex proportione substantiarum factum est: quod se habet per modum habitus: eo quod difficile dimoveatur à subjecto; alterum vero esse qualitativum, quod ex proportione qualitatum factum est, & se habet ad alterum sicut dispositio ad habitum; nam ratio dispositionis consistit in eo, quod facile dimoveatur à subjecto, temperamentum autem qualitativum facillimè mutatur.

Secundò advertendum est, quod hoc temperamentum qualitativum adventitium dupliciter se habet: vel enim nullam habet fixationem in subjecto, aut permanentiam, ut quod unicâ alimenti assumptione, vel appositione unicâ medicamenti factum est, & tale revera non est consuetudo: quia factum est levi quadam alteratione. Secundò modo temperamentum hoc qualitativum potest habere aliquam permanentiam, vel fixationem in subjecto, ut quod plurimo rerum usu factum est, & tale temperamentum qualitativum est consuetudo, quod parum abest ut migret in naturam, licet revera sit ad naturam dispositio, ita ut quando in naturam migraverit, jam non amplius consuetudo sit, sed potius natura. Ex quo colligit illos duos homines supra positos, habere quidem eandem adventitiam naturam, diversas tamen consuetudines habere: quia habent diversas dispositiones, & propensiones ad contraria: in uno quidem est propensio ad calida, in alio verò ad frigida; neque mirum est hominem calidum in habitu propensionem habere ad frigida: quia multò ex leviori causa temperamentum qualitativum mutatur, quam substantificum & aliquando calidus homo friget, ratione cujus frigoris potest habere ad frigida propensionem: neque est inconveniens eundem habitum in diversis subjectis habere propensionem ad contraria: ut si sint duo homines æque iusti potest unus habere propensionem ad augendam iustitiam; alter verò ad omittendam; atque adeo fieri potest, ut in illis duobus hominibus sit idem temperamentum in habitu: & propensiones ad contraria.

Neque contra hanc sententiam alicuius est mo-

menti; si quis objiciat, falsum esse illud temperamentum quod se habet ut dispositio migrare posse in naturam. Probat: quia nunquam qualitas potest mutari in substantiam: temperamentum autem illud quod se habet ut dispositio, qualitas est; ergo non potest migrare in naturam: quia hæc est substantia. Hoc inquam argumentum nullam vim habet. 1. quidem quia falsò supponitur dum dicitur: substantificum temperamentum esse substantiam: potius enim qualitas est, ut suo loco probavimus. Dico 2. quod quando dixit hic Author temperamentum hoc quod se habet ut dispositio posse migrare in naturam: non debet intelligi sumptâ mutatione in rigore physico, in eo sensu, quo dicimus in ignem lignum mutari: sed potius in hoc sensu: quia cum antea temperamentum qualitativum non corresponderet proportionem substantifico, quando usu rerum factum est, ut sit mutatio in radicali temperamento, iuxta exigentiam qualitativum dicitur mutari qualitativum in naturam, quia subiectum usu rerum acquirit similem naturam.

Sed hæc sententia inter omnes mihi videtur falsa. 1. quidem, quia omnis qualitas existens in subiecto præter naturam non potest durare magno temporis spatio citra corruptionem: quia subiectum ad naturam reducitur sed illud temperamentum qualitativum, quod se habebat ut dispositio etsi repugnans substantifico, erat qualitas præter naturam conveniens subiecto: ergo non potest habere permanentiam, neque fixationem antequam sit facta mutatio in radicali temperamento ita ut à partibus correspondentibus simili alimento illud qualitativum conservetur, parum ergo refert citra hanc causam, quòd factum sit unica alteratione, vel plurimis.

Probat secundò: potest quis assuescere ut docet experientia alimentis natura & subiecto frigidis, calidis tamen actu, in quo eventu est consuetudo, & nulla fieri potest mutatio in temperamento qualitativo disponente versus frigus, antequam prius fiat in substantifico: ergo consuetudo non semper consistit in qualitativo disponente. Probat hoc: quia potest quis assuescere lactucis coctis plurimo usu, quæ antequam mutantur in substantiam nostram non possunt frigidificare corpus, neque mutare temperamentum qualitativum versus frigus: quia quodlibet agens operatur per eam qualitatem, quam habet actu, etiamsi illi sit contra naturam.

Probat tertio: quia si consuetudo consistet in illo temperamento qualitativo se habente ut est dispositio: sequitur quod satisfaceret consuetudini adhibendo alimentum simile secundum qualitates: etiamsi esset contrarium secundum substantiam. Probo sequelam: quia ex hac opinione familiaritas intercedit inter alimentum, & partes secundum temperamentum in quo consistit consuetudo: consequens autem est falsum: quia si quis assuetus est vino, absurdum est dicere satisfaceri consuetudini eius, ex eo quòd adhiberemus aquam, eodem gradu calidam, & contra non satisfat consuetudini illius, qui sæpe bibebat aquam, etiamsi adhibeamus vinum, eodem gradu frigidum: evidenter ergo constat rationem consuetudinis non consistere tantum in illo temperamento qualitativo.

Quarto, quia falsum est in illis duobus propositis hominibus eandem esse adventitiam naturam, & diversas consuetudines: nam si con-

suetudo per se temperamentum qualitativum est adventitium; cum in illis etiam hominibus tale temperamentum sit simile: quia est eadem proportio inter qualitates; aperte sequitur esse eandem consuetudinem. Neque sufficit dicere in illo temperamento qualitativo diversas esse propensiones, & ad contraria: eo quod à contrariis causis factum est. Hoc inquam non sufficit dicere: quia eodem modo poterat dicere hic Author consuetudinem esse naturam adventitiam, habereque hanc diversas propensiones per respectum ad contrarias causas: nam sicuti temperamentum illud qualitativum, factum est idem à diversis causis ut substantificum.

Ultimò est argumentum contra hanc sententiam: quia si consuetudo est temperamentum ex qualitatibus disponente: sequitur quod nullus potest assuescere contrariis alimentis; eius contrarium non solum docet Galenus 2. aphor. Com. 50. sed docet experientia: constat enim hominem aliquando ex utroque alimento contrarium non lædi; cuius rei ratio in nullo alio præterquam in consuetudine consistit. Probat sequela; quia non possunt esse in eodem duo contraria temperamenta, simulque duæ contrariæ dispositiones: quin potius una alteram corrumpit.

Neque sufficit Respondere huic argumento, si quis dicat usu contrariorum alimentorum deduci corpus in medium temperamentum: ideoque ab utroque contrariò non lædi. Hoc inquam non sufficit: quia multo melius, & facilius deducitur corpus in medium temperamentum usu moderati alimenti, quàm usu contrariorum excedentium: tamen, ille, qui moderatum habet temperamentum ex moderato alimento comparatum, læditur ab utroque contrariò excedentibus ergo huius assuetudinis ad contraria non consistit in medio temperamento.

Neque sufficit ulterius dicere cum Vallesio loco citat. ideo hominem assuetum utrique contrario alimento non lædi propter dispathiam, & contemptum, dispathia quidem quia ex utroque alimento contrario firmitudinem quandam acquirit corpus: sicuti externa cutis, quæ sæpissime alteratur à calore & frigore densatur ab utraque qualitate, ita ut à nulla lædatur; neque aliqua ex illis inferat molestiam: propterea enim ab Aristot. 4. meteor. 4. dicitur fictile vas non dissolui à calore, neque à frigore, quia ab utraque qualitate concrevit; contemptus verò provenit ex eo: quia sicuti ventriculus, qui non assuevit assumere frigida, ab illis perhorrescit propter novitatem: si verò assuevit minimè: quin potius illa contemnit: ita ille homo de quo loquimur non læditur ab utroque contrario, quia illa contemnit cum ibi novitas assumendi non reperitur.

Hæc inquam solutio non solvit difficultatem: quia in ipsa quærebatur: quo pacto quis assuefiat duobus alimentis contrariis: si consuetudo dispositio est, cum non possit habere ille homo dispositiones contrarias si nullo: dispathia verò vel contemptus non tam ex novitate, aut contrario, sed potius ex consuetudine proveniunt. Oportet ergo declarare, quid comparet usu contrariorum alimentorum, quod haberet rationem consuetudinis ad contraria, & ita manet impugnata hæc sententia.

Alium dicendi modum posset quis ex cogitare, dicendo in facultate nutritiva consuetudinem nihil aliud esse quàm habitualementem quamdam qualitatem usu nutritionis comparatam, per quam hæc facultas posset facile, & promptè operari: quæ qualitas omnino esset diversa à quovis temperamento, sive esset ex qualitativis, sive ex substantijs. Potest autem id probari: quia si consuetudo neque est aliquod temperamentum innatum, neque adscititium nihil videtur superesse, quod dicamus, præter eam qualitatem, quam dicimus; neque aliquid videtur peculiare usu rerum produci posse, quod diversum omnino sit ab illis omnibus, quæ produci possint ex principijs generationis, & ita possemus facile satisfacere dubitationi propositæ, quæ ex duobus illis hominibus habebat ortum. Si dicamus habere quidem eos idem temperamentum, non tamen eandem consuetudinem: quia neque habent eandem habitualementem qualitatem distinctam à temperamento, sed potiùs omnino diversam.

Sed in hac sententia fingitur qualitas, quæ sit consuetudo, potiùs propter vim argumentorum quàm propter eam quod esset rationi consonum; & ita 1. argumentor contra ipsam: quia ut facultas nutritiva promptè, & facile operetur satis est familiaritas, & similitudo, secundum rationem temperamenti inter partes, & alimenta: frustra ergo ad facilem commutationem ponitur alia qualitas: antecedens constat: quia inter symbola facilius est transitus, & ita inter ipsa agens facillimè vincit passum, in nutritione verò nil aliud requiritur, quàm quod partes facillimè immutent alimentum, & ipsum vincant.

2. Virgentius argumentor: quia non est modus, quo illa qualitas possit in partibus produci: probatur: quia non producitur ex alimento, quod corrumpitur: nam alimentum ad nutritionem se habet in genere causæ materialis: oportet autem ponere ad quemlibet effectum præter naturam, causam efficientem: neque potest produci ab anima facta per nutritionem per modum sequelæ. Probatur quia hæc forma non continet virtute hanc qualitatem, neque eminenter: ergo non sequitur ex productione ipsius. Probatur antecedens: quia forma per nutritionem comparata, & præexistens sunt ejusdem rationis: ergo si ex hac partiali forma sequi potest talis qualitas: poterat sequi ex præexistenti: & ita ante usum rerum esset qualitas: quæ dicitur consuetudo.

Si verò dicat quis, talem qualitatem produci ex sæpiùs repetita nutritione à forma partiali, propter dispositionem subjecti. Contra est: quia cum hæc dispositio consistat in temperamento, redit eadem difficultas: cum posset quis ex principijs generationis habere simile temperamentum, sequitur, quod habeat similem qualitatem: nam forma tribuit subjecto quidquid continet eminenter, si dispositio sit in passio.

3. Et virgentius argumentor: quia si potest reperiri alia qualitas præter temperamentum, quæ sit consuetudo in facultate nutritiva: vel producitur unico actu nutritionis, vel pluribus; non unico ut constat ex supradictis, neque pluribus; quia tunc assuescit ex pluribus actibus subjectum, quando facultas per præcedentes actus disponebatur ad consuetudinem: hoc autem in facultate nutritiva reperiri non potest. Probatur: quia illud quod comparatur per prio-

rem nutritionem nihil acquirit de novo ex ulterioribus repetitis: siquidem terminus nutritionis secundæ, in alio subjecto est partiali, distincto à termino prioris nutritionis, & isti termini comparant diversam extensionem ratione diversæ partis quantitatis: ergo pars per priorem nutritionem acquisitam non assuescit ex ulterioribus, ita ut possit comparate qualitatem distinctam à temperamento.

4. Quia non solvitur proposita difficultas, quæ quærebatur: quo pacto possit idem consuetudinem comparare ad contraria alimenta; nam in hoc eventu, vel producitur una qualitas ultra temperamentum ad contraria, & hoc videtur impossibile: hanc qualitatem unam numero per contrarias consuetudines produci: probatum enim supra est ex Arist. consuetudinem unam ex contraria consuetudine corrumpi, neque producuntur duæ qualitates: quia non esset major ratio quare ex uno alimento ex contrarijs duobus magis reciperetur noxa, quam voluptas, aut esset facilitas commutationis, potiùs, quam difficultas; nam si ratione qualitatis productæ ex usu unius alimenti posset fieri facilis immutatio, cum esset producta per contrariam consuetudinem alia qualitas, quæ inclinet ad contrarium, repugnaret hæc facili commutationi illius alimenti.

Et confirmatur hoc, quia in facultate naturali commutativa non solum acquiritur consuetudo circa qualitatem alimenti sed etiam circa quantitatem, & in partibus nostris acquiritur etiam consuetudo ad externas causas alterantes, & producentes primas qualitates, ut dicemus infra, in quibus comparari qualitatem superiorem, & alterius ordinis, quam sit temperamentum, est fictitium: idem ergo dicendum videtur de consuetudine circa commutationem alimenti.

Ex omnibus autem his, quæ dicta sunt mihi videtur, rationi consentanea Galeni opinio: quæ dixit consuetudinem in hac materia esse naturam adscititiam: quod præter ea, quæ in confirmationem huius sententiæ dixi: potest ostendi inductione, nam cum sufficienter probatum sit, non esse qualitatem ultra temperamentum; neque esse qualitatem dispositivam repugnantem temperamento radicali, nihil videtur in natura superesse, præter ipsum adventitium temperamentum: quod à Galeno dicitur adventitia natura.

Si verò quis objiciat: tunc comparatur in facultate aliqua consuetudo; quando, id quod usu rerum producitur est distinctum à facultate necessariò operante; illud verò tantum requiritur ad facilem actionem: quod iuxta hanc sententiam non videtur reperiri in facultate nutritiva.

Resp. Suprà iam ostensum esse illud temperamentum, quod acquiritur usu alimenti, non tam esse necessarium ad simpliciter operandum, cum operationes eiusdem rationis produceret vivens citra illud; quod verò per consuetudinem comparatur aliquid alterius ordinis à potentia, quæ assuescit; ita ut quantumvis cresceret perfectio potentiæ: non posset attingere perfectionem eius, quod assuetudine comparatum est; tantum dicitur esse verum de illis facultatibus, quæ propriè assuescunt; non verò de facultate nutritiva, quàm ostendimus suprà propriè & in rigore consuetudinem non comparare.

Supereft modo folvamus argumenta propofita contraria. Quantum ad primum, quo quærebatur, fi confuetudo eft adventitia natura malè reprehendebat Galenus antiquos Medicos, qui dicebant nullam eſſe habendam rationem confuetudinis; ſed totum tribuendum eſſe naturæ. Reſpondetur rationem Galeni tantum oſtendere confuetudinem diverſam eſſe ab innato temperamento, quod negabant antiqui. Cum autem objiciebatur hoc temperamentum quod eſt ex confuetudine, poteſt eſſe in alio ex principijs generationis cum contineatur intra novem temperamenta à Galeno poſita: ſequitur quòd adhuc confuetudo non differt ab innato temperamento. Reſp. & Dico duo, primum eſt, quod ſi totum, quod in uno comparatur ex alimento propter confuetudinem reperitur in alio ex principijs generationis, eodem modo ſe haberent circa alimenti naturam, quantum agitur in operatione, quia in utroque eſſet eadem ſimilitudo, & familiaritas partis ad alimentum, & ex conſequenti eadem radix facilis actionis; ſicuti nullus negare poteſt, quod ſi quis haberet in inſtanti generationis ſcientiam, quam alter habet plurimo uſu comparatam, quod iſti duo eodem modo ſe haberent ad operandum; cum hoc tamen ſtaret ut indicatio, quæ ſumitur à confuetudine, diverſa eſſet, ab illa, quæ ſumitur ab innato temperamento, quia ad diverſitatem hanc ſatis eſſet, quod quilibet poſſet compare ex alimentis diverſam naturam, ac habet ex principijs generationis, quòd autem, quod in uno uſu rerum comparatum eſt, in alio poſſet eſſe ex principijs generationis impertinens eſt ad hanc diſtinctionem; ſicuti quantumvis ætatis ratio in temperamento conſiſtat uno ex novem ſupradictis, tamen indicatio, quæ ſumitur ex ætate diverſa eſt ab illa, quæ habet ortum ex principijs generationis ad quam diverſitatem ſatis eſſet, quodlibet vivens in particulari ſub diverſo temperamento eſſe in ætate, quam haberet ex principijs generationis, licet fingeremus temperamentum, quod uni ex ætate eſt, alteri poſſet venire ex principijs generationis.

Dico ſecundo: quod per nutritionem aliquid de novo acquiritur, quod poteſt eſſe ex principijs generationis, eſt tamen illud aliquid accidens ſimile illi, quod erat in alimento, ſive appelletur mixtionis modus, ſive alia quædam qualitas; ratione cuius, partes familiaritatem habent cum alimento poſt perfectam nutritionem: neque hoc eſt magis mirum, quam dicere cum Hipp. 6. de morb. vulg. capite 5. com. 35. lac ex elaterio, aut ſcammonæa habere virtutem expurgandi humorem ſimilem illi, qui erat in medicamentis etiam corruptis, quod autem poſt nutritionem ex alimento maneat qualitas diſtincta à primis ſymbola, docet illud quod adducitur à Gal. lib. de confuetud. cap. 2. quo loco dicit arborem perſicam venenofam eſſe, tranſlatam vero in Ægyptum ſalutarem fructum producere, at verò ex mutatione huius alimenti certum debet eſſe non ſolum primas qualitates comparari in arbore, ſed alias, quas diximus. Quod etiam confirmat illa ſententia à Galeno adducta lib. 1. de ſanit. tuend. cap. 6. ubi dicit familiaritatem, & ſimilitudinem habere alimentum cum viventi in ſubſtantia modo, ut commutetur: iſti autem mixtionis modi plu-

res ſunt quam ſint temperamenta, etiamſi tantum novem connumerentur à Gal. quia ſi ſecundum eius ſententiam tantum novem modis poſſunt proportionem variari, modi autem mixtionis ut conſtat ex diverſitate ſpecifica mixtorum plurimis aliis modis: in hoc ergo conſiſtit ſimilitudo, quæ per confuetudinem ex frequenti inſtatione acquiritur.

Sed Dicit aliquis videtur, quod talis qualitas ſimilis alimento non poſſit per nutritionem produci: Probatur quia cum alimentum totaliter corrumpatur, ſola manente eius materia non poteſt produci in viventi, niſi ex productione formæ, ſicuti alia accidentia, quæ continentur virtute: at verò tale accidens de quo eſt ſermo non poteſt contineri in forma viventis: ergo neque poteſt produci alimento corrupto. Probatur minor: quia tunc aliquid accidens continetur in forma, quando ſimile determinabat materiam ad aliquam formam neceſſariò, at verò accidens, quod præceſſit in alimento, non poterat determinare materiam ſic, quia non erat neceſſarium ad productionem formæ: ſiquidem ſine illo poteſt produci.

Reſp. negando illud accidens non contineri in forma: & ex conſequenti etiam negandum eſt, non determinare materiam ad formam; non quidem neceſſitate formæ; quia ut probat ratio, citra illud accidens poteſt forma produci; ſed potiùs neceſſitate materiæ; ſicuti in naturalibus plurima ſunt accidentia, quæ ſequuntur formam neceſſitate materiæ, ſicuti eſt cicatrix in corpore mortuo.

Reſp. ad 2. quo quærebatur, quod ſi homo calidus in primo gradu uſu calidorum alimentorum fiat calidus in ſecundo & qui calidus eſt in 3. uſu frigidorum fiat etiam in 2. calidus, habent iſti diverſam confuetudinem, & eandem adventitiam naturam. Reſp. illos duos homines habere idem temperamentum quia habent eandem proportionem qualitatum, tamen neque habent eandem confuetudinem, neque eandem adventitiam naturam: Nam adventitia natura ut ſic præter proportionem quam habet temperamentum, dicit reſpectum quemdam ad efficientem cauſam: quia verò in illis omnibus diverſum eſt conſtituens illud temperamentum in ordine ad diverſas cauſas; hinc fit ut illa natura ſub ratione adventitiæ ſit diverſa, ut conſtat ex illo Gal. teſtimonio 11. meth. cap. 1. quo loco dicit adventitia natura ad efficientes cauſas reduci debet, ut inde indicationem ſumamus: ſimiliter confuetudo, ſupra temperamentum, dicit reſpectum quemdam extrinſecum ad uſum rerum, & quia in illis duobus hominibus contrarius uſus rerum eſt; hinc fit ut licet habeant idem temperamentum ſit diverſa confuetudo.

Sed Dicit quis; licet verum ſit illos duos homines propter rationem dictam habere diverſas confuetudines, tamen ſi habent eandem naturam, & idem temperamentum, habent eandem familiaritatem cum alimentis, & ita idem alimentum poteſt utriſque convenire.

Reſpondetur quidquid de alimento, & membris, quantum ad primas qualitates; quia infra de hoc ſumus diſputaturi, dicendum eſt illos duos homines ex contrariis alimentis non habere eandem ſimilitudinem, & familiaritatem, quæ eſt fundamentum facilis commutationis: nam dictum eſt hoc non tam conſiſtere in ſimilitudine

litudine primarum qualitatum, quàm mixtionis modi: quia ergo illi duo homines nutriuntur ex alimentis contrariis, cum probatum sit permanere qualitatem in membris, alimento contrarias qualitates debent habere: & ex consequenti familiaritatem ad contraria. Superest verò ut in calce huius capituli explicemus, quod tertio loco proponebatur, videlicet. Vtrum possit aliquis contrariis alimentis assuescere simul, cum non possit habere simul contraria temperamenta, aut contrarias naturas.

Respondetur certum esse ex Galeno 2. aphor. com. 50. posse consuetudinem ex contrariis comparari, & ad contraria; non quidem quia in eodem sint contraria temperamenta simul, sed quia potest animal comparate familiaritatem ad contraria alimenta ex eo quòd acquirit diversas qualitates similes illis quæ erant in alimento: in quibus non est necessarium reperiri remissionem.

Sed Dicit quis, qualitas quæ acquiritur per consuetudinem debet habere permanentiam; sed quæ ex uno alimento per nutritionem comparatur, desinit esse adveniente nutritione ex contrario alimento: non ergo potest quis simul habere consuetudinem ad contraria alimenta; si in illis prædictis qualitatibus consuetudo consistat, quam diximus contineri sub adventitia natura.

Respondetur quod non pertinet ad rationem consuetudinis ut illud, quod usu rerum acquiritur omninò sit incorruptibile; constat enim ex Arist. loco supra adducto consuetudinem ex actibus ad contrariam consuetudinem corrumpi, etiam in his, quæ verè assuescere possunt: sed satis est, ut difficilè corrumpatur; & ita qualitas illa, quæ ex alimento per nutritionem acquiritur, cum dependeat, & conservetur à partiali forma producta, difficilem suspicit corruptionem. Et hæc dicta sunt de consuetudine circa alimentum naturam.

CAPVT III.

Quomodo acquiratur Consuetudo in facultate nutritiva.

FACULTATEM nutritivam aliquo modo consuetudinem comparare, quatenus per actus circa alimenta, dispositionem quandam acquirit vivens, quàm meliùs se habet, coquit, & commutat similia alimenta, quàm contraria, ex professo Gal. cap. 2. de Consuetudine probat, & experientia hæc demonstrat, cum aliqui aliqua alimenta meliùs ferant, quibus sint assueti, alij alia; ut etiam docuerat Hipp. 2. de vict. ratione 21. & 2. aphor. & Gal. in comm. & 3. de simpl. med. facult. cap. 18. adducens historiam Vetulæ cuiusdam venenis ita assuetæ, ut ipsis non læderetur: quod refert etiam Avicen. Fen. 6. 4. tract. 1. cap. 2. de altera, quæ ita erat assuetæ ipsis, ut naturam veneficam comparasset; sicut & Mitridates naturam antidoti, ut refert Galen. lib. de Antidotis in principio, usu suæ compositionis iuxta Venerum factæ Mithridatæ dictæ.

Difficultas est, quomodo talis consuetudo comparetur. Explicuit hîc Gal. 2. cap. de Consue-

tudine dicens ratione alimentorum resultare partes aliquas, seu substantiam per nutritionem acquisitam talis naturæ esse, ut familiaritatem habeat secundum illas partes vivens cum similibus alimentis; ac per consequens minùs alteratur vivens ab ipsis, quàm ab aliis, meliùs se habet eis, quæ faciliùs commutantur, quod est comparasse consuetudinem: patet quia consuetudo est, quid ex actibus acquisitum ad faciliùs operari conducens, sed talis est qualitas, seu dispositio, quæ usu alimentorum resultat in viventi, respectu facultatis nutritivæ: ergo usu alimentorum, quatenus generatur substantia similis alimento ad faciliùs operari conducens acquiritur consuetudo: talem qualitatem comparasse vivens alimentorum usu in partibus ex ipsis factis; ut per eam familiaritatem habeat, respectu similibus alimentorum, ostendit Galen. exemplo massæ pituitosæ, vel melancholicæ generatæ ratione huius; vel illius alimenti: & exemplo partis factæ diversæ iuxta diversam sanguinis ideam; & respectu plantarum, quæ ratione diversorum alimentorum, diversæ regionis, diversam habent naturam: quid ergo mirum quod ratione diversi alimenti resultat substantia cum qualitatibus aliquibus, quibus familiarior existat pro simili alimento commutando, quàm pro alio? cuius ratio manifesta est: quia cum alimentum valet vivens alterare: quòd similibus existit minùs valebit agere in subiectum, & sic cum per perennes alterationes alimentorum usu vivens alteratum sit simili alimento, minùs potest ab eo pati, & sic minùs molesta sunt consueta, & cum ex alia parte substantia similis alimento resultat ex longo eius usu, plures partes sunt, quæ pro simili alimento commutando, & appetendo existant, & quæ minùs repariantur.

Ex quo constabit quanto fundamentò altera natura consuetudo dicatur, cum usu rerum comparentur partes, quæ tales qualitates ex propria natura petant consuetudinem constituentes, quatenus usu rerum comparantur, & ad faciliùs operari facultatis nutritivæ conducunt.

Quod etiam ostendit consuetudinem non solum reperiri, quoad diversitatem alimentorum: sed etiam quoad quantitatem exhibendi ipsum, ut expressè Hipp. 2. de vict. ratione à textu 22. usque ad 34. docet, & 1. aph. 17. per hæc verba. *Ex quibus semel, aut bis, quibus plura, vel pauciora particulatim oporteat offerre considerandum; condonandum autem aliquid ætati, tempori, & consuetudini:* Ergo de sententia Hipp. consuetudo reperitur circa quantitatem, & vices exhibendi alimenta; cuius ratio est manifesta: nam qui assueti sunt plurimo uti alimento, vel pluries, si immutentur ab his læduntur, & malè se habent, benè autem si non immutentur: ut 2. acutor. citat. Hipp. docuit; sed hoc non potest esse, nisi quia per talem alimentorum usum, aliquid sit productum, quod facta mutatione deficiat: ergo illud, quod producitur, veram consuetudinem constituit, cum ad faciliè operari conducat, circa tantam quantitatem, seu talem alimenti repetitionem.

Quòd constet ex dictis, quomodo acquiratur talis consuetudo, est manifestum nam cum usu alimentorum acquirantur partes diversæ, cum qualitatibus quibusdam ad similia alimenta conducentibus: etiam usu alimentorum acquirun-

tur tot partes, quæ tanto alimento egent ad sui restorationem, vel conservationem, & quæ pro simili quantitate faciunt, & ipsa bene se habent, & contra verò sine illa vel cum maiori: quia primo modo resolvuntur, & secundo gravantur, & non sunt partes, quæ pro ipso commutando valeant agere. Quod etiam quoad vices assumendi alimenta debet intelligi; nam cibo pluries assumpto gravatur natura. Si verò à tempore consueto deficiat molestia sentitur ex fame, & resolutione: ad quod accedit cavitationem recipientem alimenta maiorem fieri usu multi alimenti distendentis, & sic rectè applicari pro simili quantitate ut conversio fiat, secus verò pro maiori, vel minori, quia in illa alteratur vivens maiori distensione, in hac alimentum non applicatur partibus cum cavitas sit maior, & consequenter alimentum fluctuabit & accidentia sequentur, quæ Galenus 3. de caus. symptom. 2. adducit.

Nec contra facit, quantitatem, & vices assumendi alimenta, non esse activas, ut producant aliquid, quod rationem consuetudinis habeat; Nam sufficit, quod ex tali usu aliquis resultet effectus, qui ad faciùs, & commodiùs operari conducatur, talis est, plures, vel pauciores partes produci, quæ pro simili quantitate deserviant, quod idem poterat intelligi, etsi robor majus resultare dicamus alimentorum usu, quia etiam Galenus 2. aph. 49. roborari facultatem motivam exercitio docuit, & ipso faciliùs tolerare labores: ergo idem poterat intelligi quoad partem alimenti, nam non potest negari per multitudinem majorem partium acquisitarum, robustius ad operari resultare vivens; quæ ratione ventriculi partem inferiorem aptiorem ad coquendos cibos iudicavit Gal. quia plures partes carnosas habet: ergo per numerum majorem partium ex maiori quantitate alimenti acquisitum, constituitur consuetudo ad faciùs operandum circa similem quantitatem, quæ in robore acquisito consistit.

Similiter non facit contra hoc dicere consuetudinem rationem qualitatis habere; at per quantitatem alimenti non potest resultare qualitas aliquas ergo nec consuetudo: Nam non est de ratione consuetudinis esse qualitatem, sed esse aliquid ad faciùs operari facultatis conducens, vel saltem ut minori noxa operetur: solum de veris habitibus verificatur ad qualitatem pertinere: præterquam quod usu tantæ quantitatis alimenti, non solum resultant tot partes, verum & talis dispositio in toto & numero partium, & talis figura in ipsis, ut pro tanto alimento sufficiant, & diversa quantitate malè se habeant.

Circa principale assumptum quæstionis duo argumenta proponit Recentior, & solvit, quæ sunt ex dictis soluta. 1. Quia facultates naturales operantur in quantum possunt; ergo non possunt comparare consuetudinem, siquidem non possunt faciùs, vel difficiliùs operari, quam in quantum possunt. 2. Quia consuetudo debet esse aliquid productum in ipso viventi per actus illius facultatis, sed facultas illa valet operari in alimenta; ergo in ipsis suum terminum producere valebit, ac per consequens non poterit vivens consuetudinem comparare, cum nihil recipiat in se per actus facultatis nutritivæ. Primum argumentum manet solutum, quia ista fa-

cultates; etsi in quantum possunt, operentur, habent operari faciùs, & commodiùs, pro ut his, vel alijs dispositionibus constant; & cum tales possint per actus comparari poterit etiam in ipsis resultare consuetudo. Ad secundum constat, quod etsi immediatus terminus recipiatur in ipso alimento, tandem in ipso viventi resultat ex actibus nutritivæ terminus aliquis, vel dispositio, quæ ad faciùs operandum circa similia; vel tanta alimenta conducatur; ac per consequens comparatur consuetudo.

Principale dubium, quod ut proprium adducit contra doctrinam positam, est, quia non cognoscit, quomodo forma comparata per nutritionem conservet qualitates illas, quæ ratione materiæ in substantia productæ resultant tantquam naturales; ita ut ad ipsas reducatur, si alteretur: Ratio verò difficultatis est, etsi ab hoc Authore non adducatur; quia licet ratione materiæ possit aliquid corpus, vel aliqua substantia habere diversas qualitates, quàm petit; ipsas tamen conservare non habet, immo ab ipsis reducitur in propriam, & debitam temperiem; quod constat exemplo ignis, qui etsi minori calore, quàm exposcit producatur, & aliquid frigoris habeat ratione materiæ ex quâ fuit factus, ab intrinseco reducitur: cur ergo non ita fit in substantia per consuetudinem, vel usu alimentorum acquisita; ita ut quamvis substantia genita naturam materiæ sapiat, ad propriam temperiem, quam ex se petit forma illa reducatur; quod præcipuè habet locum in nostra opinione, qua dicimus formam viventis non producere temperamenta per ætates, sed semper, & omni tempore unam determinatam temperiem petere, & ipsam producere.

Huic difficili dubio conatur satisfacere Recentior dicens, quod sicut animæ diversæ differunt perfectione, etsi eiusdem speciei sunt, & ratione talis inæqualitatis habent petere diversa temperamenta in suis substantiis, & per ipsa determinatur materia, ut hæc, vel altera forma inducatur, quæ tale temperamentum petat, & virtualiter contineat, sic partes eiusdem formæ integrantes inæquales in perfectione debent esse; & per consequens pro diversa parte subiecti habebunt petere diversam temperiem, & induci cum ea, quam valent conservare, & continere. Quod intelligi vult non de formis divisilibus, sed adhuc de anima rationali, quatenus saltem diversum modum informandi debet habere secundum diversas partes, & ratione eius habebit diversam temperiem petere, & conservare, in diversis partibus, quia tali modo informandi, tale temperamentum debetur, ut dictum est de partibus integrantibus eiusdem formæ.

Cum verò ex alia parte constet non solum conservari qualitates primas quæ ratione alimenti fuerunt comparatæ, verum etiam aliàs à tota substantia tales, quales consequutæ fuerunt usu venenorum in vetula, & usu antidoti in Rege; inquit hic Auther. non contineri has qualitates veneficas, & alexiterias in forma, sed solum primas, ex quibus alia procedunt: quia non est dicendum omnes qualitates cuiuslibet formæ, in una contineri forma.

Hoc dubium ut proprium adducit: tamen contra solutionem nunc positam insurgo primò, quia supponit animas, & partes eiusdem formæ

mæ, & eiusdem modi unionis informantis perfectione differre: quod non omnes recipiunt. Præterea; quia quidquid sit de hoc non est ad quid, etiam si perfectione differant, diversam petant temperiem, cum possit ex alio capite pendere perfectio; patet: nam si quis, ex eodem alimento tres partes adquirat, etiam si de ratione partis integrantis perfectione differant, eandem temperiem habebunt ratione alimentis: ergo stat diversam temperiem conservare partes propter inæqualem perfectionem, quam habent, quod non tollit duos homines eiusdem temperiei esse, etsi perfectione differant.

Tertiò nã conservare diversam temperiẽ in osse, quàm in carne, est propter heterogeneitatem, & organizationem, quam forma petit: non ergo sequitur ex hoc, quod diversam temperiem conservet in partibus eiusdem rationis, quales sunt duæ partes carnis, etsi ex diverso fiant alimento. Tandem quia non alio modo conservatur modus substantiæ & qualitas à tota substantia, quæ ratione alimenti comparatur, quàm cæteræ qualitates primæ: ergo sicut fatetur primas qualitates contineri in forma illa virtute; debet fateri contineri etiam omnes alias, & modos substantiæ.

Vera tamen solutio est: formam quamlibet mixti habere conservare in parte in qua est, dispositionem & temperiem, quâ fuit producta; quia cū solum petat in partibus temperiem omnibus elementis correspondentem, quomodocumque disponatur materia; dummodo, resultet, etsi non in toto similis efficienti, forma inducitur, quia tali dispositione erit in ipsa parte alicui elemento correspondentia, & sic illam temperiem valet conservare, non alteram, quia illa fuit producta. Petit enim mixtum ex propria natura dictam heterogeneitatem, quam cum non habeat elementum, unam dispositionem determinatam in toto perit, & conservat; & consequenter hinc est, quod mixtum non reducatur à temperie, quæ ratione alimenti acquiritur in parte: quia sufficienter resultat per illam dispositionem, & si non in totum similis efficienti, & salvatur correspondentia elementis, quæ de ratione mixti debetur. Hanc solutionem videbit quisque manifestam magis, in nostro tomo primo.

Tandem advertendum est consuetudinem non solum comparari præcisè per speciales qualitates primas resultantes in substantia producta, ratione alimenti; sed etiam per speciales secundas ratione alimenti quoque comparatas: nam dubitari non potest ex solidiori alimento solidiorem generari substantiam ad similem commutandam aptiorem; & contra: ut inde constet, quod quando duo deveniunt ad idem temperamentum primarum qualitatum, ad calidum videlicet ut unum, alter usu frigidorum, alter calidorum usu, etsi eandem temperiem obtineant in primis qualitatibus non habebunt eandem consuetudinem: quia saltem quoad secundas qualitates non possunt non habere diversitatem, per quam diversa constituitur consuetudo: cum calida, quibus alter assuetus est, non possint non conducere ad diversum modum substantiæ, & ad diversas qualitates secundas, quàm frigida quibus alter fuit assuetus, etsi ad eundem gradum caloris corpora trahant.

Sed Dices ex tota hac doctrina deducitur non comparari consuetudinem usu potus, sed tantum usu alimentorum: patet quia ipsa acquiritur; quatenus usu ipsorum pars cum tali temperie resul-

tat ratione alimenti: sed potus non commutatur: ergo ratione eius non poterit pars comparari consuetudinem; cuius contrarium docet Galenus cum ad potum aquæ exhibendum consuetudinẽ assumendi potum esse respiciendam doceat 9. method. 5. pro quo etiam facit, quod cap. 3. de consuetudine scripsit, agit enim in illo cap. de Consuetudine ex alteratione extrinseca, & inquit consuetudinem comparari, ab aëre, frigore, vel calore alterante: ergo etiam à potu poterit comparari consuetudo; quod supponens Arist. 1. sect. problemat. quæst. 14. quærit, cur deterius sit consuetudinem mutare in potu quam in cibo: & cum ex alia parte non adquiratur vi potus substantia aliqua, aliquibus qualitatibus disposita, videtur consuetudinem non comparari modo à nobis dicto.

Cuius argumenti communis solutio est, quòd licet ex potu non producatur substantia aliqua, talis resultat ex eius usu alteratio in corpore, ut postea corpus ad substantiam similem producendam conducatur: ac per consequens, resultat consuetudinẽ comparare per generationem substantiæ habentis qualitates similes potui vi activitatis viventis alterati à potu; & talibus qualitatibus disponentibus alimentum; ut etiam de alimento dicitur, consuetudinem causare, non solum quia ex ipso substantia generatur simili qualitate affecta; sed etiam quia alteret vivens tali qualitate, ut pro substantia simili generanda conducatur: quod deducitur ex Gal. 2. cap. 2. de Consuetudine dicente. *Quia tamen non solum alteratur id, quod nutrit, ab eo, quod nutritur, sed & ipsum alterat; necesse est hanc alterationem tractu temporis notabilem fieri, ita ut ad æqualem vim cum familiaritate veniat.* Docet ergo consuetudinem comparari ratione alterationis, quàm facit alimentum in viventi, ac per consequens idem est de potu intelligendum, cum utriusque eadem sit ratio, & vi alterationis ab utroque factæ necessario disponatur alimentum pro simili substantia generanda, ut inde resultet similitudo cum tali alimento, & potu.

Hæc tamen solutio non videtur sufficiens, quia Galenus adducens Consuetudinem ab alteratione extrinseca, non vidit effectum resultantem per productionem alicuius substantiæ talis vi similis alterationis; sed vidit effectus quosdam causatos ab aëre alterante, & ipsos habere rationem consuetudinis dixit, quatenus usu rerum alterantium comparantur, & ut melius vivens ferat similes alterationes, conducunt: ergo etiam vi alterationis præcisè à potu, poterit comparari consuetudo, quatenus vi eius resultat terminus aliquis ad facilius tolerandam similem alterationem, conducens: constat antecedens cap. 3. de Consuetudine, ubi sic ait: *Etenim primum cutis constipatur, & densatur à refrigerantibus.* Et infra, ut constet talem effectum esse consuetudinem, sic ait, *rariam enim, & molle corpus facile patitur, densum autem, & durum tolerat, spernitque omnia.* Docuerat antea idem esse ex consuetudine, vel natura hoc fieri: ergo non habito respectu ab substantiam generandam, poterit comparari Consuetudo ex potu.

Secundò, quia si per productionem similis substantiæ vi alterationis necessario esset producenda consuetudo à potu, sequeretur: quod per potum compararetur consuetudo circa alimentam aliquam inusitata: patet, nam consuetudo

circa alimenta constituitur per qualitatem quamdam, quam habet substantia producta, mediâ quâ vivens familiare resultat cum similibus alimentis, sed consuetudo potus comparatur per qualitatem quamdam quam habet substantia producta: ergo per illam acquiritur consuetudo potus, & alimenti quod dissonum apparet.

3. Quia non esset deterius mutare consuetudinem in potu, quam in cibo. Prob. quia consuetudo potus non aliter mutatur quam generata substantia simili alterationi inducta à potu; sed etiam consuetudo cibi non aliter mutatur: ergo æqualiter prava erit utriusque mutatio, nam licet veram sit alimentum non ita alterari ac potum, quia alimentum per transmutationes quas recepit corrigitur, non verò potus, cum non transmutetur in chilum: si mutare consuetudinem solum sit per generationem substantiæ, idem erit dicendum de utraque mutatione.

Tandem: quia sequeretur eandem consuetudinem habere, qui uteretur aqua frigida, quam qui frigido vino uteretur, cum uterque alteretur per frigiditatem utriusque & uterque frigiditate alimentum disponat pro simili substantia producenda; sed constat experientia diversam consuetudinem hos habere in aliquo, eandem verò in ordine actuali esse potus: ergo non constituitur consuetudo eius ratione substantiæ productæ.

Dicendum igitur est consuetudinem potus, & consuetudinem alimenti differre valde, nam hæc in substantia simili ratione usus alimentorum consistit; quia per illam resultat simile & familiare pro simili alimento vivens. Consuetudo verò potus consistit in termino secundario producto præcisè vi alterationis potus, ut dixit Gal. de alteratione extrinseca: quia per eam resultat vivens aptius, ut facilius, & commodius ferat similis potus alterationes; & ratio est quia cum potus habeat humectare, & refrigerare ex se, non verò alterare, vi eius solus terminus resultat, qui vi talis alterationis producit, & solus ipse poterit constituere consuetudinem: & merito cum habeat omnia, quæ in altera consuetudine sunt, ut constat: alimentum verò cum transmutari & nutrire habeat ex se, terminus, qui vi huius transmutationis resultat in rigore erit alimenti consuetudo, vi suorum actuum acquisita, nec Gal. contrarium voluit cap. 2. de Consuetud. ut legenti patebit.

Quo constat potum vini frigidi, & aquæ frigida eandem consuetudinem inducere in esse potus, diversam verò in esse alimenti: quia per qualitates actuales utriusque eodem modo alteratur vivens, & sic eadem est consuetudo, id est; idem terminus resultat, vel idem effectus, usu potus ratione cuius ad facilius, & commodius ferendam similem alterationem disponitur vivens; at verò quatenus ex vino resultat generari substantiam aliquam, ex qualitatibus proprijs vini participantem, nullam verò ex aqua, cum non sit commutabilis, hinc est, quod ex vino altera resultat consuetudo, ut alimentum, quæ non resultat ex aqua; ac per consequens consuetudo potus non acquiritur, quatenus substantia aliqua producitur vi alterationis à potu factæ, sed quatenus terminus quidam ex alteratione potus in viventi producitur modo dicto.

Ex quo etiam constat solutio ad 2. argumentum primæ quæstionis de duabus consuetudini-

bus in unico repertis subiecto, id est de homine duobus contrarijs afflueto, quod intelligi debet secundum diversas partes quatenus ex uno contrario resultavit substantia similis ei, & ex altero altera pars similis alteri, si hoc intelligatur de duobus alimentis, sive de potu, & alimento, sive de aliquo alterante secundum qualitates actuales unas partes, & secundum virtuales alteras, vel ad alteram producendam conducente, ut diximus de vino frigido.

Hinc constat cur deterius sit mutare consuetudinem in potu, quam in cibo: quia cum consuetudo potus solum consistat in termino producto per alterationem, sine transmutatione, & potus non transmutetur, valet alterare contra consuetudinem plus quam cibus, qui per transmutationes, quas recipit, non ita alterare valet contra consuetudinem præexistentem, siquidem saltem ratione formæ aliqua debent induci dispositiones similes efficienti, per quas remittuntur aliæ, quibus alimentum alterabat.

Sed restat adhuc si consuetudo potus non consistit in substantia aliqua producta vi alterationis à potu inductæ, sed in termino saltem secundario resultante ex alteratione ipsius, cum ille terminus, vel illa qualitas, sicut & terminus primarius alterationis sit violentus viventi, quomodo non reducitur vivens ab intrinseco in qualitatem propriam, quæ erit ipsi termino opposita, ac per consequens talis consuetudo sine altera consuetudine mutaretur?

Resp. rectè argumentum probare reductionem debere fieri cessante usu potus alterantis, non tamen immediatè, sed transacto longo tempore: quia secundæ qualitates non ita leviter introducuntur, nec auferuntur: & sic non nisi longo usu potus talis acquiritur eius consuetudo: ut patet in cute, quæ prout exponitur alterationi aeris per longum tempus, ut docuit Gal. 3. cap. de Consuetudine, taliter alteratur, ut secunda quædam qualitas resultet in ea, mediâ quâ, non ita lædatur à causis extrinsecis, quod non reperitur in cute tali alterationi non exposita, quæ si postea à tali continua alteratione læderetur, & nullum aliud esset agens alterans, in propriam, & antiquam naturam reduceretur: attamen cum non possit non esse agens, hoc vel ille modo alterans, hæc vel illa resultat consuetudo. Sic de potu, cum uno, vel altero debeat uti vivens, una vel altera debet resultare consuetudo, si tamen nullus esset potus post acquisitionem alicuius consuetudinis, vel si talis esset, quod pro natura foret, in propriam naturam reduceretur vivens, non immediatè, sed post aliquod magnum tempus.

CAPUT IV.

An in facultate Naturali locum habeat Consuetudo circa quantitates alimenti, & numerum,

ET ratio difficultatis est: quia neque quantitas, aut numerus habent virtutem agendi, atque ita cum nihil producant in potentia, aut in parte eius, eodem modo videtur se habere facultas semper ex quantitate, aut numero alimenti, & ex consequenti circa talia non habet locum consuetudo.

Sed his non obstantibus negari non debet id quod experientia constat: nam in quantitate alimenti ventriculum assuescere ostendit Hipp. 2. acut. com. 2. 2. circa numerum verò assumendi idēmet ostendit 1. apher. com. 17. sed ratio difficultatis investiganda est. Quidam enim dixerunt, quod licet quantitas activa non sit, est tamen necessaria ad actiones: dictum enim à Gal. est. 3. de simpl. med. facult. c. 23. scintillam ignis non posse comburere defectu quantitatis, quando ergo ventriculus sæpe assumpsit tantam alimenti quantitatem, ratione ipsius assuescit tantæ alterationi: nam ratione majoris quantitatis major est alteratio, ita ut minorem, aut majorem alterationem ægre ferat, & ex consequenti; majorem, aut minorem quantitatem alimenti verè ex quantitate potest assuescere.

Sed hic dicendi modus mihi videtur insufficiens: nam experientiã constat ventriculum non solum bene se habere ex illa certa quantitate alimentorum eiusdem naturæ cum illis, quæ crebrò assumpta sunt, sed etiã meliùs se habere ex simili quantitate alterius alimenti, & contrarij: malè verò ex minori quantitate: at verò si ratio illius posita esset in tanta alteratione producta apertè sequeretur ventriculum pessimè se habere ex tanta quantitate alterius alimenti; siquidem majorem suscipit alterationem illa cui assuevit, quæ est illi contraria.

Secundò urgentius argumentor: quia si ratio consuetudinis circa quantitatem alimenti consistit in alteratione usque ad certum gradum, sequitur, quod satisfaceret huic consuetudini, si quis assumeret dimidiam quantitatem alimenti, si ex ipso alimento tanta alteratio produceretur, quod esse possibile constat hoc exemplo, quia fieri potest ut ex uno alimento cum tanta quantitate produceretur alteratio in ventriculo usque ad duos gradus, & tamen ex alio alimento efficaciore secundum intensiorem & virtutem cum duplo minori quantitate produceretur in ventriculo æqualis intensio similis qualitatis: Consequens autem contra experientiam est.

Alij verò possent existimare: ex eo quod dictum est à Gal. lib. de Consuetud. 14. omnem facultatem cuiuscumque naturæ otio languescere & imbecilliorē reddi; exercitatione, & usu, fortiorē, & robustiorē reddi, quod ideo ventriculus circa quantitatem alimenti assuescit: quia ex operatione majori circa ipsam quantitatem maius robur acquiritur in ventriculo, & ita faciliè tantam quantitatem potest vincere.

Quod etiam mihi videtur à ratione alienum; Primò quidem; quia secundum hunc dicendi modum nihil peculiare tribuitur consuetudini, quod non possit esse ex principiis generationis, & ex naturâ: nam tantum virium robur potest alicui contingere ex proprio temperamento, sicuti potest contingere ex usu quantitatis alimenti.

Secundò quia falsum est ex actione circa alimentum tantæ quantitatis corroborari ventriculum, neque in se, neque in ordine ad actionem: probatur quia tota hæc actio, quæ procedit à ventriculo in alimento subiectatur in facultate ventriculi; nihil recipiente, aut pars eius est. Si ergo hæc eodem modo se habent sicuti ante usum illius quantitatis, apertè colligitur, huius actione ventriculum robustiorē non reddi.

Neque enim eadem ratio est facultatis animalis motivæ secundum locum, & facultatis agen-

tis ventriculi: bene enim intelligi potest, ratio propter quam animalis facultas motiva otio languescat, & exercitatione videatur corroborari: languescit quidem, quia excrementa, quæ quotidie generantur in nobis otio manent, & non dissipantur, quæ excrementa reedunt mollia instrumenta motus, & ita inepta ad talem actionem; exercitatione verò videtur corroborari: quia calido distributo usque ad articulos excrementa dissoluntur, & dissipantur, & ita manent apta instrumenta ad motum; non verò potest corroborari, quia aliquis gradus roboris in se acquirat. At verò in facultate naturali circa quantitatem alimenti hoc non contingit, neque enim otio, aut cessatione actionis fit aliquid in ventriculo, aut manet, ratione cuius instrumentum huius facultatis possit imbecilliter agere, neque exercitatione, aut usu potest aliquid dissolui, quod esset impedimento robori actionis.

Nam si dicas generari excrementa in ventriculo, quæ possint partem agentem transmutare, potius hæc generarentur actione, quam actionis otio, & ita ex hoc fundamento non potest ostendi hanc facultatem ventriculi circa quantitatem alimenti plurimo usu corroborari, quia ex maiori alimenti quantitate maior moles solidæ substantiæ reparatur, quod maximè confert ad robur virtutis: nam dictum est Gal. 12. method. cap. 5. robur virtutis postulare non solum certam quantitatem & qualitatem spiritus, sed etiam certam quantitatem solidæ substantiæ.

Hæc inquam solutio non satisfacit, quia potius ex hoc fundamento ostenditur oppositum: si enim fingamus aliquem certæ substantiæ mole in maximo termino intrinseco, qui requiritur ad robur virium, sequitur hunc hominem non posse assuetudinem comparare ex quantitate alimenti: probatur sequela: quia illa maior substantiæ moles, quæ ex maiori quantitate alimenti acquiritur, non facit ad robur, siquidem in viventi certus terminus magnitudinis est præfixus ad robur: ratio ergo assuetudinis circa quantitatem alimenti non consistit in robore virtutis adquisito ex maioris substantiæ mole per nutritionem.

Neque sufficit ulterius dicere idè facultatem naturalem ventriculi exercitatione corroborari circa quantitatem alimenti: quia ex maiori copia, maior quantitas sanguinis, & spiritus generatur, quæ cum sint instrumenta actionum naturalium possunt reddere fortiorē & robustiorē actionem ventriculi hac consuetudine. Contra est quia præterquam quòd nihil dicitur peculiare, quod possit convenire consuetudini, & non naturæ: solutio certe est falsa: quia si ponamus hominem senem, & debilem assuetum quantitate alimenti, iuvenum verò robustum infuetum; certum est senem illum propter consuetudinem faciliùs commutare quantitatem illam alimenti: & meliùs se habere; iuvenem verò deterius; & tamen certum est in iuvene illo majorem esse quantitatem spiritus, & sanguinis, quam in senè debili: ergo in hoc non consistit ratio huius assuetudinis, neque inde maius robur videtur comparari ex sola consuetudine, neque ex alterius natura.

Multò minùs mihi placet ea explicatio, quam adducit huius testimonij Galeni 2. de temperament. cap. 17. Gaspar Lopez: dicit enim, quòd sicuti imaginatio, & memoria, & intellectus

exercitatione propriarum actionum corroborantur, ex eo quod consuetudine acquirunt habitum quemdam: ita facultas naturalis ventriculi circa quantitatem: dicitur corroborari, quia frequenti actione etiam habitum quemdam acquirit.

Si verò illi quis objiciat sequitur quòd in naturalibus acquiritur habitus; quòd nullus dixit. Respondet in naturalibus, quæ non sunt sensitiva verum esse hoc, ut in lapide, & igne; tamen in naturalibus quæ adjunctum habent sensum, bene posse acquiri. Constat autem experientia Ventriculum constare sensu; nec necessarium est, inquit, ut talis habitus comparatur in facultate naturali consuetudine ratione sensus, quæ liberè operetur, nam etiam intellectus dum constat specie intelligibili potest assuetudine habitum comparare, & operatur secundum naturam.

Sed hæc explicatio profus est falsa, quia ut dicemus infra tantum abest, ut sensus aliquis exterior habitum comparare possit, ut verum sit contra communem Medicorum sententiam; quia neque possint aliqua ratione assuefieri, & ratio est aperta; quia quilibet sensus exterior operatur uno modo tantum, & ex instinctu naturæ. Probatum autem supra est ad rationem habitus esse necessarium, ut potentia sit indifferens ad plura ad quæ possit pluribus modis determinari.

Similiter falsum est, quòd in confirmationem suæ sententiæ dixit, intellectum scilicet habentem speciem necessariam, & secundum naturam operari: nam sufficienter à Philosophis probatum est in libris de anima posse intellectum speciem conservare, citra operationem ita ut possit operari, & non operari.

Aliam explicationem circa dubitationem propositam secutus est Vallesius loco cit. 8. cont. cap. 4. advertit enim pro huius rei intelligentia; omnes facultates nostri corporis se mutuo iuvare ad actiones, & mutuo trahere se ad sympathiam, & consensum: Ventriculus ergo propter commune bonum, constat sensu quodam, ut possit molesta expellere, & iucunda retinere, illa averfari, & hæc amplecti. Ex quo fundamento colligit, quòd Ventriculus propter sensum, quem habet; ea quæ iucunda sunt, amplectitur: quæ verò inferunt molestiam averfatur: eam autem inferunt molestiam, quæ causant tristitiam: objecta verò consuecta cæteris omnibus eodem modo se habentibus, nulla facta mutatione in facultate, temperamento, aut instrumento, sed sola præcisâ ratione consuetudinis, etiam minori robore existenti, sunt magis iucunda, & minus molesta ideo ergo ventriculus quantitatem alimenti, cui assuevit melius amplectitur, & commutat, & hoc est, quòd debet consuetudini, & non provenit ratione naturæ: ideo autem objecta consuecta, minus molesta sunt, quia in perceptione ipsorum distrahitur imaginatio, minus advertens; est tamen necessaria advertentia imaginationis, ut objecta externorum sensuum molestiam inferant: nam si verum est posse in aliqua parte reperiri sufficientem doloris causam, & tamen propter distractionem mentis non sentiri; certum quoque erit propter similem causam minori molestia affici ventriculum ex quantitate consuecta alimenti. Ex quo fundamento inquit ille evidenter constare in omnibus sensibus externis imaginationem operari,

Sed hæc solutio non videtur sufficiens. Primum quidem: quia oportebat explicari, an frequenti usui eiusdem quantitatis alimenti produceretur aliquid in imaginatione, inclinans ad facilem distractionem & in advertentiam circa illam quantitatem: nam si nihil producitur in sensu ventriculi ex actibus frequentibus, neque in imaginatione, ut presenti tali objecto promptè, & facile distrahatur: sed potius istæ facultates eodem modo se habent sicuti antea: evidens est tales facultates non assuefieri. Quòd autem in sensu Ventriculi nihil producat ex frequentibus actibus circa quantitatem certum est, & Nos probabimus infra. Si verò dicas produci in imaginatione ex plurimis actibus in advertentiæ aliquid, quòd inclinet, ut possit facile, & promptè inadvertere proposita illa quantitate objecti: saltem sequitur: quòd hac ratione bruta animalia non possunt circa quantitatem alimenti comparare consuetudinem, quia ut probabimus infra actus imaginationis illius, sive sit advertentiæ, sive inadvertentiæ est factus ex instinctu naturæ.

Secundò, sic argumentor advertentia imaginationis cum sensu exteriori est in nostra potestate, sicuti operatio huius potentia: potest ergo quilibet homo dummodo non sit indispositio ex parte organi advertere, quando vult: proposita ergo quantitate alimenti consuecta, si imaginatio advertat, similis sequitur molestia, ac sequebatur ex actibus ante consuetudinem provenientibus à simili quantitate; Quòd, si concedas; sequitur aperte cum sit in nostra potestate adhuc in primo actu, non advertere eodem modo se habere ventriculum circa quantitatem alimenti ac se habet post primum usum. Evidens ergo est, causas huius assuetudinis non consistere in distractione imaginationis.

Tertiò sic argumentor quòdlibet objectum sensus externi est determinatum secundum proportionem, ut non inferat molestiam, & sentiat cum voluptate: nam excellens sensibile est, quòd corrumpit sensum; sequitur ex hoc quòd si homini assuecto quantitati excedenti ipsius alimenti; exhibeatur alimentum dimidiæ quantitatis, quòd non excedat proportionem sensus, quòd non inferat illi molestiam. Probo sequelam: quia objectum secundum virtutem sensibilem proportionatur sensui, & tamen illud alimentum est præter consuetudinem: ergo ratio consuetudinis circa quantitatem non consistebat in distractione imaginationis circa actus sensus, siquidem in quantitate proposita quantumvis advertat imaginatio, quia est præter consuetudinem non inferat molestiam sensui.

Quartò, & ultimò: quia hic Author non adducit solutionem, quæ debet esse vera, secundum omnem opinionem: & tamen secundum omnes est verum, quòdammodo consuetudinem reperiri circa quantitatem alimenti, non est enim verum secundum omnem dicendi modum imaginationem operari in actus sensus externi: nam si defendamus dari sensum communem diversum ab imaginatione, hoc opus est sensus communis, & non imaginationis. Constat enim Aristotelem posuisse sensum communem principium, & finem sensuum externorum: secundum quem dicendi modum, cum operatione sensus externi, non est necessarium phantasmam advertere, sed advertere sensum communem, quæ advertentia

tentia necessaria debet esse in brutis animalibus.

Multò minùs mihi placet cum quibusdam dicere ideo ventriculùm circa quantitates alimentorum assuescere; quia à maiori quantitate, gravatur; minorem ferè non sentit: consuetam cum voluptate amplectitur. In hac enim ratione absque dubio est petitio principij: nam oportebat reddere causam propter quam usus certæ, & determinatæ quantitatis, quæ antea inferebat molestiam, cum voluptate sentiatur, si ex hac quantitate nihil in parte producitur post usum; nam si in molestia quodammodo pars sentiens discedit à propria natura, in voluptate, vel accedit ad naturam, vel saltem objectum sentitur, ut conveniens sensui: explicare oportet, quid à crebra quantitate producat, ratione cuius objectum illud sit iocundum, quod antea erat molestum.

Et augetur difficultas, quia alimentum per primas qualitates, tantùm immutat sensum tactus, per gravitatem, & alias qualitates secundas, quæ cum non possint producere sibi similes apertè constat ex certa quantitate quantumvis frequenter repetita nihil in ventriculo produci, quod habeat consuetudinis rationem. Et ita nihil videtur neque circa quantitates alimentorum, neque circa numerum eiusdem posse ventriculùm aliquid comparare per consuetudinem ante commutationem eius; quod non posset esse ex natura, quod constabit, si quis legat, quæ circa quantitatem, & numerum alimenti adduxit Hipp. 2. acut. com. 22. & ita quando communiter dicitur apud Medicos circa prædicta versari aliquando consuetudinem, impropriissimam locutionem esse, non quod permaneat aliquid totaliter à natura diversum.

Antequam huic rei finem imponamus explicare oportet propositionem eam adductam à Galen. lib. de Consuetudine cap. 4. cuius supra mentionem fecimus. Dicit enim eo loco facultates omnes otio languescere, usu, & exercitatione roborari; dixi autem supra non habere verum sensum si sermo sit de facultate naturali circa quantitatem alimenti; nam circa qualitatem ipsius & naturam bene potest acquiri robur in parte, per nutritionem; siquidem defectu ipsius, per dissipationem humiditatis debilitantur vires. Dixi enim supra quo pacto vera sit hæc propositio in facultate moriva secundum locum; quomodoque autem sit in his facultatibus, quæ nostrum corpus gubernant; scilicet in rationali, irascibili, & concupiscibili, & non in his facultatibus nisi prout in hominibus; nam tantum in nobis istæ facultates acquirunt aliquid consuetudine quod possit permanere transactis actibus.

Quando autem dicitur facultates has usu, & actione corroborari, non debet intelligi, quod aliquis gradus essentialis virtutis, aut intentionis acquiratur in potentia, quæ operatur; sed quia ut dictum est acquirunt qualitatem ex pluribus actibus permanentem ratione cuius facultas facillimè operatur, & perfectiùs, hanc qualitatem appellavit, facultatis robur; & quia cessatione ab actionibus, & otio qualitas illa assuetudine comparata corrumpitur, propterea dicitur facultatem languescere in actione. Quod autem ita sit, otio similem corrumpi qualitatem acquisitam consuetudine constat ex Aristot. lib. de sensu, & sensibil. cap. 12. ubi dicit scien-

tiam corrumpi, & per deceptionem, & per oblivionem; constat autem oblivionem cessationem esse ab actione, & otium facultatis.

Si verò quis dicat nihil corrumpi potest, nisi à causa efficienti: sed otium cum nihil dicat positivum sed negationem, non potest habere rationem causæ efficientis: ergo per otium qualitas assuetudinaria non corrumpitur & sic languidior redditur facultas in ordine ad actionem.

Respondetur quod aliquid dicitur movens, aut efficiens dupliciter uno modo per se, & propriam virtutem, alio modo per accidens, quod se habet tanquam removens prohibens: otium ergo, & actionis cessatio non corrumpit qualitatem assuetudinariam primo modo, ut probat argumentum sed potius secundo. Est enim causa removens prohibens, quia removet actum procedentem à consuetudine, qui debet pugnare contra causas corrumpentes; sicuti ex eo quod calor longo tempore cessasset à calefactione, ex alia causa insurgeret frigus; revera diceretur optimè per cessationem calefactionis corrumpi calorem tanquam per causam removens prohibens. Postquam autem explicatum est an naturalis facultas possit assuetudinem comparare: habendus est sermo de facultatibus aliis, & ut à facillioribus incipiamus, certum est intellectum nostrum consuetudinem comparare posse. Probat: quia licet non valeat hæc consequentia facultas comparat consuetudinem ergo comparat habitum: revera è contrario evidens est consequentia: intellectum verò nostrum habitum acquirere constat ex Arist. 6. Ethicor. 1. qui dicit in intellectu esse sapientiam, scientiam, & intellectum, id est habitum.

Et ratione probatur quia illa facultas, quæ indifferens est ad operandum pluribus modis potest comparare consuetudinem, à qua determinetur huiusmodi est intellectus: ergo potest assuescere. Si verò quis dicat actus intellectus non solum est huius potentie sed totius compositi: ergo hoc argumento tantum ostenditur totum compositum assuescere.

Respondetur facillè quod intellectio dependet à corpore, eo quod phantasmata habentia rationem objecti concurrunt suo modo ad productionem speciei, constat autem consuetudinem non acquiri in objecto, sed in potentia atque adeo rectè probatum fuisse in intellectu consuetudinem reperiri. Eisdem rationibus ostenditur etiam in alia facultate rationali, nempe in voluntate reperiri consuetudinem, tum quia ibi reperitur iustitiæ habitus, ut docet Aristot. 5. Ethicor. cap. 5. tum quia est facultas indifferens ad operandum pluribus modis, similiter eisdem rationibus ostenditur in irascibili, & concupiscibili habere locum consuetudinem, non quidem prout sunt in brutis animalibus: nam in illis tantum uno modo, & ex instinctu naturæ operantur; sed prout sunt in nobis in quantum istæ facultates pluribus modis possunt operari, quia à nostra rationali facultate moventur, & ita Aristotiles fortitudinem & temperantiam ex pluribus actibus in appetitu sensitivo acquiri dixit. Majorem autem difficultatem habet explicare.

CAPVT V.

Virum in sensibus locum habeat Consuetudo.

CV M autem sensus sint in duplici differentia, alij interni, qui appellantur reëtrices; alij verò externi, certum est apud omnes in sensibus internis reperiri consuetudinem quod constat ex Arist. libello de mem. & remin. cap. 3. ubi dicit, ad bene memorandum plurimum valet cōsuetudo ex principio, etiam constat, quod si quis sapissimè cogitavit rem aliquam, aut existimavit, difficilè dimoveri ab ea cogitatione, vel existimatione.

Et ratio fundamētalis est hæc quia interni sensus ex imperio nostræ facultatis rationalis, possunt diversimodè operari, & ex consequenti frequentioribus actionibus possunt determinari ad operandum uno modo, & ita sequitur apertè consuetudinem acquiri. Si verò disputatio nostra ad sensus externos convertatur, communis Medicorum opinio tenet sine controversia consuetudinem in illis etiam reperiri. Quod potest probari argumento desumpto ex experimento, nam constat olfactum ab assiduo odore minùs molestari, remissiolem minimè percipere, ut constat in his, qui assu everunt secū portare Musheum, aut Ambrā: similiter gustus à sapore, cui assuevit non molestatur, quantamvis sapor pravus sit. Idem iudicium est de auditu respectu soni. Magis autem manifestum est in sensu tactus reperiri consuetudinem: nam præterquam quod dictum est ab Arist. 7. lib. politic. cap. 17. utile esse pueros frigori assuescieri, tum ad res bellicas, tum ad sanitatem, comprobatur etiam ratio, quia si quis frequenter iter egit tempore ætatis, & hyemis citra molestiam alterari à frigore, & à calore; discuetis autem contingit si subito ab externo frigore hyemis alteraretur, nā tunc constat experientia doloribus vexari præsertim in unguibus. In sensu etiam visus constat consuetudinem repetiri, nam si quis ex caliginoso loco, in quo diu fuisset commoratus deductus est in locum splendidum, obcæcatur ob nullam aliam causam, nisi propter discuetudinem: constat ex illa historia tradita à Gal. 10. de usu part. cap. 7. est autem historia Dionysij tyranni Siciliae.

Sed in hac dubitatione mihi videtur certum in externis sensibus præter tactum nullum locum posse habere consuetudinem: probatur ratione. Nam aut comparatur consuetudo ex actibus productis à sensibus, vel ratione alterationis factæ ab objecto sensibili: non potest assuescieri sensus ratione propriae operationis quantumvis repetita. Probatur: quia sensus externus circa omnia objecta operatur uno modo: ex instinctu naturæ ergo non potest ab aliqua qualitate peculiari determinari ad operandum hoc, vel illo modo: ergo neque potest assuescieri: probatur consequentia quia per consuetudinem facultas, quæ erat indifferens, determinatur. Neque potest quis mente concipere ex assidua sensatione externa frequenti, facilius, aut promptius sensum operari, quam antea, nam præterquam quod oppositum constat experientia, colligitur ex Arist. sensum externum neque per speciem, neque per actum proprium facilitatem comparare: dictum est enim ab ipso 2. lib. de Anima 5. sensum externum post primam eius productionem similem esse intellectui, habenti scientiam, quod absque dubio debet intelligi, quantum ad promptitudinem & facilitatem ad operandum.

Si verò quis objiciat sicut i interni sensus moventur ad operandum à rationali facultate imperante, ita, & externi: sicuti ergo propter hanc rationem diximus sensus internos posse consuetudinem comparare; ita dicere debemus de externis.

Respondetur negando similitudinem, nam externi sensus non moventur à rationali facultate imperante, nisi per accidens, quantum scilicet ad applicationem objecti, nam in nostra potestate est, separare sensum externum à proprio objecto, sæpenumero tamen semel facta objecti applicatione omnes sensus externi operantur uno modo, & ex instinctu naturæ.

Neque potest sensus hic consuetudinem comparare ex præcedente alteratione: quod inde constat: nā duplex alteratio potest considerari in sensu ab objecto, vel enim est speciei sensibilis productio, vel alia prævia alteratio realis, quæ disponit organum ut possit speciem recipere. Ex priori alteratione, quæ spectat ad receptionem speciei, certum debet esse consuetudinem non posse acquiri; quia ex objecto dependet species in esse, & conservari, nihilque videtur produci posse ab alteratione, quod habeat rationem permanentis. Tum ultra quia respectu huius effectus facultas hæc se habet merè passivè, neque organum ablatà specie aliquam mutationem habet; sed se habet eodem modo sicuti antea, quam speciem acciperet. Si verò sermo sit de alia reali prævia alteratione procedente ab objecto, & disponente organum ad receptionem speciei, neque ratione huius, in his sensibus reperitur consuetudo, quæ cum non sint activa, non possunt producere in organo sibi similes, atque adeo neque productione alicuius qualitatis realis, & permanentis possunt immutare organum. Quod autem sensus gustus, qui pluries percipit aliquem saporè non possit remissiores probè sentire, non tamen provenit ex consuetudine; sed ex eo quod ad percipiendum saporè, est necessarium substantiam gustabilem ingredi per poros linguæ ad instrumentum, ut in ipso faciat aliquam confricationem, quæ veluti prævia dispositio est ad suscipiendam speciem. Hoc enim significavit Arist. dum dixit 2. de anima cap. 9. non posse saporè gustari sine linguæ humiditate, atque adeo propter hunc usum fieri salivam, nam ratione humiditatis dilatantur pori linguæ, patetque aditus introeunti substantiæ: existente ergo illa substantia gustabili non percipitur similis sapor, neque remissus, quia ab his non potest fieri similis confricatio disponens ad productionem speciei. In olfactu similiter contingit, ut qui portat Ambram, aut Muschum non percipiat similes odores, aut remissiores, non quidem ex consuetudine comparata, sed quia fumida quædam exhalatio exiens à substantia objecta, penetrare debet per nares usque ad instrumentum huius sensus, & prævia hæc alteratione reali producere speciem, quæ alteratio, cum non possit à simili substantia odorifera produci, priori intus manente, similis odor non sentitur. Cuius rei signum est, quia si illa fumida evaporatio intus manens per expirationem extrinsecus pelleretur, & eademmet per inspirationem intus assumeretur, iterum perciperetur idem odor: ratio ergo impedimenti ex hac causa proveniebat. In sensu verò visus nullà ratione etiam habet locum consuetudo, quia objectum tantum producit speciem sui; prævia verò dispositionem, vel alterationem disponentem organum non producit, sed potius aliud

suetudine motus aliquid acquiratur, quod non possit esse ex natura: illud autem est, quod musculi, & nervi ex frequenti motione, comparant figuram quamdam, versus quam flectuntur à minima facultate, & citra dolorem, sicuti contingit in corrigiis externis aut virgis: si quis enim versus unam partem conetur flectere hæc instrumenta, facillimè promptitudinem acquirunt, ut versus eam partem, & figuram moveantur, difficilè verò versus contrariam: ita contingit in musculis, & nervis, ut ex assidua motione figuram acquirat, versus quâ facillimè possunt flecti, & hoc est, quod nullus potest habere ex natura.

Quæ solutio videtur aperte colligi ex his, quæ docet Gal. 2. de motu muscul. c. 7. quo loco de natura mediæ figuræ comparatæ ex consuetudine sermonem instituit.

Si verò quis objiciat contra hunc dicendi modum: sicuti sunt quædam fibræ nervorum, & musculorum, quæ in motu locali versus unam partem contrahuntur, ita sunt alij oppositi ex quorum contractione priores dilatantur versus contrariam figuram: non est ergo major facilitas in motu post crebrum usum quàm antea.

Huic argumento Resp. Vall. loco supà cit. qui inter plures habuit hunc dicendi modum: quòd scilicet ratio haberet vim si fibræ musculorum non contraherentur à facultate, sed potius per se versus certum locum at verò cum motus animali à facultate fiat, ex disposito instrumento: fieri potest ut instrumenta utrinque sint disposita bene, & ad contractionem propriam, & ad extensionem similiter factam propter contractionem contrarij musculi, non se autè impediunt mutuo, quia illorū contractio non fit simul, sed vicissim.

Sed hic dicendi modus mihi videtur deficiens, & falsus: 1. quidem, quod licet verum sit in motu locali ex cōtractione musculorum partem acquirere certā figurā; tamē in hac nō potest consistere ratio consuetudinis, neq; facilis tolerantia. Probatum est, quia figura hæc est post motum, quod autem est ex consuetudine præcedit motum: si quidem ab eo habet rationem facilis & prompti tamquam à principio. Oportet ergo explicare, quid ex assiduo motu comparetur in instrumentis, ratione cuius versus talem figuram consequentem motum, promptè, & facile fiat operatio.

Secundo: quia illud exemplum quod ab externis rebus desumebatur, potius confirmat hanc sententiam, & destruit oppositam, quam aliam ostendat: Nam si quis conetur corrigiam externam, aut virgam versus aliquam partem flectere, si ponatur postea in pristino, & priori statu: absurdum est dicere maiorem promptitudinem habere, ut declinet in talem locum, potius quam in oppositum, nisi ex frequentia illius acquirat aliquid hoc corpus externum, quod sit causa facilitatis, nam si eodem modo se habet, sicuti antea, dici non potest quid in actione sit maior facilitas: ita ergo existimandum est in his instrumentis localis motus, quod nisi motu partes habeant aliquid de novo superadditum, non potest conringere facilitas, aut promptitudo versus talem figuram: illud enim est, quod verè rationem consuetudinis habet Neque Gal. loc. sup. cit. dedit occasionem existimandi oppositam sententiam esse juxta eius mentē, sed tantum dixit, idè mediā figuram musculorum inter summam contractionem, & extensionem sine dolore esse, quia talis consuetudo est. Ex hoc tamen non licet colligere,

aut in figura consuetudinem consistere, aut nihil adquiri in instrumentis, quod reddat ipsa prompta ad motum versus mediā figuram.

In tali ergo dubitatione proposita duo sunt, quæ indigent explicatione, alterum est, quid ex frequenti motu commune omnibus animalibus perfectis acquiratur; quod habeat rationem consuetudinis. 2. Est: quid in homine artificiose operante, aut in partibus externis eius acquiratur, quod sit consuetudo, ut in citharedo, ad citharizandum, & in saltatore ad saltandum.

Quantum ad 1. Dico in motu animalium perfectorum secundum se aliquid acquiritur, quod licet non verè, & propriè habeat rationem consuetudinis, sufficiens tamen est ad facilem tolerantiam, quod collig. ex Gal. doct. 2. de sanit. tuend. c. 2. ubi dicit. tria sequi, exercitationem & laborem. 1. durities instrumentorum ex attritu ipsorum, & genuini caloris abundantia, & citator motus eiusdem; aliud tamen ex duritie sequitur, quòd minùs agitantur labore, & actionis robur, vel quo pacto maiorem laborioso tolerantiam ex motu locali præsupponere aliquam qualitatem disponentem instrumenta dixit, quam appellavit instrumentorū duritiem; & in explicatione illius aphr. 45. 2. partis dixit commune est omnibus laboribus, ut partes exercitatae robustiores fiant, ideoque faciliùs laborem ferunt; qua sententia non potuit intelligere exercitatae partes acquirere aliquem virtutis, aut facultatis gradum, ut supra probatum est, sed qualitatem disponentem ipsa instrumenta ad promptitudinem motus, quam appellavit robur: siquidem ratione ipsius efficacior fit actio. In hoc enim sensu sæpè à nobis est dictum secundum Gal. opinionem à partibus principibus in exortu facultatem communicari, non quia revera facultas sit; sed idè appellatur, quia qualitas est simplex ad actiones necessaria; ita instrumenta motus dicuntur robur acquirere, quia cōparant qualitatem disponentem ad efficaciam ipsius.

Ex quo sequitur certum esse in brutis animalibus in quantum moventur à proprio principio, quantumvis facta sæpissimè exercitatione consuetudinem non comparare, siquidem tales operationes ex instinctu naturæ sunt. Neque dici potest in ipsis qualitatem comparari superiorem primis, aut his, quæ à primis oriuntur: & ita evidens est, quod si talis dispositio reperiretur in aliquo animali in exercitato, æqualiter posset labores ferre.

Secundum autem maiorem difficultatem habet, an scilicet in musculis, aut instrumentis externis motus localis hominis artificiose operatis, ut si pulset citharam, &c. aliquid aliud sit consuetudo præter id, quod est dictum, in qua dubitatione, quidam existimarunt, in membris externis Artificis per longum usum produci revera consuetudinem, quæ est habitus. Potest probari hæc sententiam 1. quia in partibus externis Artificis est promptitudo, & facilitas ad operandum: ergo post longum usum revera in illis est habitus consuetudine acquisitus. Probatum consequentia, quia nihil aliud videtur importare habitus, quàm promptitudinem vel facilitatem ad operandum.

Neque sufficit Resp. hanc facilitatem acquiri ex eo quòd aliqua qualitas corrumpitur retardans motum partium; nam cum corruptio unius productio alterius sit, si aliqua qualitas, quæ existebat in membris corrumpitur per consuetudinem alia debet generari.

2. Probatur : actio immanens, & principium immediatum ejus debent esse in eodem subjecto; sed in membris artificis est tanquam in subjecto operatio facilis, & prompta : ergo principium hujus promptitudinis debet esse ibi : nullum autem est quod producat, nisi id quod verè rationem habitus habet : ergo.

Vltimò ; quia in brutis animalibus ex hominum imperio reperitur motus secundum artem factus, in quo animali dici necessariò debet per consuetudinem hanc qualitatem perfectioris ordinis, quàm sit temperamentum, produci.

Sed in hac dubitatione : Dico 1. in instrumentis motus localis inquantum moventur à ratione humana imperante artificiosè qualitatem post longum usum adquisitam revera habitum non esse. Probatur evidenter : quia sequeretur ibi esse principium proximum artificiosæ operationis, & principale, & ex consequenti ibi tanquam in subjecto esset ars, cujus contrarium docet Arist. & est communis omnium sententia apponentium artem in intellectu tanquam in subjecto.

Dico 2. in illis instrumentis motus, inquantum à ratione humana imperantur artificiosè, produci habitualitatem quamdam ratione cujusdam qualitatis disponens membra, quæ revera præter temperamentum est : & hoc videntur ostendere argumenta, quæ in principio feci.

Sed Dicit aliquis : idem accidens numero non potest esse in diversis subjectis ; sed principium hujus operationis est in intellectu, tanquam in subjecto : ergo non potest esse in instrumentis motus, quamvis affuefcant.

Resp. quod non ponimus idem accidens numero in diversis subjectis ; sed sicuti motus localis in homine procedit à duplici facultate, altera imperante, altera exequenti : ita ponimus duplex accidens, alterum in facultate imperante, & illud est ars, quæ habet veram rationem habitus, alterum in membris exequentibus quod est qualitas membra disponens, & se habet ad artem, veluti instrumentum ejus.

Sed Dicit quis iterum : ideo probatum est supra in irascibili, & concupiscibili facultate per consuetudinem revera habitum produci in hominibus ; quia facultate rationali moventur, & excitantur ad opus : sed hoc idem habent instrumenta ad motum localem accommodata : ergo etiam per consuetudinem debent produci.

Resp. quod est diversa ratio : nam irascibilis & concupiscibilis excitantur ad opus à facultate rationali, à qua imperantur, cum resistantia tamen ; eo modo quo cives imperantur à Rege : at verò instrumenta motus localis, hac ratione non imperantur sed sine resistantia, ut possint impedire actionem.

Sed Dices ulterius : sequitur propter eandem rationem qualitatem quam diximus ultra temperamentum in instrumentis non produci per consuetudinem : siquidem non possunt impedire actionem facultatis importantis.

Resp. negando consequentiam : quia licet non impediant propriam actionem, possunt tamen retardare, aut impedire per indispositionem subjecti : & hoc sufficit ut qualitas per consuetudinem producat.

Sed Dicit quis ulterius : sequitur : quod in sensibus externis post longum usum poterit produci qualitas assuetudine, cujus contrarium diximus supra, Probatur sequela : quia sicut instrumenta

motus localis excitantur ad operandum à facultate rationali, ita sensus externi.

Resp. negando similitudinem : nam instrumenta localis motus, possunt diversimodè ordinari ad diversas operationes ; sensus verò externi ut probatum fuit, minimè ; sed operantur ex instinctu naturæ ; quantumvis quantum ad applicationem objecti possint eridere à rationali facultate. Ex quo sequitur etiam in animalibus brutis inquantum ab hominibus imperantur, produci similem qualitatem ad artificiosam actionem in instrumentis motus.

Sed Dicit quis : quæ causa diriguntur bruta ad hoc quod moveantur artificiosè. Respond. quod diriguntur à signo docentis : cum enim concupiscibilis facultas, aut irascibilis moveantur specie ab objecto delectabili, à timore, ab objecto contristante, & molestante, memoria bruti sæpius repetita ex tali objecto, excitat ipsum ad talem motionem artificiosam apparente signo : & hæc sufficiant de hac quæstione.

*** + ***

CAPUT VII.

An indicatio, quæ sumitur à consuetudine, in morbis sit ad similia, ita ut semper debeat conservari consuetudo ; an verò aliquando contrariis reduci.

COMMUNIS opinio tenet in hac dubitatione Consuetudinem semper in morbis esse conservandam atque adeo pro ratione ipsius, adhibenda esse similia. Probari potest hæc sententia primò : quia dictum est ab Hipp. 2. aphor. 50. *quæ consuetæ sunt, etsi deteriora sint, insuetis minus molestare solent*, cum autem agrotantibus debeant exhiberi, quæ minimam molestiam inferant, sequitur quod quantum àgitur in consuetudine debent exhiberi similia, & ex consequenti consuetudo semper indicat sui conservationem.

Secundo probatur : si quis legat ea, quæ dicta sunt ab Hippocrate 2. acutor. à com. 17. usque ad 30. inveniet noxas, quæ sequuntur ex eo quod quis non conservet consuetudinem in morbis, non solum quantum ad alimentum naturam, sed quantum ad tempus, & modum exhibendi : in quo sensu dixit Hipp. 1. aphor. 17. *concedendum est aliquid consuetudini, tempori, & regioni.*

In cujus rei confirmationem plurima extant testimonia apud Galenum in libris Methodi, quæ non oportet hic adducere, & sic ratione probatur : quia, qui laborat morbo ex sua consuetudine expectat auxilium ad sanandum, sicuti ex propria natura : ergo non oportet contrariis vim inferre consuetudini. Probatur, quia exhibendo illa, vel aufertur, vel diminuitur causa auxiliatrix ad ablationem morbi.

Si verò quis objiciat dictum fuisse ab Hippocrate illa sententia 50. aphoristica : *oportet ad insuetam pertransire*. Sequitur : quod non semper servanda sit consuetudo.

Resp. quod his verbis non explicat quid agendum sit in morbo laborantibus ; sed potius intelliguntur in sanis : quasi dicat, quod si quis sanus inceptit assuescere alicui alimento, non debet perseverare semper in illo, sed oportet consuetudinem mutare, propter plurima, quæ casu possunt contingere : in hac verò dubitatione loquimur de consuetudine in agrotantibus.

Sed hæc Gal. sententia unum peculiare habet, in quo consuetudo in morbis non debet seruari similibus, sed potius contrarijs mutari: quando scilicet ex consuetudine incidit homo in morbum; tunc enim consuetudo mutanda est. Ita dictum est à Gal. 8. meth. cap. 9. his verbis. *A consuetudine semper est indicatio similium, quoad scilicet agrotent corpora.* Quod etiam expresse licet colligere ex ipso 9. lib. meth. cap. 16. quo loco agit de consuetudine acquisita ex pota aquæ frigida. Clarius tamen continetur hæc sententia 6. de sanit. tuend. cap. 15. ubi dicit Gal. hanc naturam non oportet ad aliam consuetudinem transferre; sed neque ullam aliam naturam, sed quæ iam longo tempore ægrotat; subintellige tamen ex consuetudine. Quasi dicat, quod si incidebat in morbum propter consuetudinem, consuetudo est mutanda; Vnde perperam Argenterius lib. 1. de officijs Medici cap. 5. propter hoc testimonium, contradictionis accusavit Gal. eo quod cum sæpè dixerit consuetudinem seruandam esse in morbis, videtur contrarium docere paulò ante adductâ sententiâ. Quod profectò verum non est, ut vidimus; nam Gal. intellexit mutandam esse consuetudinem in morbis quomodocumque sed peculiariter quando ex consuetudine incidit homo in morbum: tunc enim cogit nos morbus ipsam mutare.

Sed contra hanc Galeni sententiam videntur difficilia plurima, quæ in superioribus dicta sunt, nam eisdem argumentis quibus probatum fuit supra intemperatam naturam non esse semper seruandam in morbis, sed reducendam aliquando. Probatur aperte citra illum casum Galeni, consuetudinem posse in morbis mutari. Probatur 1. quia nomine consuetudinis ut sæpè dictum est: intelligimus temperamentum, usu rerum comparatum in parte naturali; sed hoc temperamentum potest contineri sub neutra dispositione quæ non solum in morbis, sed etiam intra morbos mutanda est, ergo temperamentum assuetudinarium, si prauum sit, in morbis potest mutari, & non semper seruari.

2. Probatur: quia intemperata natura ab ortu extra morbos, & in morbis reducitur, quia usu similium redditur apta, ut incidat in similes morbos; ergo temperamentum idem quantumvis assuetudine factum potest contrarijs reduci: patet consequentia quia usu similium manet apta illa natura in bene valentibus, ut incidat in similes morbos, in ægrotantibus etiam ut augeatur morbus similis, vel si adest contrarius, ut in similem incidat.

3. Probatur: quia idè dictum est à Galeno consuetudinem in morbis mutandam esse, dum ex consuetudine homo ægrotat, quia ad hanc mutationem cogit nos morbus: ergo quantumvis homo ex consuetudine non ægrotet, si prava sit consuetudo, potest mutari, ita ut contra ipsam aliquâ ratione agamus; neque enim videtur majus in conueniens consuetudinem mutare dum ex consuetudine ægrotat quis, quàm secus, & ita

videtur satis probabile non solum in illo casu, quem tradit Gal. sed etiam dum temperamentum assuetudinarium adèd crevit, ut prauum sit, & contineatur sub neutra dispositione, mutari posse in morbis, ita ut reducat, & non seruetur.

Neque argumenta, quæ pro opinione Gal. sunt adducta alicuius momenti. Resp. ad 1. & dieo 1. etiam ex hoc argumento probari posse, quod quando quis ex consuetudine incidit in morbum debeamus exhibere similia consuetudini; & non contraria: quia etiam in hoc casu similia minus molestant.

Dico 2. quod non omnia insueta magis molestant, quam consueta, nam quæ exigua alterationem inferunt, non causant molestiam, eo quod molestia habet ortum ex sensu objecti in-jocundi, & molestantis, quam sensationem non potest facere objectum in quavis quantitate, aut intensione, sed in ea qua fit inproportionatum potentia. Consuetudo autem non est mutanda in morbis, quomodocumque sed paulatim, adhibendo contrarium, & veluti insensibiliter. Neque hoc omnino alienum est ab Hipp. mente nam 2. acutor. com. 18. dicit victum similem, semper tutiorem esse, quàm si quis multum, & repente in alium mutetur: non ergo vituperat quamcumque mutationem, sed repente factam, & multum: quod etiam expresse dixit com. 30. eiusdem libri.

Ad 2. Resp. quia Hipp. postquam probavit seruandam esse consuetudinem: auxiliandum præterea est. Contrario sermone quodammodo, quasi dicat, quantumvis probatum fuerit consuetudinem seruandam esse, tamen illi sententiæ, quæ dixit, mutandam esse, auxiliandum est, nam aliqua ratione debet mutari, eo quod præter consuetudinem sunt alia, quæ debent considerari, ut modus morbi, & robur ægrotantis, &c. Illud enim argumentum quo usus est Hipp. loco cit. sumptum ex sanis ad ægrantes, tantum ostendit, quod sicuti in sanis repentinæ mutationes contra consuetudinem, lædunt, ita si sunt repentinæ in ægrotantibus. Secus vero minimè, imò potius, sicuti in sanis citra mutationem repentinam possumus exhibere contraria consuetudini ita in ægrotis.

Ad 3. Responderet: quod qui laborat morbo, non tam debet expectare auxilium ab assuetudinario temperamento, aut innato, quam à viribus quas habet. Er ex consequenti à temperamento illo, cum quo melius robur conservatur, nam ex robore virtutis vincitur morbus, fieri autem sæpè potest, ut illud temperamentum, quod usu rerum comparatum est, non tam faciat ad robur, quam ad debilitatem virtutis, & quando dicis à contrarijs vim pati, quod licet illud, quod corrumpitur vim patiat, à contrario, tamen satis est, quod forma in hac mutatione præstet vim, quia fit mutatio ad temperamentum sub quo melius conservari potest. Et hæc dicta sint hoc tractatu de consuetudinis natura.



TRACTATUS DE ALIMENTORUM FACULTATIBVS IN COMMVNI.

CAPUT PRIMUM.

De natura, seu quidditate Alimenti.

VTILISSIMA quidem doctrina de facultatibus, quæ in alimentis insunt, proponitur; & quidem valdè necessaria pro vitæ custodia, & sanitatis tutela, necnon etiam pro morborum medela. Etenim aliis præsidii non omni tempore utimur; cæterum absque alimento neque vivere, neque secunda, neque aduersa valetudine uti possumus. Merito igitur in præsentiarum alimentorum facultates in generali peruestigamus; ut deinde cujuslibet alimenti peculiare virtutes faciliùs dignoscamus; & ut clariùs in hac re procedamus. Priùto inquirimus, quid sit alimentum.

Porro ut certa ab incertis, separemus, & ne in æquivoco laboremus, memoria tenenda est Hippocratis doctrina lib. de Alimento, ubi nos inonet, Alimentum triplicem habere significationem: Aliud quidem dicitur verum, & proprium alimentum; aliud veluti alimentum appellatur; & tandem alterum vocatur futurum alimentum. Verum, & proprium alimentum est; quod ultimò, & immediatè proximum est, ut convertatur in substantiam aliti, seu assimiletur parti nutriendæ; hujus generis est Cambium, seu gluten, quæ secundæ humiditates appellantur; & ultimo disposita sunt ad ultimam transmutationem in partem nutriendam subeundam. De quibus Tractatù nostro de Humoribus abundè egimus. Veluti alimentum dicitur, quod intra corpus continetur, & alteratum est pro nutritione, & aliquales dispositiones accepit pro conversione in substantiam, seu partem nutriendam, non tamen omnes, & ultimas, quæ necessariae sunt ad ultimam conversionem; sic sanguis in venis, & chilus in ventriculo dicuntur veluti alimentum, in hac secunda significatione per dispositiones vitales ad conversionem ultimam in partem nutriendam. Tandem futurum alimentum dicitur quilibet cibus externus priusquam primam elaborationem suscipiat in ventriculo; quippe tunc nondum à calore nostro suscepit dispositiones conducentes pro nutritione, & solum habet remotas, & proprias qualitates, seu virtutes; idèoque meritò dicitur futurum alimentum ratione elaborationis futuræ, quam recipere potest à viventi, eo ipso quod devoratum est. Ex quo constat manifestè nomen alimenti æquivocè convenire veluti alimento dicto, & futuro alimento; cum solum illud verissimum, & proprium alimentum sit, quod

ultimo dispositum est ad ultimam transmutationem in substantiam viventis.

Alias accidentales differentias alimenti assignavit Gal. lib. i. de Aliment. facultat. per accidentia, quæ in alimentis inveniuntur; nam sæpè sæpiùs in forma potabili dispensantur, & devorantur, ut simul possint subire rationem alimenti, & potus, hujus generis sunt alimenta omnia fluida, veluti; jus carniùm, & quælibet forbitio alimentosa. Præterea etiam alia sunt alimenta, quæ non solum in forma potabili præparantur, ut nutriant; verùm etiam habent qualitates alterantes, & medicamentosas; & hujusmodi alimenta non solum habent rationem alimenti; sed rationem potus, & medicamenti; per functiones diversas ad quas deserviunt, sic phisana, & quælibet potio alterativa, ut jus alteratum habent rationem alimenti; potus, & medicamenti, per diversa officia, seu munera, ad quæ deserviunt; solum ergo habent rationem alimenti formaliter; & præcisè quatenus in substantiam corporis nutriti commutantur; habent autem rationem potus quatenus substantia est fluxilis per partem aqueam, seu serosam incommutabilem; & tandem rationem medicamenti quatenus habent qualitates alterantes medicamentosas, quibus causis morborum opponuntur: itaque una, & eadem substantia per diversas formalitates, & est alimentum, & est potus, & est medicamentum. Alimentum tamen minimè excludit fluxibilitatem, nec formam potulentam, quippe sive sit solidum, sive siccum, sive fluidum, aut humidum, dummodo transmutabile sit in propriam ejus, quod nutritur substantiam proprium alimentum dicitur, & legitimum.

Neque huic doctrinæ opponitur Philosoph. 2. lib. de anima, cap. 4. ubi famen explicat per appetitum calidi, & sicci, ex quo inferunt nonnulli alimentum debere esse siccum. Neutiquam enim ita intelligenda est hæc doctrina; siquidem quando docet alimentum debere esse siccum, est in contrapositionem potus, qui fluxilis, humidus, atque aqueus est, propter elixationes, quæ in nostro corpore celebrantur, necnon etiam propter distributionem alimenti per exiguas, seu angustas vias usque ad porositates. Alimentum ergo nec potest esse omninò siccum, quippe mixtum debet esse, ac proinde qualitatibus omnium elementorum ornatum, & formis ipsorum, ut latè nostro Tomo primo probavimus, & quod verius est alimentum humidum, & calidum faciliùs corpora reficit. Ita Galen. 2. aphorism. text. 11. circa finem, per hæc verba. *Humidum porro alimentum, præsertim si natura sit calidum faciliùs corpora reficere.* Si autem conjungatur fluxibilitas consonat Hippocratis textus

textus citatus cujus verba sunt. *Facilius est potu refici, quam cibo.* Vbi minimè de rigoroso potu loquitur (quippe incapax est nutritionis) sed de alimento, quod preparatur in forma potabili, & fluida, quod facilius nutrit, eo quod habet ferè jam factum id, quod ventriculus solet cibis præstare, maxima enim pars ejus actionis, quæ à ventriculo expectatur, est liquatio, facilius ergo concoctus erit liquidus cibus; & distributio ejus erit celerior atque minimam commutationem perpeffus, membra reficiet: & in hac significatione loquitur Hipp. lib. de alimento, dum ait, *quicumque celerrima indigent adjectione, liquidum medicamen ad recuperandas vires optimum est.* Constat ergo ex his alimentum non debere esse siccum, licet quod solidum est melius nutriat; facilius tamen quod fluxile, aut potabile, longè enim diversum est, melius nutrire, & facilius nutrire.

Ex his facile intelligitur quidditas, & natura alimenti, si solum in ipso reparationem substantificam ejus quod nutritur perpendamus: ita Gal. sensisse videtur lib. 1. de aliment. facult. capit. 1. per sequentia verba. *Alimentum est quod nostram substantiam alit, nihil in hominis corpore efficiens.* Consonat idem Aucthor lib. 3. de temperamentis capit. 17. ubi adducit differentiam inter medicamentum, & alimentum, & docet quod de ratione medicamenti est agere in nostrum corpus, at verò de ratione alimenti nihil agere in corpus, sed solum ab ipso pati. Ex qua doctrina satis clarè infertur, alimentum formaliter quatenus tale, solum importare reparationem substantiæ, & omninò excludere alterationem, quàm importat medicamentum; ut jure optimo condistingatur ab alimento, cujus formalis ratio in eo solum stat ut nostram substantiam alar, & reficiat.

Neque refragatur adductæ doctrinæ Gal. 3. de temperamentis cap. 3. ubi asserit, quod alimentum in principio est dissimile; in fine verò simile, ex quo inferunt adversarii alimentum, ut alimentum agere in nostrum corpus, quippe quod dissimile est non potest assimilari nisi media actione, & reactione.

Huic objectioni conatur satisfacere Vallesius Noster in expositione super tertium lib. de temperamentis Galeni, ubi tenet definitionem adductam à Galeno de vero, & legitimo alimento circa illa verba ultima, *nihil in hominis corpore faciens.* Esse intelligendam de alteratione sensibili, & manifesta, minimè autem de insensibili alteratione, quam necessariò habent alimenta per dissimilitudinem cum substantia viventis.

Vidit hanc solutionem Socius quidam Noster, & eam in suis manuscriptis impugnat; eo quod sit extra mentem Galeni, qui expressit in sua definitione, alimentum nullam prorsus alterationem præstare debere in corpore humano, & quia omninò judicat extra rationem alimenti, quamlibet alterationem licet insensibilem, quippe alimentum formaliter, ut tale solum ordinatur in reparationem substantiæ, & in alimoniâ corporis, & solum concurrat in genere causæ materialis, præstando materiam, minimè verò in genere causæ efficientis alterando corpus; etenim hoc ad munus medicamenti attinet.

Cæterum Doctor iste immemor est responsionis quam ipse adducit ad argumentum de dis-

similitudine alimenti. Nam in fine paragraphi, quod incipit: *Ad primum argumentum*, ait, *nihil agit alimentum, & si aliquid agit insensibile est, ut supra ex Galeno retulimus.* Componitur ergo juxta mentem Nostri Doctissimi Socii for malitas alimenti cum alteratione insensibili: ac proinde incidit in solutionem à Vallesio nostro adductam, quàm antea impugnaverat. Et quidem probabilis est, cum actio, & alteratio insensibilis non opponatur alimento prout à medicamento distinguitur, in quo alteratio est manifesta, & sensibilis Medico, per quam corpus nostrum sensibilibiter immutatur.

Porro si Galenum perpendamus lib. 1. de alimentis cap. 1. videtur alimento ut tali prorsus omnem alterationem denegare, nisi simul rationem alimenti, & medicamenti participet: juxta illud Hippoc. *in cibo medicamentum*, & in hac significatione dum loco citato loquitur Gal. de cibis medicamentosis, quæ sæpè nos calefaciunt, refrigerant, siccant, aut humectant. Prosequitur sic: *veluti dum horum nihil in hominis corpore efficiant, sed ipsum tantummodo alant, tum rationem medicamenti haudquaquam habere. Sunt autem sane paucissima id genus edulia; quotquot verò ea fuerint, alimenti dumtaxat rationem planè habent, corpus ejus, qui sumpsit, in qualitate non immutantia.* En Galeni perspicua verba, ex quibus aperte constat, alimentum in sua formali ratione omninò excludere ullam alterationem in corpore ejus, qui sumpsit alimenta. Clarius etiam paulò infra hanc eandem doctrinam patefecit per sequentia verba. *Quod verò ex cibo ad molem dissipata substantia sarcinendam animal sibi assumpsit, ab illo dumtaxat ut alimento juvatur.* Ex his ergo clarissimè infertur alimentum in suo intrinseco conceptu solum importare reparationem substantiæ perditæ in viventi, & minimè admittere, nec vestigium alterationis alicujus, ut demonstrant illa verba ultima, *ab illo dumtaxat ut alimento juvatur.* In cuius confirmationem immediatè subdit sic, *quam ob rem, quæ mediis sunt temperamenti, nullaque viventi qualitate sunt prædita ea solum sunt alimenta, non etiam medicamenta.* Quibus verbis totam controversiam videtur solvere, quin pro contraria parte appareat suspicio ulla.

Socius noster supra citatus libenter admittit adductam Galeni doctrinam, & ut inconcussa ab omnibus scriptoribus habeatur, nec non etiam ut à calumniis libera permaneat, firmiter tenet in sua conclusione, legitimum, & proprium alimentum juxta mentem Galeni solum esse illud, quod omninò est assimilatum viventi, & transmutatum in propriam substantiam, de quo solum verificatur, ut neque habeat potentiam, neque qualitates excedentes, quibus valeat alterare corpus; itaque quæ non sunt omninò transmutata verè alimenta non sunt, & sic nos alterant, post perfectam verò transmutationem verè alimenta sunt, utpotè de his verificatur, quod nihil agunt, & omnino assimilata sunt viventi.

Hanc doctrinam fulcire intendit ex Gal. 3. de temperam. cap. 2. ubi sic fatur; *quod utique jam nutrit, & corpori adjungitur, nec amplius futurum est, id propriè nutrimentum nominatur.* Sentit ergo Galenus solum propriè alimentum & nutrimentum esse, quod nutrit, & corpori adjungitur, de quo verificatur solum quod sit simile in fine, & non possit agere in vivens: ergo alimentum, quod definitum est à Gal. est solum quod omnino transmu-

transmutatum est in propriam substantiam viventis, ratione cuius omnino simile est ipsi, ut verificetur definitio à Galeno adducta, nempe *Alimentum est quod nostram substantiam alit, nihil in hominis corpore efficiens*. His clauditur totum fundamentum nostri sapientissimi Socii.

Hæc tamen doctrina rationi dissona mihi videtur: nam substantia, quæ assimilata jam est viventi, & transmutata in propriam substantiam, informatur non dubiè formâ viventis, cum in hac sententia corpori adjungatur per veram unionem substantiæ alimenti cum substantia viventis, in qua formaliter consistit nutritio (ut uno ore Philosophi fatentur) ergo potius pars viventis dicitur revera substantia perfectè assimilata viventi, & in ipsum transmutata, quàm alimentum; patet consequentia, etenim non minus est pars viventis substantia quæ in hoc instanti præsentis transmutatur perfectè in substantiam viventis, & ipsi assimilatur, quàm cæteræ partes, quæ in instantibus antecedentibus fuerunt transmutatæ & assimilata: sed de omnibus partibus viventis, quas antecederet denuo adquisivit vivens per nutritionem, minimè verificatur quod sint alimentum, cum potius integrent vivens quod alitum est: ergo nec de parte, quæ in instanti præsentis transmutatur perfectè in vivens, & ipsi assimilatur minimè poterit verificari, quod sit alimentum; quippe omnium partium, quas media nutritione adquisivit vivens, currit eadem ratio, sive denuo acquirantur, sive antecederet sint acquisitæ: minimè ergo poterit substantia transmutata in vivens dici Alimentum, ut salvetur particula ultima Galeni *nihil in hominis corpore agens*. Nam ut infra constabit, poterit esse substantia, quæ non sit omnino transmutata in vivens, & quæ minimè in ipsum agat, quæ legitimum erit alimentum.

Dicendum ergo nobis est illam secundam humiditatem, quæ ultimò alterata est, & disposita à calore viventis, ut in ipsum convertatur, sive dicatur cambium, sive gluten, priusquàm perfectè assimilatur, & transmutetur in substantiam viventis esse verum, & legitimum alimentum. Et probatur ex definitione à Galeno adducta supra, nam illud est proprium, & legitimum alimentum, *quod nostram substantiam alit, nihil in hominis corpore faciens*; sed de illa substantia verificatur quod alit vivens, utpote est in via ultima ad transmutationem, & immediatè terminatur in transmutationem actio viventis circa illam materiam, sive dicatur cambium, sive gluten: ergo de illa verificatur, quod sit causa materialis immediata nostræ reparationis, seu alitionis. Insuper etiam de ipsa verificatur, quod minimè agat in vivens, nam tunc temporis qualitates oppositæ, si quæ fuerunt in illa materia, sunt omnino devictæ, & refractæ à calore viventis, seu toto ejus temperamento, à quo celebratur coctio seu nutritio, ita ut nec vestigium reactionis perseveret in illa materia: ergo nihil agit in vivens: ac per consequens cum de illa materia verificetur, quod nostram substantiam valeat reparare, & insuper nihil agat in vivens; verum erit & legitimum alimentum cum omnia verba definitionis tali substantiæ rigorosè adaptentur: frustra ergo ponitur ultima transmutatio, & perfectæ assimilatio, ut salvetur ratio alimenti, cum potius, quod transmutatum est, sit

vivens, quàm alimentum viventis: in cuius confirmationem audite Vallesium lib. 1. controversiarum folio 16. cap. 14. de nutrientibus succis; ubi ait: *Nam primum alimentum unum esse, non esset in commodum, cum multas variasque subituras esset alterationes, antequam fieret alimentum ultimum: sed quod ultimum est, proximum est, ut in membra transeat*. Ex quo constat alimentum solum dici ante transmutationem.

Ex his clarè intelligitur, quæ ratione verum & legitimum alimentum sit dissimile in principio, & simile in fine, quin ratione dissimilitudinis sit concedenda activitas alimenti in corpus viventis; nam in illa substantia, seu secunda humiditate, quæ à nobis dicitur alimentum, solum remanet resistentia passiva, ratione modi substantiæ, qui nondum est perversus, aut victus usque dum celebretur ultima, & perfectæ transmutatio; cujus terminus est assimilatio in substantiam viventis: ergo bene comparitur, quod alimentum sit dissimile in principio, & toto tempore, quo durat resistentia passiva ex parte modi substantiæ, & quod sit simile in fine transmutationis, ratione termini ad quem ipsius transmutationis; ita ut similitudo in alimento sit denominatio, quam accipit illa materia, à termino, ad quem dirigitur: totum quod comparitur in bona Philosophia; quin dicatur alimentum substantia illa transmutata perfectè in vivens, solum ex eo quod sit in via ad transmutationem.

Hinc etiam manifestè intelligitur, quod *future alimenta, & veluti alimenta*, quantumvis dissimilia sint in principio & toto tempore, quo durant alterationes, & elixationes, quæ celebrantur in nostro corpore; tandem subeant veram, & legitimam rationem alimenti, quando scilicet jam sunt à viventi refractæ omnes qualitates activæ, & ipsarum vires debellatæ, nec non etiam partes excrementitiæ separatæ, & taliter illæ substantiæ sint depuratæ, ut verè dicantur secundæ humiditates, & ultimò præparatæ ad transmutationem in vivens, nam tunc minimè in ipsum agunt, & solum adest resistentia passiva, ratione cuius dissimilia sunt, & in via ad terminum, seu transmutationem ultimam, ratione cuius similes sunt in fine; ut supra satis explicatum est: liquido ergo constat ratio formalis alimenti explicata, quin recurramus ad opinionem nostri Socii.

Nec verba Gal. 3. de temperam. cap. 2. ab ipso adducta aliquid probant contra nos, nam de secunda illa humiditate, quæ est alimentum, optimè verificatur, quod nutriat, & corpori adjungatur, nec amplius futurum sit, secludendo ultimam, & perfectam transmutationem, solum præcisè, quod sit in via proxima, & in fieri ad ipsam transmutationem, utpote per illam nutrit, & corpori adjungitur; unde dicitur proprium alimentum antequam perveniat ad ultimum terminum, seu ad assimilationem in substantiam viventis: quippe illa verba *nutrit*, & corpori adiungitur, solum denotant actionem vialem, seu fieri ipsius transmutationis, minimè verò transmutationem factam, ac proinde substantia illa, quæ est in via ad transmutationem, & nondum est transmutata est legitimum, & verum alimentum, eo quod nutrit, & nihil in hominis corpore facit.

Porro de alimento in hac nostra significatione sumpto,

sumpto, plane verificantur verba à Gal. adducta 1. de aliment. facult. cap. 1 ubi de proprijs alimentis sermonem faciens sic loquitur. *Corpus eius, quò sumpsit in qualitate non immutatur.* Nam illa, alimenta nulla vincenti qualitate sunt prædita, ad similitudinem eduliorum, quæ sunt medij temperamenti, de quibus prædicat Galenus loco citato, paucissima esse, rationem tamen habere alimenti, quoniam nulla viventi qualitate sunt prædita, *quotquot autem ea fuerint, (inquit Galenus) alimenti dumtaxat rationem planè habent,* quia neque corpus refrigerant, neque calefaciunt, humectant, aut siccant qualitativè.

Ex qua doctrina solvitur eiusdem Galeni testimonium 3. de temperam. cap. 2. citato. Vbi docet, quod omne nutrimentum quatenus tale, animalis calorem auget; nam ibi Galenus minimè loquitur de alteratione qualitativa, sed potius de acquisitione partium calidarum loco earum, quæ dissipantur; qua ratione dum Tomo nostro primo de ætatibus egimus, latè docuimus per nutritionem reddi vivens calidum substantificè, & extensivè per acquisitionem partium calidarum, quæ media nutritione quotidie adquiruntur. Hoc tamen sit seclusa qualibet alteratione qualitativa alimenti, seu substantiæ nutrientis. Huic doctrinæ suffragatur noster Vallesius super 3. lib. de temperam. Gal. in comm. 11. per sequentia verba: *itaque proprius effectus alimentorum omnium est augere calorem substantificè & commutari debere alimenta, ut id præstent.* Nihil clariùs pro solutione huius dubioli; ex quo constat, alimenta ut talia, penitus actione alterativa esse denudata, & si ea in principio quatenus sunt futura alimenta, aut veluti alimenta alterare nos valeant, quippe id faciunt quatenus medicamentosas habent qualitates, quæ sine dubio per secretionem, & separationem à natura factam, deperduntur, & cum ab ipsis manent substantiæ tales denudatæ, veram, & legitimam rationem alimenti subeunt. Audite Galenum 3. de temperam. cap. 2. ubi dum sermonem instituit de his, quæ ut nutrimentum comeduntur, ex quibus aliqua cuti imposita, hanc erodunt, paulò infra rationem huius eventus reddens, sic loquitur, *id fieri quia celeriter eorum concoctio, & partium separatio perficitur, ita ut quod conveniens in eis est, assimilatur, quod supervacaneum, & acre per alvum, urinas & sudorem excernatur.* Ut discas omnia, quæ assumuntur, ut nutriant, quantumvis dissimilia sint in principio, quia simul rationem medicamenti participant, tandem secretis partibus alterativis, redduntur vera alimenta, nulla vincenti qualitate prædita, & in fine similia, modo supra explicato.

Dices sæpè accidere, quod varietur temperies viventis de calida in frigidam, per usum alimentorum frigidorum, ex quo duo sequuntur contra nostram doctrinam. Primum, quòd alimenta nos alterent quatenus talia: secundum quòd omne nutrimentum non auget naturalem calorem adhuc substantificè, ut ex Galeno cum Vallesio supra probavimus; patet consequentia, quia dum ex immoderato usu alimentorum frigidorum varietur temperies viventis de calida in frigidam substantificè, ex eo est, quia ex vi alimentorum frigidorum adquiruntur plures partes frigidæ substantificæ: ergo ratione illarum potius dicitur vivens frigidius substantificè: non ergo ex

vi omnium alimentorum redditur vivens calidus substantificè & per consequens effectus proprius alimentorum omnium non est augere calorem viventis substantificè.

Respondeo ad primum: minimè sequi quòd alimenta nos alterent, quatenus talia, sed quia convertuntur in partes calidas, seu frigidas viventis substantificas; idè dicitur quòd vivens variatur in sua temperie per usum alimentorum, non quia ipsa ut talia nos alterent, etsi ante ultimam commutationem possint alterare vivens, quatenus sunt medicamenta.

Secundum difficiliùs solvitur: Caterùm est certum quod ex quolibet alimento etsi frigidum sit acquirere vivens aliquas partes calidas, quippe mixtum est, quod sufficit, ut verificetur de omni alimento, ut calefaciat vivens, saltem extensivè, ex vi acquisitionis aliquarum partium calidarum denuo in viventi.

Contra tamen instari potest hæc solutio; nam cum quodlibet alimentum sit mixtum, necessario ex quolibet reparantur partes diversæ correspondentes omnibus elementis, & humoribus; ergo in sensu in quo est verum dicere quod ex quolibet alimento calefit vivens substantificè & extensivè, (quia ex quolibet generantur partes novæ calidæ) erit etiam verum, quod ex quolibet alimento frigesciat vivens, exciccetur, & humectetur; quia ex quolibet adquiruntur partes substantificæ diversæ biliosæ scilicèt, pituitosæ, & melancholicæ.

Respondeo alimenta omnia quantumvis frigida, quando iam sunt ultimò disposita ad transmutationem, iam esse devicta à calore viventis, & eius qualitates alterativas refractas, & post transmutationem iam sunt informata forma viventis, quæ exposcit calorem, & omnes partes sunt actualiter calidæ: & forsàn de actuali calore debito formæ viventis in partibus denuo acquisitis per nutritionem, debet intelligi propositio Galeni; licèt ex alimentis frigidis remaneant qualitates aliquæ secundæ in partibus, seu modus substantiæ ratione cuius dicantur pituitosæ, & frigidæ, aliæ melancholicæ, & aliæ biliosæ, sicuti quæ ex sanguine quarto humore nutriuntur, dicuntur sanguinæ; quidquid sit de opinione dictante omnes partes nutriuntur ex sanguine quarto humore; quam nostro tractatu de humoribus, Tomo primo refutavimus, nam quatenus attinet ad præsentem difficultatem nihil facit contra adductam solutionem, sed forsàn pro ea, eò quòd omnes partes nutriuntur ex alimento calido, in ea opinione; & idè aliquo modo dici poterat per nutritionem reddi vivens calidum à partibus denuo acquisitis, quæ nutriuntur sanguine quarto humore, seu alimento calido, sed de his plura invenies loco citato.

Tandem videtur vivens non solum reddi calidum extensivè per usum alimentorum calidorum; verum etiam intensivè, nam experimento constat viventia, quæ utuntur alimentis calidis calidiora reddi, & facillimè incidere in morbos calidos. Respondeo ideo esse, quia priusquam convertantur, & dicantur propria alimenta per qualitates alterativas, & medicamentosas, necnon etiam ratione excrementorum calidorum valent alterare, & calefacere vivens, at verò si considerentur quatenus alimenta sunt, & convertuntur in substantiam viventis, minimè possunt ipsum calefacere, imò non potest agens transmutativum

tativum producere in materia nutrimenti, quam in se convertit, tantam intensiorem, quam in se habet, ut communiter Philosophi docent. Unde numquam potest accidere, quod vivens ex vi nutritionis, & acquisitionis novæ substantiæ reddatur calidius intensivè.

CAPUT II.

An quodlibet mixtum possit esse alimentum Corporis humani.

RARS affirmativa videtur esse vera, si philosophicam rationem perpendamus, nam quodlibet agens naturale sua naturali propensione intendit assimilare sibi passum, & capax est inducendi suas dispositiones in materia, & ex alia parte quælibet materia est capax recipiendi quælibet dispositiones, cum ex se sit indifferens ad omnes formas recipiendas: ergo corpus humanum cum intendit mediâ nutritione suam conservationem, & hoc fiat inducendo suas dispositiones in materia alimenti, ut ipsam assimilet in propriam substantiam; & insuper quælibet materia cuiuslibet mixti capax sit ex se recipiendi dispositiones ab humano corpore; videtur corpus humanum posse nutriri ex quolibet mixto, ac per consequens quodlibet mixtum poterit esse alimentum, quæ ratio non solum probat de corpore humano, verum etiam de quolibet viventi.

Neque obstat distantia, & contrarietas, seu oppositio, quæ versatur inter aliqua mixta, & corpus humanum, seu quodlibet vivens, ut ex quolibet mixto possit celebrari nutritio: quippe maior est distantia, & contrarietas inter elementum, & mixtum, quam inter mixtum cum altero corpore mixto, & tamen viventia vegetativa nutriuntur ex elementis terræ videlicet, & aqua: ergo potiori jure poterit quodlibet vivens nutriri ex quolibet mixto, quin obstat contrarietas, & oppositio, ac per consequens corpus humanum, & quodlibet vivens poterit nutriri ex quolibet mixto: non ergo erit repugnantia, ut possit quodlibet mixtum esse alimentum viventis.

Cæterum cum experientia quotidiana suadeat contrarium, & inconcussa sit veritas, quod mixtum quodlibet non possit inducere rationem alimenti, ut constat de lapide, ferro, & alijs fere innumeris mixtis. Operæ pretium erit in presenti controversia, indagare rationem, quare aliqua mixta sunt transmutabilia in substantiam viventis, & aliqua non solum non possunt transmutari, imò nec liquari possunt à calore viventis ut inde sequantur alterationes necessariae pro transmutatione.

In hac hæsitatiōe quidam nostræ scholæ complures Recentior, causam transmutationis refundere voluit in similitudinem dispositionum, seu qualitatum, quæ præcedunt in corpore transmutando, ita ut ex dispositionibus, quæ præcedunt in passio, & ex illis quas agens producit, in ipso, resultet ultima dispositio ad formam introducendam; atque ad eam affirmat ea mixta esse transmutabilia, & dici alimenta, quæ habent qualitates aliquas similes, cæterum, quæ nullam habent similitudinem in qualitatibus, minimè sunt transmutabilia, nec ullo modo rationem alimenti participant.

Henriquez Laurea Medica Tom. III.

Forfan hunc dicendi modum arripuit ex Vallesio nostro cap. 13. in expositione Gal. lib. 4. de simplic. medic. facult. ubi exponens Galeni verba de similitudine alimentorum cum re nutrinda, sequentia adducit verba. *At quod quoniam alimenti ratio, aut contrarij, in eo est quod quid facile mutetur in substantiam nostram, aut non mutetur, id quod nascitur ex similitudine, ac dissimilitudine substantiæ, quæ similitudo non est in qualitatibus primis solum, sed in modo potius substantiæ (nam alterare secundum qualitates medicamenti est; secundum totam substantiam est alimenti) datum esse gustum animantibus, ut dignoscere modi substantiæ differentias, &c.* Quibus verbis clariùs & specialiùs hanc opinionem exploravit, reducens rationem transmutationis non solum ad similitudinem passii in aliquibus primis qualitatibus sed præcipuè in modo substantiæ, qui potius videtur pertinere ad alimoniam, cum similitudo qualitativa magis propria sit medicamenti; & quidem videtur talis opinio ex visceribus doctrinæ Galeni desumpta lib. 4. citato de simplic. medicament. facult. capite 13. ubi sequentia subdit verba: *Atamen eorum, quæ in esse mutuo transeunt, quadam promptam, celeremque, quadam difficilem, & diuturnam alterationem obtinent: at quæ similitudinibus propinquasunt, celerem: quæ verò remotiora tardiores.* Oportebat itaque meo quidem iudicio innasci animantibus organum, quod naturæ similitudines, ac dissimilitudines, discernendi potestate polleteret, quo agnoscens rerum naturas familiaria quidem eligeret, aliena verò refugeret: eiusmodi ergo lingua est. Ergo si Gal. verba ad amissum perpendamus, videtur transmutationem, seu rationem alimenti, in similitudinem esse refundendam. Nam si quæ remotiora sunt in similitudine, diuturnam, & difficilem habent transmutationem, quæ verò simillima, celerem, sine dubio deducitur, quod ea mixta, quæ nullam prorsus habent similitudinem, neutiquam sint transmutabilia. Quæ verò debeat esse similitudo ex Vallesio supra didicimus. Liquidò ergo constat transmutationis rationem in similitudine contingere, quam per dulcedinem explicuit Galenus in alimentis cap. 14. libri citati, per sequentia verba. *Siquidem quod nutrit à similitudine, quæ illi est ad id, quod nutritur, dicitur dulce: à dissimilitudine non dulce.* Nihil clariùs pro validatione huius asserti.

Hanc opinionem adductam à Recentiori supra citato de similitudine in aliquibus primis qualitatibus acerrimè impugnat Magister noster Doctor Martinez suo Tomo fol. 165. nam ex ea sequeretur omnes generationes esse per accidens, cum quælibet transmutatio fiat, ex eo quod resultet ultima dispositio ex qualitatibus, quæ præfuerunt in materia, & ex ductis ab efficienti; sic accidit in materia putrida, dum inducitur forma sedimenti; & in alijs generationibus per accidens: sed eodem modo fit transmutatio in generationibus per se: ergo omnes sunt per accidens.

Cæterum hæc ratio non probat, nec convincit assumptum; nam ea est differentia inter generationem per accidens, & per se; quod illa resultet ex dispositionibus præexistentibus in materia, & ex aliquibus, quas agens inducit, dummodo resultet dispositio media & ultima, ad alteram formam

prius quam agens producat omnes requisitas pro sua forma, & hac ratione optimè intelligitur, quod sit illa forma per accidens, & præter intentum agentis inducta. Hæc doctrina clarè intelligitur in materia putrida, quando calor noster naturalis intendit ipsam assimilare in propriam substantiam; nam ex dispositionibus, quæ in ipsa præexistunt, & ex his, quas producit agens naturale, prius quam inducat omnes requisitas ad formam propriam, resultat ultima dispositio ad formam sedimenti, & ea ratione dicitur per accidens. Patet etiam hoc ipsum in generatione mixti ex quatuor elementis; in quâ, quia neutrum ex elementis potuit inducere omnes suas dispositiones pro generatione sui similis, & prius resultavit media, & ultima dispositio ad formam mixti, præter intentum elementorum, per accidens resultavit forma mixti. Cæterum si aliquod ex elementis produceret prius omnes suas dispositiones, etiamsi fieret in materia elementi symboli, seu similis in aliquibus qualitatibus primis sine dubio illa esset generatio per se, unius elementi ex alio, & minimè fieret generatio mixti: ergo etiamsi dispositiones materiæ similes coadiuvent ad ultimam dispositionem, & ad formam intentam per se, non tollunt, quò minùs illa generatio sit per se, quia fit ex vi omnium dispositionum ab agenti per se inductarum: ergo etsi conducant qualitates similes ex parte materiæ ad transmutationem; non tamen ex eo sequitur, esse per accidens omnes generationes.

Ulteriùs impugnat Magister eandem assertionem, ab inconvenienti, etenim ex ea sequeretur, quod quemadmodum agens potest transmutare passum; propter similes aliquas primas qualitates, etiam passum possit in se transmutare agens, cum in agente etiam sint similes qualitates. Hoc autem constat esse falsum in igne, cum à nullo possit transmutari: ergo transmutatio neutiquam fit ob similitudinem.

Certè frivola ratio, nam actio semper fit à proportionem maioris inæqualitatis in bona Philosophia, unde arripit denominationem agentis; & sic passum numquam potest transmutare agens; nam etsi agens sit simile passo, tamen habet intensiorem virtutem, à qua fit actio, & transmutatio; futile ergo est argumentum.

Efficaciùs impugnatur Recentioris doctrina, ex eo quòd si agens produceret omnes suas dispositiones in passo omnino dissimili, sine dubio ipsum transmutaret in se, ut patet in generatione unius elementi ex altero dissimili: ergo transmutatio in alimentis non fit præcise ratione similitudinis in aliquibus primis qualitatibus præexistentibus in alimentis. Nam si pars viventis produceret omnes suas dispositiones in alimento aliquo omnino dissimili, sine dubio ipsum transmutaret: ergo solum in efficacia & vim agentis reduci debet transmutatio; consonat Galenus cap. 15. lib. citati, ubi ait. *Similia alimenta non indigere preparatione, dissimilia vero indigere, nam antea insuavia sunt.* ex quo colligitur in doctrina Galeni non esse necessariam aliquam qualitatem similem in alimentis ad transmutationem. Sed de similitudine requisita ad transmutationem infra latius dicemus.

Alij ex Antiquis Philosophis rationem transmutationis, subordinationibus formarum tribuerunt; ita ut quemadmodum non potest induci forma acetæ; quin præcedat forma vini, neque forma cadaveris, quin præcedat forma viventis; sic in nutritione ea alimenta esse convertibilia in substantiam viventis, in quibus præcedit forma cadavericâ, quæ media est, & veluti subordinata ad formam viventis. Doctor Sancta Crux sequitur hanc doctrinam, & affirmat viventia non nutriri, nisi ex mortuis, ratione subordinationis prædictarum formarum; & eadem ratione philosophantur, qui timentur opinionem de subordinatione animarum, ita ut ante animam sentivam, præcedat necessario vegetativa, & ante rationalem, sensitiva.

Neque immemor sum sententiæ & opinionis subtilissimi Doctoris Scoti, qui concedit formam corporeitatis mediam, & minè oppositam cum forma viventis. Neque etiam immemor sum doctrinæ, quam ego adduxi: Primo Tomo nostræ Laureæ Doctoralis Complutensis, dum sermonem feci de continentia elementorum in mixtis, nam ibi docui perseverare formas substantiales elementorum in mixtis, & minimè esse oppositas cum forma mixti, sed esse formas medias, & subordinatas ad formam mixti; totum quod denuo fateor, aramen optimè compatitur cum hac doctrinâ, quod formæ ipsæ non conducant pro forma mixti, nec forma corporeitatis pro forma viventis per se, cum huiusmodi formæ nihil influant in subsequentes. Si tamen ratione dispositionum, quibus conservantur aliquid conducunt, remanet difficultas in sua vi, & examinare oportet, quæ sit illa dispositio, ratione cuius aliqua alimenta sint convertibilia, & alia minimè, ex quo constat subordinationem formarum, non esse rationem transmutationis nisi assignemus rationem alteram, de qua est controversia. Præcipue cum satis certum sit inter logicos formam antecedentem non esse principium entis naturalis, licet necessario præcedat in materia, sed omnino per accidens se habere, ad fieri novi entis, ex quo hæc doctrina manet debellata.

Magister tamen noster loco supra citato, eam impugnare intendit ex eo quòd, & formæ sint incompossibiles, & dispositiones contrariæ, & sic neutiquam fieri transmutationem per subordinationem formarum. Non tamen vidit Magister formas medias non esse contrarias, neque per se, neque per suas dispositiones, & sic futile omnino est sua impugnatio. Sed ad rem nostram redeamus, & inquiremus rationem ex alio capite, cur aliqua alimenta sint transmutabilia, & alia minimè.

Cæterum in re ita ardua antequam mentem nostram aperiatur, supponere est necessarium; ad transmutationem unius ex alio, necessariam esse validam virtutem, & efficaciam ex parte agentis, sic ignis, & omnia elementa, & calor noster natus, & influens inter agentia valida numerantur ad generationes, & transmutationes faciendas.

Ulteriùs notandum est ad actionem, seu generationem non solum esse necessariam virtutem validam ex parte agentis, sed etiam dispositionem ex parte passi; ut fiat transmutatio, seu generatio ex proportionem agentis ad passum, nam sæpè accidit,

C.II. An quodlibet mixt. possit esse alim. &c. 87

accidit, quod agens licet sit validum in intentione, & activitate, tamen quia passum non est proportionatum, & validè resistit, frustretur actio efficientis, ut accidit in lapide, aut ferro, nã quantumvis alterentur à validissimo calore nostro naturali neque liquantur, neque transmutantur propter improportionem, & resistetiam, non solum activam, sed etiam passivam; quæ non solum consistit in primis qualitatibus contrarijs, verum in modo substantiæ, qui sequitur immediatè illam formam substantialem, & forsan remotè talem proportionem primarum qualitatuum, ut neutiquam sit variabilis, nec vincibilis, quantumvis ab agente alteretur tale mixtum per primas qualitates, ac per consequens ea mixta, quæ habent talem modum substantiæ invincibilem, & invariabilem, dicuntur improportionata, & incapacia ad transmutationem; ita ut si invincibilitas sit absoluta, & perversio in modo substantiæ, qualis reperitur in lapide propter suam duritiem, tale mixtum minime poterit esse alimentum, quia quantumvis alteretur à nostro calore, minime poterit perverti, nec variari eius modus substantiæ, & sic forma; ab illo dependens; non poterit corrumpi, nec transmutari in substantiam viventis, quia deficit proportio inter agens, & passum.

Uterius aliqua sunt mixta quæ habent talem improportionem respectivam, sic quotidie videmus alimenta aliqua ab aliquibus transmutari, quia validiorem habent virtutem activam, & proportionatam respectu talium alimentorum; sufficientem ad vincendum modum substantiæ, ab alijs minime transmutari, quia calor eorum naturalis non est sufficiens ad variandum modum substantiæ, eò quod major sit resistentia passivi, quàm virtus agentis. Imò in eodem sæpè numero videmus modo non posse commutare, (exempli gratiã) ova dura, ob debilem calorem minime prævalentem supra resistentiam passivi, & in alia occasione, validiori existenti calore, commutare eadem ova dura, quia poruit vincere resistentiam passivi, & modum substantiæ pervertere, inducendo omnes dispositiones requisitas pro transmutatione, & assimilatione in propriam substantiam.

Demum: Notandum est, quod etiam resistentia in primis qualitatibus contrarijs retardat vim agentis, & sæpè numero omnino impedit eius actionem (ut in venenis frigidis quotidie accidit) in quibus non solum non celebratur nutritio, imò & calor natus manet extinctus, & vivens corruptum: ergo resistentia, & proportio in mixtis, seu alimentis, sive activa ex parte primarum qualitatuum, sive passiva ex parte modi substantiæ invincibilis, reddit talia mixta, seu alimenta incapacia ad nutritionem. Econtra verò ea omnia mixta, quæ habeant proportionatas qualitates sive primas, sive secundas in modo scilicet substantiæ, quæ licet aliquantulum resistant; tamen ex vi actionis naturalis caloris, & perseverantia ipsius, devicta manent: ea sunt alimenta; quoniam proportionata respectu agentis seu caloris naturalis viventis, à quo inductæ fuerunt omnes dispositiones requisitæ pro sua forma; quin obstiterit resistentia nec activa, nec passiva in passo: & licet in alimentis præcesserint aliqua qualitates, seu dispositiones similes viventi, sine dubio conducent ad cele-

riorem transmutationem; tamen per accidens erit ad absolutam transmutationem, quod ipsæ præcesserint in passo, quando quidem agens ipsas produceret sua ingenti activitate etiam tardiori tempore.

Ex his colligitur totam rationem transmutationis in alimentis debere refundi in validam virtutem efficientis proportionatam cum resistentia activa, & passiva in primis qualitatibus & modo substantiæ ipsius alimenti transmutandi. Vnde ea mixta erunt alimenta, & transmutabilia, quæ habent talem resistentiam proportionatam, & vincibilem respectu agentis intendentis assimilationem in propriam substantiam aliti; quod accidit quando vivens medio calore naturali, & toto temperamento, quo utitur veluti instrumento ad nutritionem, producit in alimentis omnes dispositiones requisitas pro sua forma; & hoc cum dependeat ex hoc, quod resistentia alimentorum non sit tanta; quæ omnino impediatur, quo minus vivens possit introducere omnes suas dispositiones pro sua forma, sit inde, quod capacitas in mixtis; seu transmutabilitas in alimentis componatur ex duobus, & ex valida virtute efficientis, & ex proportionata resistentia ipsorum alimentorum, ea scilicet, quæ sit vincibilis tam in primis qualitatibus, quàm in modo substantiæ, quæ est magis propria alimentorum, ut suã solitã acutie annotavit noster Vallesius in verbis supra relatis. Duo igitur importat nutritio, ut fiat ex mixtis, seu alimentis, quæ sint propriè talia; & capacia ad nutritionem, & activitatem validam efficientis, victricem, & proportionem in passo, seu alimento ratione cuius prævaleat virtus viventis, quod nascitur ex modo substantiæ vincibili, & primis qualitatibus remissè resistentibus.

Hanc proportionem inter alimenta, & vivens explicuit Galenus 4. lib. de simpl. medic. facult. per similitudinem; & insuper, similitudinem hanc vocavit dulcedinem, quia scilicet moderatã temperie gaudent alimenta, ratione cuius facilè transmutantur; quã ratione cap. 9. lib. citati sic ait. *Amarum edi non posse propter caloris excessum, verum dulce omne calidum est; neque immodicè calorem nostrum exuperat.* Ex his constat alimenta, seu mixta, quæ intensissimam habent frigiditatem, aut siccitatem alere non posse, ob validam resistentiam activam; & quia huiusmodi intensio primarum qualitatuum semper conjungitur cum modo substantiæ invariabili; & invincibili ab agente alterante; quæ vero mixta dulcia sunt, sunt similia. Hoc est, habent mediocrem temperiem, & modum substantiæ facilè variabilem, & vincibilem à calore viventis, & sic sunt proportionata ad conversionem; & alimenta viventis dicuntur ea omnia mixta, quæ hac proportione pollent; quin sit necessarium recurrere ad subordinationem formarum, neque ad solam similitudinem in aliquibus primis qualitatibus, ut superius impugnavimus.

Hanc proportionem inter vivens, & alimenta ad transmutationem notificavit Galen. 1. de alimentor. facult. cap. 1. ubi sic fatetur: *Alimenta ergo citi, tardive transitus esse compariuntur, alias ob naturalem nostram ab initio constitutionem, alias ob ventris dispositionem acquirunt, nonnunquam ob peculiarem aliquam esculentorum, ac poculentorum substantiam: quandoquidem*

de Camaleone communiter cum Plinio referunt authores, lib. 8. cap. 37. de historia animalium : nempe solo aere sustentari nullo alio alimento devorante. De salamandra etiam Authores referunt igne nutrirī, ex eo quod in ipso conferretur, quin activitas, & voracitas huius elementi opponatur suo vitali principio, cum potius conservetur in medio ignis, seu in ipsa flamma : ergo elementa optime possunt nutrire.

Verior tamen opinio est elementa minimè posse nutrire, si ea rigorosa significatione consideremus, quatenus sunt corpora simplicia, omnino impermixta, hanc opinionem communiter amplectuntur ferè omnes authores. Socius tamen noster affirmat in suis manus scriptis, elementa adhuc impermixta posse nutrire remotè, non tamen proximè ; Hoc est ex elementis fieri per mixtionem, corpora mixta, quæ proximè sunt capacia ad nutrimentum. Cæterum hoc est valde frivolum ; nam quando mixtum proximè, & immediatè nutrit, jam in sua opinione corruptæ fuerunt formæ elementorum, ita ut verum sit dicere fuisse elementa, & solùm perseverare materias ipsorum ; sed quod non existit nec remotè potest esse alimentum, cum solùm perseveret extrinseca, & ferè ficticia denominatio, ex præexistentia præterita formæ elementi in illa materia : ergo frivola est ratio alimenti remoti in elementis, & parvi momenti ad rem de qua agimus ; quippe elementis nullum præstant influxum ad nutritionem ; neque in genere causæ materialis. In nostra tamen opinione in qua fatemur continentiam formalem elementorum in mixtis, melius poterat habere locum talis assertio ; siquidem in mixto immediatè, & proximè disposito ad nutritionem, perseverant formæ elementorum, ratione quarum in mixto conservatur heterogeneitas partium requisita pro coctione, & nutritione, ut infra latius constabit, ut cumque ergo sit parvi est momenti talis distinctio ; etenim idem est asserere elementa remotè esse alimenta, ac si dicamus mixta porportionata ad proximam nutritionem fuisse facta elementis.

Nostra ergo conclusio probatur primo auctoritate Galeni 3. de ration. vict. in morb. acut. comm. 17. ubi sic fatur. *At qua nullo modo nutriunt sicuti aqua, neque virtutem imbecillitare, neque roborare verè possis dicere.* Nihil clariùs pro validatione nostri placiti. Ulteriùs idem Aucthor. 4. de sup. cap. 5. de aqua sermonem instituens, & de ipsius usu tenet expresse esse vehiculum nutrimenti, *neque enim* (inquit Galenus) *ex ventriculo in venas commodè transsumi poterat chilus iam ex cibis factus, neque facile transire venas, quæ sunt in hepate, & multæ, & angustæ, nisi tenuis quidam, & aqueus humor fuisset ei admixtus, ut vehiculum.* In hunc itaque usum subservit animalibus aqua, si quidem ex ea nutrirī nulla particula potest. Clariùs tamen 4. aphorism. com. 3. nostram opinionem exploravit per sequentia verba. *Aqua verò neque epota neque extrinsecus adveniens potest de sua natura solidas animantis partes humectare.* Loquebatur de alimentis idoneis ad nutritionem partium solidarum, & nutritionem per humectationem partium solidarum explicat ; ut qui totum commentarium legerit clarè videbit : ergo iuxta mentem Galeni aqua (idem est de quolibet corpore simplici, aut elementali) neutiquam poterit nutrire. Et qui-

dem Aristot. lib. de sensu & sensibili intendit demonstrare contra Pitagóricos aquam non nutrire, quia nullum simplex elementum potest corpus mixtum nutrire : ratio ergo æque probat de omnibus elementis.

Ratione etiam suadetur assumptum, siquidem nullum alimentum potest nutrire, nisi sit capax coctionis ut pote priùs debet coqui alimentum ; quam nutriat, sed nullum corpus simplex, five elementale, est capax coctionis : ergo neque est capax nutritionis. Minor ; in qua stat difficultas probatur ; nam modus substantiæ, qui resultat in alimentis per coctionem, ratione cuius dicitur perfectivus, & coctio dicitur perfectio, sine dubio fit iuxta Philosophi doctrinam ex oppositis patibilibus ; hoc est ex proportionem partium humidarum cum siccis, ut nostro Tomo primo ; tractatu de coctione latè docuimus ; ergo ad coctionem necessariò requiritur diversitas, & heterogeneitas partium, sed corpora simplicia omnino sunt homogenea : ergo quantumvis à nostro calore alterentur, minimè possunt adquirere modum substantiæ, qui est terminus coctionis, ex oppositis patibilibus ortum, hoc est ex proportionem partium humidarum cum siccis, sicuti fit ex farina, & aqua : ergo corpora simplicia minimè possunt coqui, & per consequens nec nutrire valebunt, neque habere crassitiem, & adhaerentiam, seu viscositatem necessariam pro nutritione, qualem agnovit Galenus esse necessariam 7. met. cap. 6. qua etiam ratione Arist. sect. 2. Problemat. cap. 12. de tritico loquens, tenet esse multi nutrimenti, quoniam viscidum, & crasum est ; cum ergo crassities sit necessaria ad nutrimentum, & aqua, neque ullum aliud corpus simplex, quantumvis alteretur à nostro calore possit acquirere crassitiem, nec viscositatem aliquam ; manifeste deducitur nullum elementum, seu corpus simplex posse esse alimentum nostri corporis, neque ullam posse acquirere, nec participare pinguedinem, ratione cuius affigi possit, & affixa nutrire.

Neque contra nostram sententiam aliquid facit quod habitus, seu vapores odoriferi possint nutrire, quin obstat tenuitas maior ipsorum, quam sit in aqua : ergo aqua etiam poterit nutrire, & aer. Etenim ex ipsis vaporibus nullum firmum membrum nutritur, sed spiritus generantur ; & si forsan apti sunt ad nutritionem, idè est, quia sunt corpora mixta, licet tenuissima : aqua verò impermixta, & aer impermixtus, corpora sunt omnino simplicia, idèque incapacia ad nutritionem, propter adductam rationem.

Ex his laboriosum non erit satisfacere argumentis pro contraria parte adductis. Ad primam rationem dicimus optime posse induci formam mixti in materia elementorum, vel unius elementi alterata per dispositiones reliquorum, ut probat secundum argumentum, per mixtionem, minimè verò per nutritionem. Quoniam elementum seu corpus simplex est omnino homogeneum excludens diversitatem partium, seu heterogeneitatem necessariam ad modum substantiæ pro coctione requisitum ut superius probavimus in validatione nostræ conclusionis, & sic nullum elementum potest nutrire, propter defectum diversarum partium ; sed solùm ea corpora mixta, quæ sunt proportionata cum virtute agentis, & habent modum substantiæ

vincibilem. Ex quo patet etiam solutio ad secundum argumentum. Ad confirmationem Responderi potest cum plausibili doctrina. Sapientissimorum virorum; mixta viventia, quæ capacia sunt nutritionis non fieri immediatè ex elementis, sed potiùs per generationem, medio instrumento seminali, quod verum est mixtum continens eminenter aut formas elementorum, aut virtutes ipsorum; unde cum non simus facti immediatè ex elementis, ex ipsis non nutrimur; sed ex substantia mixta capaci recipiendi terminum coctionis, per diversitatem partium quibus ornatur.

Ad argumentum desumptum ex autoritate Hippocratis lib. 1. de vict. rat. dicimus; aut non loqui de aqua omninò simplici, seu elementalì, sed aliquantulum permixta, quæ potest nutrire ratione corporis permixti, etsi forsàn concedamus loqui de aqua elementalì pura, non est intelligendus de vera nutritione, sed de necessitate ipsius pro nutritione celebranda, quia se habet tanquam vehiculum omninò necessarium pro penetratione, & conductione alimenti per minimas, & angustas venas. Et in hac significatione intelligendus est Philosophus 1. sect. problem. non quia aqua impermixta verè, & propriè nutriat.

Neque Hippocrates, & Galenus in expositione textus citati ex 3. de ratione victus aliquid probant contra nos, nam licet sit potentior mulla, quàm aqua, non inde sequitur, aquam aliquam licet debilem habere nutritionem, sed salvatur locus ex eo, quod aqua sit necessaria ut vehiculum, mulla verò ut nutrimentum & vehiculum, & licet aliquam potentiam concedat in aqua, non est quia nutriat, sed quia tardiùs exolvantur homines utentes sola aqua, quippe humectans ventriculi os, prohibet resolutionem, & sic durat amplius. Quo Respondetur, ad Alberti Magni experimentum Melancholici, qui vixit pluribus mensibus solo aqua potu; impediendo resolutionem faciendam à calore nativo, qui quantò magis remissus est, minùs consumit de excrementis, quæ habent vicem pabuli, & sic sola aqua vivunt homines, non quia ipsa nutriat, sed quia per accidens conducit ad durationem viventis. Galenus autem ad Tyrones citatus juxta legitimam versionem, quàm adducit Vallesius noster non dixit *aqua verò minimum alimentum præbet, sed minimum permutacionem*, quod est verum in sensu allegato.

Argumentum desumptum ex Plinio de nutritione Camaleonis ex aère, frivolum est, nam de solo aère elementalì est falsum; de impuro autem habet fundamentum, quatenus in ipso sunt quædam corpuscula, ex quibus tale animal sustentatur. Neque experientia de Salamandra est vera, quandoquidem efficacia, & voracitas ignis omnia comburit, & consumit, & sic Salamandra non nutritur igne, sed ab ipso consumitur. Si autem aliquo tempore in igne conservatur, ideo est, quia hujusmodi animal est frigidissimum, & humidum, & ab ore ipsius aliqua saliva, seu humiditas expellitur, quæ per minimum temporis spatium ignis actionem, & combustionem retardat. Hoc autem non est nutriri ex igne: Ex quo liquido constat nullum elementum impermixtum posse nutrire.

CAPUT IV.

An Venenum possit nutrire.

TENTER corpora mixta plura sunt venenosa, quæ oppositionem habent cum innato viventis calore, & ita adversa sunt, ut homines celerrimè interficiant, de quibus in præsentiarum procedit litigium. An scilicet aliqua sint venena, quæ licet adversam habeant cum nostra vita naturam; nihilominùs possint à nostro calore naturali debellari, itaut in propriam viventis substantiam transmutentur, & omnimodè victa maneat.

Partem affirmantem pluribus historiis possumus suadere; sit prima ex Gal. lib. 1. de simplic. medic. facult. ubi refert historiam vetulæ, quæ nutriebatur *cicuta*. Avicen. etiam lib. 4. fen. 6. tract. 1. cap. 6. refert ex Riso puellam quamdam fuisse nutritam *Napelo*, ut interficerentur Reges, si cum ea coirent; insuper Galenus lib. de Theriac. ad Pison. testificat viperas edi ab Egypciis, & 3. de aliment. facult. cap. 3. de Limacibus titulo circa medium capitis tener, viperas, alioque serpentes in Ægypto, & apud aliàs quasdam gentes edi. Plinius etiam lib. 6. de histor. animal. cap. 29. testatur Populos quosdam Rubro mari finitimos serpentibus victitare: Theophrastus etiam lib. de hist. animal. cap. 18. narrat, Pastores eleborum circa noxam devorare, & interdum integros manipulos. Similiter ex Buteri relationibus planè constat in Libiæ regione quasdam gentes nutriri Bufonibus:

Specialis etiam historia invenitur apud Iulium Cæsarem scaligerum exercitatione 175. ubi refert, à Rege Cambasæ filium veneno esse educatum & ita venenosum evasisse, ut muscas accedentes solo halitu necaret, & quemcumque necare voluerat solo sputo in cutem coniecto, interfecisset; & insuper vix ullam ex uxoribus, quæ cum illo rem habuerat mortem in proximum diem effugere potuisse. Consonat Cardanus de venenis scribens, ubi narrat se vidisse puellam trimam, quæ Araneas mira cum voluptate citra damnum aliquid comedebat; & Albertus Magnus idem testificat. lib. 1. de Animalibus cap. 8. de Puella altera in Colonia, quæ quam citò à Matre sua aufugere poterat, angulos domus sollicitè perquirebat, & quotquot poterat capere Araneas manducabat. Ex quibus historiis, & aliis quamplurimis, quas Authores passim referunt, planè constare videtur, venenata corpora posse inter alimenta reponi, & corpora nostra nutrire.

Neque contemnenda ratio poterit formari in hujus asserti validationem, ex eo quòd venena omnia frigida. Indigent calore nostro, ut actuentur, itaut minimè possint effectum suum præstare, quin priùs à nostro calore calefiant; ita Galenus 3. de temper. cap. 5. & 3. simplic. cap. 18. quo tanquam certò præsupposito, videtur omnia frigida venena posse nutrire, cum omnia vincantur à nostro calore, & ab ipso liquentur, ut possint indulgentiam coctionis à natura recipere: si ergo calefiunt à nostro calore, saltim videtur non posse interficere sua frigiditate; imò potiùs victa, & refracta posse converti in nostram substantiam cum nihil in ipsis venenis frigidis

Cap. IV. An venenum possit nutrire. 91

gidis remaneat, quod opponatur principio vitæ; si quatenus frigida sunt venena considerentur: ergo saltem frigida venena possunt esse alimenta.

Si autem aliquis Respondeat, talia venena frigida à nostro calore calefieri, ut actuentur; postea autem post alterationem à calore factam frigidissima reddi, & per ipsam frigiditatem de nudo comparatam post actuationem necare vivos. Contra instatur nam ex hac solutione sequitur contra communem Medicorum opinionem dari mixta potentia frigida; quod solum de mixtis calidis conceditur, sicut de pipere, & de venenis calidis, & corrosivis, quæ à tota substantia opponuntur principio vitæ: ergo vel incidere debemus in peculiarem opinionem, aut fateri est necessum, saltem venena frigida posse nutrire nostrum corpus.

Cæterum pro solutione præsentis difficultatis, & clariori intelligentia notandum est: diversa esse genera venenorum; quædam sunt venena à tota substantia aliena nostræ naturæ, & omnino deleteria secundum omnes suas partes, quale est *Arsenicum*; alia verò sunt venena, quæ licet sua qualitate interficere possunt, & opponantur reventi principio vitæ; non tamen sunt aliena, & adversa naturæ secundum omnes suas partes, hujus generis sunt plantæ, & animalia, quorum tota substantia non est venenata secundum omnes partes, sed aut succus tantum vel aliqua pars.

Igitur de omnibus venenis, quæ à tota substantia sunt talia, & secundum aliquas partes, certum est esse inimica nostræ naturæ: ita Galeus lib. 3. de temperem. cap. 3. naturam veneni sic descripsit. *Venenum est quod humani corporis temperamentum destruit, vincit, atque permutat.* Idem testificat Avicenn. lib. de viribus cordis tractat. 2. cap. 1. in fine, quem sequitur Nicolus tractat. 4. ferm. 4. de venenis cap. 1. & Conciliator differ. 78. & lib. de venenis cap. 1. subscribunt Valerius lib. 3. de locis communibus cap. 18. Mercurialis lib. 1. de venenis cap. 5. Cæsalpinus lib. 3. praxis, qui est de venenis cap. 2. est ergo venenum complexionis nostræ destructivum, & naturæ adversum.

His præactis sit prima conclusio, venena, quæ à tota substantia dicuntur talia (ut *Arsenicum* & similia) minimè possunt esse alimenta, adhuc si in minima quantitate devorentur. Probatur ex doctrina Galeni lib. 3. de temperam. cap. 4. ubi tenet talia venena corrumpere nostrum temperamentum, & ipsum omnino inquinare; vitæ adversari, eo quod principiis vitalibus vehementer opponuntur ut symptomata, quæ venena sequuntur, planè demonstrant: nam cæcæ, & delitescente vi cruciatibus nos fatigant, & totius naturæ dissidio, vitæ nostræ primordia demoliuntur, ex quibus patet talia venena à forma specifica substantiali, & occulta quadam, & indicibili proprietate corporibus nostris esse infesta. Quomodo ergo hujusmodi venena poterunt alere, & reparare substantiam deperditam, quandoquidem omnino subvertunt naturale temperamentum à quo cœctio, & nutritio celebrari debent. Et confirmatur ratione Philosophica, nam actio victoriosa celebratur inter agens, & passum à proportionem vincens; sed calor noster naturalis, à quo celebratur nutritio minimè poterit vincere, & domare venenosa mixta, quæ à tota substantia sunt deleteria secundum omnes partes: imò potius eo ipso, quod à nostro calore actuantur; ipsorum venenica virtus omnino subvertit naturale temperamentum, & spiritus vitales dissolvit, & nativum cordis temperamentum corrumpit: ergo potius natura victa manet, & naturale temperamentum debellatum. Ac per consequens minimè poterit prevalere ejus actio contra insidias venenicas; nec poterit reparari nostra substantia deperdita per nutritionem media alteratione, eorum mixtorum, quæ venena dicuntur à tota substantia. Et confirmatur nam alimentum debet esse simile corpori nutriendo, sed hujusmodi venena neutiquam sunt similia, imò omnino adversa corpori nutriendo: ergo etiam si in parva quantitate devorentur non possunt esse similia, neque idonea ad nutritionem, siquidem etiam in minima quantitate, servant eandem naturam, & eadem specificam formam informantur: ergo si in magna quantitate omnino sunt dissimilia viventi, & ita adversa, ut non possint esse alimenta: etiam in minima quantitate assumpta minimè possunt nutrire.

Neque valet si dicas: in minima quantitate devorata, non interficere vivos, neque horribilia accidentia præstare: ergo in minima quantitate assumpta possunt nutrire. Non inquam valet, nam etsi non interficiant in minima quantitate, non idè bene inferitur nutrire posse: nam virtus non est ita activa, neque sphaera activitatis se extendit ut agat in totum corpus, neque accedit ad cor, imò potius natura irritata, talem minimam portionem veneni extra corpus propulsat, vel ad ambitum corporis, & sic nec nutrit, neque interficit vivos, ac per consequens talia venena adhuc in minima quantitate devorata, minimè possunt esse alimenta, cum habeant deleteriam vim, & naturam.

Neque valet si dicas: in minima quantitate devorata, non interficere vivos, neque horribilia accidentia præstare: ergo in minima quantitate assumpta possunt nutrire. Non inquam valet, nam etsi non interficiant in minima quantitate, non idè bene inferitur nutrire posse: nam virtus non est ita activa, neque sphaera activitatis se extendit ut agat in totum corpus, neque accedit ad cor, imò potius natura irritata, talem minimam portionem veneni extra corpus propulsat, vel ad ambitum corporis, & sic nec nutrit, neque interficit vivos, ac per consequens talia venena adhuc in minima quantitate devorata, minimè possunt esse alimenta, cum habeant deleteriam vim, & naturam.

Sit secunda conclusio: Venena frigida, & quæ à tota substantia, & secundum omnes partes non sunt deleteria possunt esse alimenta. Probatur ex Gal. lib. 3. de simpl. med. facult. cap. 18. ubi verba sequentia posteritati commendavit: *Eorum ergo medicaminum, quæ frigore interimunt, nullum genere lethale est, sed sola quantitate. At in erodentibus, putrefacientibus, atque excalefacientibus haud ita se res habet.* Quibus verbis manifestè nos docet frigida venena sola quantitate esse deleteria, & minimè toto genere præter naturam, ac proinde, si in parva quantitate devorentur, posse nutrire, & vinci à nostro calore, cum non habeant talia mixta deleteriam vim; & insuper etiam per ultima verba adducta: Prima nostra conclusio revalidatur amplius: cum expressè loquatur Galenus de venenis à tota substantia, & toto genere deleteriis, qualia sunt erodentia, putrefacientia, atque excalefacientia venena; in quibus nulla est pars quantumvis minima, quæ possit vinci à nostro calore, neque possit habere similitudinem cum partibus nutriendis. Constat igitur ex Galeni doctrina venena aliqua posse esse alimenta, saltem si in minima quantitate devorentur, frigida videlicet. Erodentia verò neque in minima quantitate posse nutrire. In cuius rei confirmationem perpendite nostri Valesij aurea verba lib. 9. controvers. cap. 12. super Galeni verba citata. *Quæ quantitate talia sunt (loquitur de venenis frigidis) nisi quantitate commoda bibantur, possunt usque adeò vinci, ut pro veneno alimentum*

fat: quod verò genere est tale, nulla quantitate potest nutrire; quamquam in aliqua non interimat. Quibus verbis ad amissim totâ rem exploravit, & Galeni mentem aperuit, & nostram assertionem validavit: & in calce eiusdem capituli ulterius subdit Vallesius sic. *Contrarium enim plene, paulò antea diximus. ex 3. de simplic. posse scilicet frigida superari integrè, & nutrire: calida non posse.* Nihil clarius: ergo iuxta mentem Galeni, & iuxta expositionem nostri Vallesii, liquidò constat aliqua venena posse participare rationem alimenti (frigida scilicet) quoniam interdum integrè superari possunt à nostro calore.

Neque opponitur adductâ doctrinâ idem Galen. qui 5. de simplic. citat. docuit frigus inter delecteria venena numerari; nam lib. eodem cap. 117. Solvit dubiolù per sequentia verba. *Fungus frigida, humidaque planta est admodum, unde, & proximè ad deleteriam facultatem accedit, & sanè inter eos sunt, qui etiam interficiunt, potissimum, qui naturam habent mixtam, qualitatem scilicet putredinosam.* Ex his constat aliqua esse venena frigida omninò deleteria, quæ interficiunt media putredine, quod non tollit aliqua esse frigida venena, quæ cum integrè superentur à nostro calore saltem in minima quantitate possunt nutrire.

Consonat his, quæ de venenis à tota substantia deleteriis diximus supra, eruditissimus Iacobus Grevinus lib. 1. de Venenis cap. 1. ubi docet: impossibile esse ut homo se paulatim ad usum venenorum assuefacere possit, ita ut ipsis nutriatur; sed potius naturam adsuescere ut primò parvam, deinde maiorem paulò quantitatem veneni à corpore expellere possit; ita ut tandem magnam etiam quantitatem si offeratur expellere queat saltem ad ambitum corporis, ut in cachexia, elephantiasi, & morbo gailico laborantibus sæpe sæpiùs videmus. Non ergo rectè inferitur ex eo quod venenum non interficiat devoratum, quod nutriat, cum sit magis consonum rationi id quod Iacobus Grevinus doctissime advertit.

Solum restat solvere argumenta ex adductis historiis: ex quibus videtur venena posse nutrire; ad quæ faciliè Respondetur, si de venenis, quæ à tota substantia talia non sunt intelliguntur; sed de illis venenis, quæ habent aliquas partes immunes à deleteria virtute; de quibus libenter concedimus posse nutrire, ut de venenis, seu plantis frigidis constat; necnon etiam de partibus animalium venenosorum, de quibus probant supradictæ historiæ, etsi forsan verum est quod de Rege Cambasæ adductum est; cuius filium ita educatum fuisse veneno testantur Authores, ut Muscas solo halitu necaret, & solo sputo in cutem coniecto, minimè probat veneno fuisse nutritum à tota substantia deleterio; sed ita assuevisse in devoratione talium venenosorum, ut primò parvam, deinde maiorem, & tandem etiam magnam quantitatem à corpore, vel ad ambitum ipsius expellere posset: ut ex Iacobo Grevino notavimus. Ex quo planè intelligitur ut solo contagio, halitu, aut sputo posset interficere Muscas, & uxores, citrà nutritionem, & conversionem veneni in propriam substantiam, sola expulsionem factâ ab irritatione prædictorum venenosorum.

Ex dictis ergo constat iuxta Galeni doctrinam 3. de simplic. citat. interdum frigida venena pos-

se superari integrè, & nutrire saltem secundum aliquas partes. Restat tamen examinare, qua ratione frigida venena, quatenus frigida sunt si in magna quantitate devorentur, interficiunt, ratione intensæ frigiditatis, suppositâ generali doctrinâ iuxta Galeni dogmata adducta. 3. de temperam. citat. de necessitate actuationis priùs factæ à nostro calore; non solum in venenis calidis, verum etiam in frigidis, de quibus certum est, quod nisi priùs calefiant à nostro calore, & actuentur minimè internecare possunt, nec mortifera accidentia inducere. Et quidem in calidis venenis clarius intelligitur, priùs calefacta, & liquata à nostro calore; resurgere calidissima, ita ut media putrefactione, & corrosione subito interimant; quoniam potentiâ erant calida; quemadmodum in pipere, & quolibet alio medicamento potentiâ calido, quoridie experimur; de quo argumento latè egimus Tomo nostro primo, tract. de temperam. disput. 2. cap. 4. ubi quæritur per quid reducatur ad actum temperamentum potentiale, ubi specialiter dirimitur controversia, ut per otium, quivis legere poterit, & in hunc locum transferre.

Specialiter tamen virefcit scrupulus meus in venenis frigidis, quæ solum media frigiditate mortem inferunt, qua ratione id præstare possint; si priùs debent calefieri, & liquari à nostro calore. Siquidem videtur difficilè explicare, quomodo post dictam calefactionem à nostro calore, resurgant partes frigidæ, quæ valeant cordis, & spirituum vitalium intensissimum calorem omninò extinguere, & vitam de medio tollere. In re ita difficili fluctuat ingenium eruditissimi, & acutissimi nostri Vallesij lib. 1. controu. cap. 12. ubi ex professo de hac re disputat & acriter suadere conatur, id quod Averroes docuit acute 5. collectaneor. cap. 3. nempe medicamentum dici frigidum non quia refrigerat; nisi quia convertitur in locis digestionis ad diminutum calorem, magis quàm calor corporis sit; ita ut chilus, qui ex eo generatur, est diminutus à calore corporis. Cononatur huic doctrinæ Gal. 3. de temperam. per sequentia verba: *quæ verò refrigerant veluti papaveris succus, hæc à nostro corpore, nec vel paululum quidem demutantur.* Et paulò infra prosequitur, *si namque in nutrimentorum sunt genere, siquidem vincantur, calefaciunt: si non vincantur, refrigerant:* hucusque Galenus, sed adhuc scrupulus manet in suo vigore: ipsum tamen solvere conatur Vallesius citat loco per sequentia verba (de venenis frigidis quæ devorantur, & de illis, quæ extra applicantur sermonem faciens.) *Vnde illud quoque colligentes concedimus fieri posse ut à calore nostro medicamentum incalcescat, & tamen deinde corpus refrigeret, si scilicet minus calidum manet nostro corpore, non enim solum frigidum remittit calorem, sed & quod minus calidum est.* Itaque iuxta nostri Vallesij opinionem cicuta, aut papaveris succus devoratus (idem de aliis frigidis venenis intelligitur) priùs aliquantulum incalcescit, & alteratur à nostro calore & comminuitur; attamen quia à nostro calore ferè est insuperabilis non incalcescit; atque ita insuperata cicuta (exempli gratia) à nostro calore, ad cor defertur, & solo eo gradu frigoris, quem habet, vitalem calorem incipit extinguere, & in ea actione procedit, usque dum calorem omninò extinguendo, hominem interimit; neque id mirum est, à parvo frigore

frigore fieri; cor enim plus cæteris à frigidorum occurſu offenditur, ut quod omnium membro- rum oporteat eſſe calidiſſimum: hucusque Vall. cuius omnia verba in re ita ardua tranſcribere volui, ut conſtet clariſſimè eius reſolutio, nempe venena frigida interimere ſolum, quia minus calida perſeuerant, & deferuntur uſque ad cor: ita ut partes ipſorum venenorum quæ non ſuperatæ omninò fuere à noſtro calore, præciſè quia minus calidæ, quam cor, parva illa frigiditate, omninò vincere, & debellare valeant intenſiſſimum cordis & vitalium ſpirituum calorem, ipſumque tandem extinguere, & hominem hac ratione interimere. Hæc eſt eius reſolutio veridicè quantum potui ex eius verbis relata fideliffime.

Cæterum licet hæc expoſitio & doctrina ſit ſemper veneranda (utpotè à tanto viro) nihilominus, ſalvâ pace, videtur eſſe contra veram philoſophiam; Etenim capere non poſſum, qua ratione cicuta, aut papaveris ſuccus, ratione partium, quæ inſuperatæ perſeuerant, à noſtro calore, & minus calidæ quam cor & ſpiritus, parvo illo calore, licet iuxta cor ſint approximatae per multum temporis ſpatium, poſſint vincere, & debellare cordis intenſiſſimum calorem, & ſpirituum vitalium, quandoquidem talis calor cordis, & ſpirituum naturalis eſt, & debitus formæ ipſorum, qui ſine dubio valdè intenſior eſt, quam frigiditas remiſſa, quæ perſeuerat in partibus cicutæ, aut papaveris, quæ non ſuperatæ fuerunt à noſtro calore, & minus calidæ dicuntur à noſtro Valleſio quam cor: Cum ergo actio victorioſa debeat procedere à proportione maioris inæqualitatis, & ſemper cor actu calidiſſimum ſit, & perſeueret, in præſentia partium minus calidarum venenorum frigidorum, inſallibiliter deducitur per remiſſam illam frigiditatem non poſſe extingui neque cordis, neque ſpirituum calorem: imò potiùs ſequitur partes illas minus calidas venenorum frigidorum magis cal fieri à calore cordis, aut omninò impedi- ri actionem frigiditatis remiſſæ, illarum partium in præſentia tanti caloris: ac proinde omninò in- intelligibile eſſe poſſe extingui cordis & ſpirituum calorem ab actione partium minus calida- rum venenorum frigidorum: non ergo venena frigida iuxta hanc opinionem poſſunt interfice- re mediâ frigiditate, ſuppoſitâ actuatone, & al- teratione priùs factâ à noſtro calore.

Neque valet effugium, quod inſinuat Valleſius loco citato; nempe quod cum ille calor in venenis frigidis ſit violentus reducitur ad prop- riam naturam à propria forma talium veneno- rum, ad frigiditatem debitam, ut exemplo ferventiſſimæ aquæ ad ignem applicatæ, & po- ſtea ſemotæ, experientia confirmat. Non in- quam valet, nam ſi ſemper, & continuo ſit aqua applicata igni, ſemper actu erit calida, & fervida: ſed illæ partes venenorum frigidorum, quæ inſuperatæ manent, & minus calidæ ſunt, quam cor, ut eius calorem extinguunt, debent eſſe approximatae continuò ipſi cordi: ergo cum eius calor ſit vehementior, & intenſior nun- quam poterunt à propria forma comparare ſuam frigiditatem actualem in præſentia cordis: ita ut ratione illius extinguant calorem cordis, & ſpi- rituum, & interficiant ratione frigiditatis: ruit ergo doctrina Valleſij noſtri.

Uterius deducitur quamlibet ſubſtantiam mi-

nus calidam applicatam cordi, poſſe ipſum via- cere, continuatâ actione, ſeu reactione in cor, & ſpiritus & vivens interficere per frigiditatem: quemadmodum partes inſuperatæ venenorum frigidorum id faciunt, quia minus calidæ quam cor. Neque ex eo quod ſit viſcus calidiſſimum, debet offendi magis ab agenti minus calido (ut aiebat Valleſius) ſed potiùs contrarium debet accidere, cum virtus validior minus offendatur à virtute contraria remiſſiori. Inſuper etiam rationabile videtur virtutem expultricem cordis, media ipſius contractione, expellere partes illas minus calidas venenorum frigidorum, quemad- modum expellit excrementa fuliginofa, tan- quam aliena à natura, & omninò extranea, & inutilia: ergo dummodo in ipſis non conceda- tur virtus frigidiffima intenſior & validior ipſo corde, nequit accidere mors per frigiditatem à venenis frigidis.

In re ita ardua dicendum nobis eſt venena fri- gida priùs alterari, & liquari à noſtro calore, & hac ratione ſeparari in ipſis exquisitiſſimas par- tes frigidiffimas, quæ irruentes in cor, & ad ipſum delatas ſimul cum ſanguine, ipſum om- ninò refrigerant, & innatum eius calorem ex- tingunt, ſpiritus congelando, & hac ratione redditur totum vivens gelidum, & accidit mors. Hoc autem in venenis frigidis ſit ex peculiari modo mixtionis elementorum, ex vi cuius eo ipſo quod alterantur à noſtro calore facilè reſur- gunt actu frigidiffimæ, ſeparatis per liquatio- nem pluribus partibus frigidiffimis, quarum actio veluti cõſopita erat in ipſis venenis, uſque- dum per alterationem à noſtro calore dividun- tur, & comminuuntur ipſæ partes, & à noſtro calore ſimul cum ſanguine communicantur cor- di, & ab ipſo attrahuntur ſimul cù ipſo ſanguine media dilatatione, ubi illa cruentiſſima lis inter ipſas & cor, quod devictum undequaque ma- net, & ſpiritus congelati, & vivens omninò fri- gidum redditur, & ita accidit mors à venenis frigidis, quæ potentiâ talia dicuntur, quia, faci- lè frigidiffima ſiunt, alterata à noſtro calore ob eorum diſpoſitionem, & peculiarem mixtionis elementorum modum: ſic opium dicitur frigi- dum venenum, quia facilè refrigerat (& idem eſt intelligendum de cicuta, & quolibet veneno frigido) quæ omnia, ſupra calefacientis natu- ram inſigidantur, & ad tantam frigiditatem perveniunt ex accidenti, ex materiæ videlicet diſpoſitione quam in peculiari modo mixtionis collocamus, factâ illâ exquisitiſſimâ ſeparatione plurium partium frigidiffimarum debellantium contra calorem cordis, à quibus celebratur vi- ctoria, per ruinam nativi caloris.

Eadem ratione à venenis calidis accidit actua- tio per calorem, & reſurgit in ipſis valdè in- tenſior calor, quam eſt in viventi alterante, quoniam ex ſua natura facilè calidiſſima ſiunt ex accidenti, & ex diſpoſitione, quæ in ipſis eſt, ex peculiari modo mixtionis, & ſic nos re- calefaciunt, ita accidit in pipere, & alimentis potentiâ calidis, & non alia ratione palæ, & Ariſtæ facilè comburuntur, & ignis potentiâ ſunt, niſi ex diſpoſitione propria ad combuſtio- nem, ex ſuo peculiari modo mixtionis. Et nihil miri eſt ſi aliqua mixta exiguum conſecura au- xilium; maximam à priori natura mutationem habeant: hanc doctrinam inſinuavit Galenus exemplo illo ſatis communi, & celebri, dicens

Cap. V. An vivens possit sine alim. &c. 95

pro sui conservatione; & aliàs resolutio humidi exigua valde est, quæ parvissimâ indiget repositione; ideoque sine alimento externo tanto tempore conservantur. Et eadem ratione viventia plura vegetativa, etiam si separata sint à terra, & in aère suspensa germinant & conservantur; ut accidit in capis, in quibus nimia humiditas excrementitia habet locum pabuli, & alimenti; quin sit necessarium alimentum externum à terra, & aqua media radice attractum.

In cuius confirmationem adducit noster Socius supra citat. in testem Hipp. i. aph. tex. 13. ubi tenet senes facillè jejunium ferre, cuius eventus rationem expressit Galen. in expositione adducti loci: quia senum calor minor est, & languidus, & quia collectam materiam habent, & quantitatem pituitosorum excrementorum; quæ habent rationem pabuli, & alimenti, in ipsis, & sic sine alimento externo plurimo tempore conservantur, & propterea facillè jejunium ferunt.

Cæterum: totam expositionem citati textus in Galeno perlegi, & solam causam ferendi jejunium facillè in Senibus, reducit, tum in tex. 13. tum etiam in 14. subsequenti in quo assignat causam, in debilitatem, & exiguitatem caloris nativi qualitativi, & substantifici, & quia in ipsis difficilis est resolutio, & dissipatio humidi propter siccitatem, & frigiditatem, & propterea paucis indigent succenticulis, seu alimentis; ideoque facillè inediam ferunt; & minimè de recollectione excrementorum pituitosorum mentionem facit; ac proinde censo in senibus inediam non esse tolerabilem propter colluviem pituitosorum excrementorum, sed ob rationem à Galeno supra adductam: nempe propter debilem calorem; & quia facillè non resoluuntur sicut pueri. Et suadetur ex doctrina Galeni; nam in textu citato ait: decrepitos, senes nempe, brevem quidem inediam ferre posse: verba Galeni sunt sequentia, *De his enim quis in primâ, aut mediâ sunt senectute rectè dictum est longam facillè ferre inediam, non etiam de his, qui ultimâ sunt senectute, pronuntiari potest; quando nec brevem quidem illi inediam ferre possunt.* Ex his facillè infero, quod qui in ultima sunt senectute, maiorem crudorum succorum copiam, & quantitatem pituitæ maiorem accumulunt, quia calor ipsorum pusillus valdè est, & tamen nec brevem quidem inediam ferre possunt ex Galeni mente: ergo senes non ferunt facillè jejunium propter pituitosorum excrementorum copiam: sed quia resolutio humidi in ipsis difficilis est, & quia calor est debilis; ideoque non egent pluribus succenticulis, pro repositione substantiæ resolutæ.

Restat tamen reddere rationem, cur qui in ultima sunt senectute, nec brevem inediam ferre possunt quandoquidem, qui in primâ, & mediâ sunt senectute facillè longam inediam ferunt. Certè Galenus huius eventus rationem tacuit, quam Eruditissimus noster Vales. in expositione citati textus, insinuavit; & reddens differentiam inter senes, & decrepitos, tenet, quod cum corpora senum, & tota illorum substantia durissima sint, lentè dissipantur: ergo quamquam contineantur sine cibo, haud multum læduntur. Cæterum meritò Galenus excipit censet decrepitos, nam quamquam in his minor, quam in aliis dissipatio fiat, tamen, quia in tanta exiguitate calidi, vel minima illius dis-

sipatio, sit magna noxa, plurimum læduntur per inediam, & sic miseri decrepiti neque possunt ferre inediam neque cibos: consulendum ergo ipsis est, ut capiant exiguum admodum cibum, optimè preparatum, & facillè concoctionis, unde licet in ipsis abundant plurima pituitosa excrementa ex ipsis non nutriuntur, utpote difficile coquantur; imò potiùs ab ipsis calor nativus decrepitorum obruitur, & suffocatur, quod non accidit in aliis senibus non decrepitis, in quibus non est adeo exiguus calor, sicut in decrepitis, & sic inediam facillè ferunt, quia lentè dissipantur, ideoque non indigent tanta cibi repositione per nutritionem, sic dubiolum manet solutum.

His jactis sit nostra conclusio: Vivens posse vivere per aliquos dies, dummodo quintum non transcendat citra alimenti externi devorationem, etiam si in ipso, nulla sit succorum crudorum & pituitosorum saburra. Hæc conclusio probatur clarissimè; nam calor nativus, à quo vita dependet, conservatur toto tempore, quo in partibus est humiditas radicalis, & nativa, quæ se habet ut pabulum: sed independenter ab alimento externo devorato, & à succis crudis, qui se habeant, veluti succenticulum; seu alimentum, est in partibus humiditas activa, & radicalis acquisita ex primordiis generationis, & ex nutritionibus antecedentibus, quæ indiget tempore considerabili; & satis sensibili Medico ad resolutionem, & dissipationem molendam à calido proprio, & influenti, & ab omnibus causis inevitabiliter operantibus, quas explicuimus, quando de morte naturali, & ætatibus egimus: nostro i. Tomo, ergo toto illo tempore, quo durat resolutio humidi, poterit conservari vivens sine cibo externo, etiam si non sint crudi succi; in quo eventu, erit verum dicere, quod vivens non nutritur; sed potiùs extenuatur, & consumitur; tamen conservatur per aliquos dies requisitos ad totalem resolutionem humidi radicalis, à quo dependet vitæ conservatio; poterit ergo vivens conservari, sine alimento externo per aliquos dies etiam si non essent succi crudi ex quibus possit nutriri.

Sit secunda Conclusio neque in hac duratione, neque in ea, quæ accidere potest in viventibus, crudis & plurimis succis abundantibus; posse assignari certam durationem in viventi non devoranti cibum externum. Probatur conclusio efficaci ratione, nam resolutio humidi radicalis, celeris aut tarda dependet ex proportionem agentis ad passum & ex resistentia maiori, aut minori; ut clamat uno ore schola Philosophorum: ergo in his durabit vivens magis, in quibus minor, & lenta fiat resolutio & virtus agentis non prævaleat supra resistentiam passu ita celeriter; in aliis verò minùs durabit vivens, in quibus celerior fiat resolutio humidi, & resistentia minor, non ergo poterit in viventibus assignari certa mensura durationis, citra externi cibi devorationem, & sic his principiis adductis credimus, in quibus per plures menses fatentur Authores, plura viventia durare, ex his, quæ in locis subterraneis perseverant, quod non opponitur nostræ doctrinæ, cum certum sit non posse in illis, neque in viventibus merè vegetabilibus præfiniri certum tempus durationis. Veriùs tamen existimo nullum vivens, quamvis pusilli caloris, & difficilis resolutionis, & dentæ con-

formaliter ut tali, nec vestigium sensibilis, nec insensibilis alterationis relucere respectu viventis; ac proinde solum habere rationem proprii alimenti, substantiam transmutatam in vivens, ut latè supra adduximus in nostro primo capite. Ex quo infero contra nostrum Socium omninò chimericam esse alterationem à viventi factam in primis qualitatibus in alimento, seu substantia convertenda, ut sit capax conversionis, cum potius alimentis sit substantia jam transmutata in sua opinione. Aut debet fateri alimentum esse illam substantiam, quæ continuò alteratur, usque ad ultimam conversionem, quæ potius dicitur quasi alimentum, de quo non est controversia.

Uterius: quia alimentum tale dicitur respectu viventis: ergo si in ipso non concedit facultates, nec virtutes activas; cum neque deserviant tanquam medicamentosæ viventi, ut potè ipsum non valent alterare, neque tanquam alimentosæ, cum potius contrarietur naturæ alimenti formaliter sumpti: ergo asserere in alimento esse virtutes activas incapaces alterandi vivens, est asserere alimentum esse corpus mixtum omnibus primis qualitatibus ornatum pro conservatione formæ, de quo nullus dubitare potest, neque controvertibile est, sicut neque quod in alimento sit potentia passiva ut convertatur in substantiam aliti; hæc enim omnia ita per se clara sunt, ut frustranea, & frivola appareat quælibet probatio ut suadeantur.

Falsum etiam iudicio tales qualitates conducere ad nutritionem, nam si agerent in vivens, potius retardarent actionem transmutativam; si verò nihil agunt in vivens, ut ipse fatetur, neque conducunt ad nutritionem, neque contrariantur nutritioni; quod neque est agere, neque conducere ad nutritionem positivam actione: ergo in alimento formaliter, ut tali sunt concedendæ facultates activæ, quippe activæ non possunt nuncupari, si vivens non possunt alterare, imò neque tales facultates dici possunt medicamentosæ ob eandem rationem, propterea scilicet, quod minimè valeant alterare vivens, neque secundum calorem, neque secundum frigiditatem, &c.

Certum igitur est quod licet in alimentis, nulla sit actio circa vivens secundum qualitates activas, utpote omnes manent refractæ, & devictæ; nihilominus in ipsis perseverant aliquæ qualitates medicamentosæ iuxta quas aliqua sunt alimenta laxantia, aliqua adstringentia, quæ à cordato Medico debent agnosci, ut quando est necessitas laxandi utamur alimentis ea vi polentibus; & quando est necessitas adstringendi, utamur alimentis id facientibus. Cæterum quod huiusmodi facultates perseverent in alimentis, & præcipuè vis purgativa dictavit Hippocr. 6. epid. sect. 6. text. 34. per sequentia verba.

Mulier aut capra elactarium, aut cucumerem silvestrem comedentes, pueris purgatio. In cuius textus expositione Vallesius noster docet: continere Hippocratis verba optimam quamdam rationem expurgandi lactentes infantes, quæ Medici frequenter utuntur, propinato scilicet pharmaco ipsi Matri, quia lac induit vim expurgatorij medicamenti, seu alimenti medicamentosi, & idem accidit si capra depasta sit cucu-

merem silvestrem; & eius lac detur infanti, tunc sine dubio purgabitur infans; aut quicumque bibat huiusmodi lac. Ut hinc discas, quod qui necessitate quapiam utitur lacte caprino; capram custodiat, ne vescatur aliqua herba maligna, aut purgatoria; nam si tabescens utatur lacte capræ, quæ depasta sit silvestrem cucumerem, solvetur alvus, quo tabescentibus nihil est nocentius; similiter eo modo quo lac accipit expurgatoriam facultatem, accipit deleteriam si quid tale capra gustaverit: iuxta id quod narrat Galenus in Thehalia, & Athenis plurimos convulsione correptos esse, esu coturnicum, quæ veratro vescuntur: addimus etiam non solum lac capræ, aut Mulieris, quæ assumptis medicamentum expurgans participare vim expurgandi suggestibus, aut bibentibus lac, verum etiam carnes animalium, quæ nutriuntur medicamentis purgantibus participare vim expurgatoriam, & veneficam si venenis nutriantur, aut assuescant, quoniam aliquid corrupti semper manet in genito iuxta Philosophorum dogmata.

Sed Rogabis cur in alimentis, & in carnibus perseverent qualitates secundæ & facultates purgatoriae, quandoquidem dependent à primis qualitatibus quæ in alimentis omninò devictæ, & debellatæ manent unde videtur etiam secundas omnes qualitates refractas omninò debere esse in alimentis, cuius contrarium testatur experientia.

Respondeo in lacte neque primas, neque secundas qualitates esse omninò refractas, & devictas à calore viventis, seu à toto eius temperamento, à quo celebratur coctio, & nutritio; cum nondum sit verum, & formale, atque exquistum alimentum, & sic nihil mirum si in ipso perseveret virtus purgativa, seu medicamentosa; attamen in carnibus magis urget dubiolum propositum cum jam supponant alimentum transmutatum. Respondeo tamen plures esse secundas qualitates, quæ licet dependant à primis, neutiquam variantur ad variationem primarum, quoniam non dependent ex determinata proportionem ipsarum, atque adeo licet primarum qualitatum proportio varietur, non tamen secundarum virtus evanescit, quæ requirit vehementissimam, & validissimam alterationem, ut videre est in pluribus mixtis, in quibus, etsi vehementer alterentur secundum primas qualitates, minimè amittunt modum substantiæ, ac perinde ita philosophari debemus de virtutibus, seu facultatibus secundis, quas occultas plures nominant, & minimè sequuntur proportionem primarum, aut forsitan ab illis non dependent, sed ab ipsa forma, ut multi non improbabiler censent.

Addimus ulterius in eodem alimento sub eadem forma posse inveniri facultates contrarias ratione partium heterogenearum, etsi mixta non sint viventia, & homogenea ad sensum appareant, ut in lacte, lente, & brastica constat, & pluribus aliis mixtis; ita Galenus lib. de alim. facult. scribit per sequentia verba *ad eum igitur modum citaria quadam, facultatem quampiam habent in seipsis admixtam, cui aut purgare, aut aliud quippiam agere sit naturale.* Et paulò infra subdidit sic. *Idem autem corpus nunquam alias sui partes calefacientes, alias refrigerantes*

gerantes habere potest, ut in libris de simplicium pharmacorum facultatibus demonstravimus. Nihil clarius pro validatione nostri asserti, quæ doctrina non solum habet locum quoad partes medicamentosas eiusdem mixti, verum etiam quoad partes alimentosas, quandoquidem in eodem alimento quædam partes sunt difficilis coctionis, quædam verò facilis, aliæ boni succi, aliæ pravi nutrimenti, aliæ pauci nutrimenti, aliæ plurimi, aut nullius nutrimenti, totum quod ad diversitatem partium integrantium mixtum reduci sine dubio debet, de quibus nostro primò Tomo latè egimus.

Rogabis ulterius quare alimenta habeant diversas facultates, & medicamentosas, cum sit verum alimentum, ut mixtum, solum importare proportionem primarum qualitatum, ratione quatum datur correspondentia, & heterogeneitas, quam petit forma mixti, ut iure optimo condistingatur ab elemento quod corpus homogeneum est: alià ergo ratione in alimentis investigandæ sunt diversæ facultates alimentosæ, & medicamentosæ; ratione quarum sæpe numero diversos, & contrarios effectus producit idem corpus mixtum.


Respondet Socius noster, quod cum fere omnia alimenta prius fuerint viventia, & omnia viventia sint corpora organica cum anima sit actus corporis physici, & organici, iuxta Philosophi doctrinam, ratione organizationis, habent alimenta partes diversas, cum diversis, & oppositis temperiebus, & hinc oritur, quod alimenta quæ fuerunt prius viventia habeant oppositas qualitates.

Porro in dubiolo proposito cenfeo tanquam verius, in alimentis non esse necessarium recurrere ad præcedentiam formæ viventis, ut in ipsis adstruamus diversas facultates, sive alimentosas, sive medicamentosas, ratione quarum diversos, & contrarios effectus producant. Ratio est: quia organizatio in viventibus requiritur pro conservatione formæ viventis, & tantò perfectior organizatio requiritur, quantò perfectior est forma, ut in rationalibus constat: sed corrupta forma, nihil est in alimento, quod exposcat illam organizationem, nec temperiem illam diversam; ergo in alimento, quod prius fuit vivens, non remanet heterogeneitas, neque organizatio requisita pro forma viventis, ac proinde ratione illius formæ, quæ jam evanuit, non remanet in alimento diversitas facultatum contrariarum.

Uterius: quia in alimentis, quæ non fuerunt viventia est sufficiens heterogeneitas, & diversitas partium ut in ipsis reluceant diversæ, & contrariæ facultates ratione formæ, quæ informantur: ergo frustra recurrere debemus ad formam viventis, quæ jam præcessit, & corrupta est; & clarius constat in pluribus causis æquivocis, quæ non fuerunt viventia, & à propria forma valent producere contrarios, & diversos effectus, & in nostra opinione clarius constat: nam Tomo nostro primò tractatu de humoribus latè probavimus jecur producere per se quatuor humores diversos, & contrarios, tanquam causa æquivoca propter dignitatem officij ratione propriæ formæ, qua ornatum est à natura providissima, quin in ipso sit necessaria organizatio viventis cuius est

pars, & clarius in doctrina nostri Petri Garcia: qui concedit in jecore diversas quatuor partes heterogeneas, à quibus quatuor humores fabricantur. Præterquam quod in aliis causis merè naturalibus æquivocis experimur diversos, & contrarios effectus; quatenus peculiaris mixta sunt, ratione peculiaris formæ: ergo in alimentis solum recurrere debemus ad diversitatem partium, & formarum diversitatem; ut in ipsis concedamus diversas, & contrarias facultates.

Clarè intelligitur, quod eadem pars homogenea, cuiuslibet corporis possit habere oppositas qualitates, respectu materiæ diversæ, in qua possit agere; sic talis substantia temperata poterit calefacere passum frigidum, & refrigerare passum calidum, quoniam respectu utriusque alterationis quodlibet passum est in potentia, ut recipiat alterationem ab agenti invariato prorsus in sua temperie; ceterum respectu eiusdem passi omninò invariati, minimè poterit eadem pars agere moribus contrariis cum talis materia non est in potentia respectu utriusque actionis contrariæ: & eadem ratione idem alimentum seu medicamentum secundum eandem partem, poterit adstringere passum laxum, & laxare adstrictum; minimè verò poterit præstare huiusmodi contrarios effectus respectu eiusdem passi, propter rationem supra insinuatam: itaque diversitas facultatum sive in alimentis, sive in medicamentis debet reduci ad peculiare naturas, aut carniarum, aut plantarum, quas participant à peculiaribus formis, & à peculiari proportionem partium diversarum, nec non etiam, & à diversa proportionem primarum qualitatum, quapropter in diversis alimentis mira varietas, & diversitas facultatum reperitur, operante natura provida pro necessitate, & indigentia, ut succurrat miseris affectionibus; quibus corpora viventia cruciantur.



CAPVT VII.

De cognitione facultatum quæ sunt medicamentosæ in alimentis.



SUPERIUS notavimus in Alimentis non solum esse facultates alimentosas, quæ ipsis alimentis formaliter insunt quatenus alimenta sunt, verum etiam medicamentosas, virtutes, seu facultates, quæ licet ipsis non competant quatenus alimenta sunt; tamen quia reperiuntur in substantiis, quæ devorantur pro alimonia, & quasi alimenta dicuntur, & necessariò alterant vivens, usque dum ultimam depurationem pro transmutatione ab ipso recipiunt; ipsarum facultatum, quæ medicamentosæ sunt in alimentis, oportet Medicum percussere, ut eligat alimenta oportuna pro nutritione, & conservatione viventis, & fugiat ea, quæ sunt contraria pro vitæ custodia, ac proinde in præsentiarum primò sermonem facimus de alimentorum medicamentosis virtutibus, ut deinceps ad alimentosas faciliùs accedamus.

Ex facultatibus, seu virtutibus, quæ in alimentis insunt, quædam sunt primæ qualitates, quæ tactu facile percipiuntur, aut per suos effectus dignoscuntur; quædam verò sunt virtutes, seu qualitates secundæ, quæ interdum per tactum percipiuntur, aliquando verò secùs. In præsentibus ergo controversia inquirimus an qualitates medicamentosæ alimentorum, quæ per tactum percipiuntur, possint etiam alio modo dignosci; & insuper quomodo cognoscantur plures aliæ facultates, quæ per tactum percipi minimè possunt. Quatum omnium facultatum cognitio Galenus iure optimo commendat. lib. 1. de aliment. facult. cap. 1. per sequentia verba. *Nec verò satis fuerit principalissimam, ac primam cuiuscumque cibi temperiem novisse; sed ut in libris de medicamentis monstratum est, eas quoque, & hanc sequuntur qualitates callere oportet; quæ, & ipsæ sunt utilissima; multa quidem si non omnes, in saporibus: quædam autem etiam in odoribus.* Ex his constat meritò investigandas esse à Medico facultates omnes alimentorum, tum primas, tum etiam secundas, & ad amissum agnoscendas; ut ritè, & commodè alimenta administrantur pro sanitatis tutela.

Et quidem licet virtutes omnes aut plures experimento dignoscantur; non tamen solum sufficere ad accuratè dignoscendas, docuit Gal. lib. 1. de alim. facult. cap. 1. citato per hæc verba. *Omnino enim nullius rei vires experientia commodè explorabis, nisi prius per rationem ad unguem comperit habueris affectum, cui applicatur, quod exploras; sive id sit cibus, sive potus, sive medicamentum:* Ex quibus verbis satis constat non sufficere, quod per experientiam agnoscamus virtutes, seu facultates cibi, aut potus, aut medicamenti, nisi legitime percaleamus affectum cui applicantur; ut scilicet pro morborum curatione, & sanitatis tutela propinentur, & admoveantur; & paulò infra in eodem capite subit. *Ceterum quæ Menstrisibus de radicibus, caulibus, foliis, fructibus, seminibusque prodidit: non certam valde habent dignotionem, si experientia definit ipsa explorari:* non ergo ad exquisitam dignotionem facultatum, sola sufficit experientia ex doctrina Galeni, cum iuxta edictum Hipp. omne experimentum sit periculosum, seu fallibile.

De qualitatibus primis certum est posse percipi à tactu, cum sint eius sensibilia propria; & ulterius certum est, mediis aliquibus qualitatibus secundis sæpe sapientius nos cognoscere qualitates primas, iuxta Galeni doctrinam 4. lib. de simpl. med. facult. ubi affirmat saporem amarum, dulcem, falsum, & nitrosum à calore procedere; acerbum autem, acidum, inspidum, & austerrum à frigiditate oriri; meritò ergo ex secundis qualitatibus devenimus in cognitionem primarum, cum illæ à primis procedant, & ipsarum proportionem sequuntur; sic ex effectibus dignoscimus causas unde procedunt; iure ergo optimo diversæ qualitates secundæ diversam proportionem primarum representant.

Videtur tamen prædictam doctrinam firmam omnino non esse, ad cognitionem primarum qualitatum: in alimentis etenim sunt plures secundæ qualitates, quæ minimè variantur, quamvis primæ qualitates variantur, & alterentur, usque dum variatur forma, à qua dependent; Constat clarissimè in metallis omnibus, & in lapide, quæ quantumvis intensè calefiant, non amittunt gra-

vitatem, & in carnibus, quæ elixantur in nobis, quæ non amittunt colorem, neque odorem, neque modum substantiæ, usque dum corrumpatur forma, à qua dependent huiusmodi secundæ qualitates: ergo non est perpetuò verum; quod ex secundis qualitatibus, quæ sunt in alimentis percaleamus primarum qualitatum proportionem.

Certum tamen est non omnes secundas qualitates, dependere à forma, constat in pluribus fructibus præcipuè in mora, quæ primò est alba; dum est cruda, deinde rubra, dum tendit in maturationem, & tandem nigra, dum matura est; & cerasis idè accidit; & tamen non mutant formam; imò ea invariata, diversi colores successivè adquiruntur qui potius proportionem primarum qualitatum sequuntur, minimè verò formæ variationem; ergo neque est perpetuò verum omnes secundas qualitates dependere à forma; neque significare perpetuò proportionem primarum qualitatum. Constat hoc idem assumptum in levitate, quæ qualitas secunda est, & tamè variatur in aqua sine variatione formæ, quippe quo magis calefit, in vapores mutatur, media attenuatione, & levior successivè redditur, & priusquam alteraretur, aut eum levioze calcificatione tardius ascendit: ergo variatur levitas in aqua, sine variatione formæ; cum in sententia probabiliori in vaporibus adhuc conservetur forma aquæ: ergo potius huiusmodi secundæ qualitates sequuntur proportionem primarum, & minimè dependent à forma in conservari.

Certum igitur est primas qualitates in alimentis cognosci per se à tactu, & mediis aliquibus secundis, ut per odorem, saporem, colorem, & interdum per duritiem, & molliem, mediis aliis sensoriis, scilicet aut per visum, olfactum, gustum, aut tactum, ut late Galenus docet 1. lib. de simpl. med. facult. c. 35. Porro medicamentosæ qualitates alimentorum; quæ mediis aliis qualitatibus, dignoscuntur, ratione investigantur, quæ verò experimento nota fiunt; per sensum agnoscuntur certissimè, totum quod Galenus expressit cap. 39. lib. citati, ubi sic loquitur, *certissima omnium erit indicatrix sola experientia, quam qui aliunde ratiocinantur; quia non solum falsa pro veris dicunt; sed etiam tractationis utilitatem subvertunt. Proinde nobis propositum non est, quale ex sua natura quodque sit medicamentum exquirere: verum quod in nobis esse potest.* Quibus verbis plane colligitur quod per experientiam; seu per id, quod in nobis præstant alimentorum medicamentosæ qualitates, certius cognoscuntur, quàm qui aliunde ratiocinantur, Hoc est, qui agnoscere intendunt huiusmodi qualitates medicamentosæ per secundas qualitates; quæ notitia interdum veritatem subvertit, & falsa pro veris habentur.

Neque solum sufficit cognoscere alimenti, aut medicamenti vires per experientiam, nisi agnoscamus temperiem naturalem, aut præternaturalem illius subjecti cui applicatur medicamentum, aut propinatur alimentum; ut facile percipiamus utilitatem, aut nocumentum; indeque facultates medicamentosæ certius percaleamus: hac ratione si ventriculus sit frigidus, & juvatur devorato aliquo alimento, tale alimentum revera erit calidum, etiam malè, aut pejùs se habuerit, frigidius esse meritò putabimus: ergo ex notitia, & cognitione temperamenti naturalis, aut ætativi cuiuslibet membri, certissimè vires ali-

menti medicamentosas agnosceimus. Sic mellis temperatam per utilitatem, aut nocumentum, in sene, aut juvene ad amissim percullit Galen. 1. lib. de aliment. facult. cap. 1. Et de ipso sermone instituentis, sequentia dictavit verba. *Quod validis, & siccis sit adversissimum; frigidis vero, ac humidis utilissimum, sive ea temperies eis sit naturalis, sive accesserit propter aetatem, sive propter regionem, aut anni tempus, aut vitæ conditionem. Itaque ad præsentem speculationem, summè necessarium esse videtur, hominum pariter, ac ciborum temperamenta considerasse.* Nihil clarius ad percallendas ciborum medicamentosas qualitates; totum quod pluribus aliis exceptis comprobatur Galen. lib. & cap. cit. quæ longum esset recensere.

Certior erit notitia facultatis medicamenti, aut alimenti, si ipsa applicemus omninò nuda à calore, & frigiditate adventitia; quippè si aqua calida applicetur, putabitur calida: & similiter si vinum frigidum applicetur, putabitur etiam frigidum, propter qualitatem præter naturalem, seu adventitiam quæ actu pollent deobscurantem naturalem temperiem, & propriam naturam. Fallacia etiam erit in cognitione facultatum medicamentorum, & alimentorum, si applicentur affectionibus complicatis contrariis, quæ oppositas, & contrarias habent indicationes; sic medicamenta calida expurgantia febrem extinguunt, evacuando causam, & si calida sint, ex accidenti refrigerant; & opium in vehementissimis doloribus à causa frigida ortis utilissimè applicatur, & si per se non opponatur causæ, sed symptomati; itaque fallax poterit esse cognitio alimenti, aut medicamenti in morbis complicatis, contrariis habentibus indicationes; atque adeò firmior erit cognitio, si applicentur simplicissimis morbis, de quo late Galen. agit. 3. lib. de temperamentis cap. 5. ut per otium poterit quivis legere.

Itaque virtutes, seu facultates alimentorum, & medicamentorum absolutè, & simpliciter non sunt considerandæ à Medico perito; sed simul adjicere, (quemadmodum de melle Galenus pronuntiat) quibusnam ætatibus, naturis, anni temporibus, regionibus, ac vitæ rationibus utilia, vel noxia sint; sic Medicus cordatus, optimè virtutem medicamentosam alimenti agnoscet, & in ipsius propinatione minimè errabit, considerando nimirum virtutem ipsius, non quidem absolutam, sed respectivam ad temperiem subiecti, ad ætatem, ad anni tempus, & ad reliqua, quæ nuper enumerata sunt. Et hac ratione optimè intelligitur, quod medicamentum, aut alimentum sit calidum absolutè, si habeat calorem supra mediocritatem; & nihilominus, quod refrigeret passum magis calidum in intensione; ideoque respectu subiecti, seu materiæ calidioris, merito nominabitur frigidum tale medicamentum, ratione effectus, quem præstat. Sic Gal. 3. de temperamentis docet, urinam sentiri frigidam, quamvis calida sit, in his, qui sunt in balneo calido; si tamen alimèta, aut medicamèta applicentur corpori temperato, certissima erit cognitio de calidis, & frigidis, per effectus, quos per se producunt necessariò, absque respectu ullo; ita Gal. 1. de simpl. med. facult. cap. 3. Neque de effectibus per accidens habenda est fides, ut facultates mixtorum percalleamus; nam licet aqua frigida mediâ cutis constipatione, detinendo vaporem calidum, qui continuò ex nostra nutritione elabatur per po-

ros curet te; tamen non proinde censeas, medio calore proprio id præstare, cum frigida sit. Eadem ratione neque medicamenta resolventia dicuntur frigida, quia causam calidam resoluunt, & partis calorem, per accidens attemperant; itaque ad effectus quos per se causat alimentum, aut medicamentum, & ex sua natura, & primà veluti intentione recurrere debemus; & si non manifestetur primo occurso, seu applicatione; nam in alimentis, seu medicamentis, quæ sunt potentia talia, priusquam effectum per se præstent indigent actuazione à nostro calore; quo fit, ut postea præstent effectus per se à sua natura participatos, diu perseverantes.

Hucusque constat non solum per experientiam dignosci facultates alimentorum medicamentosas, verum etiam per qualitates secundas, præcipuè per sapes: ita Gal. 1. de aliment. facult. & 4. de simpl. med. facult. expressè testatur. Et quidem primò lib. circa finem fatur sic. *Cognitio autem horum longo tempore, recta nobis accedit, quam consequimur, tum ex certa definitaque experientia, tum ex habitu, saporumque natura, quæ duo, rebus, quas examinamus insunt, &c.*

Et ut specialius descendamus ad sapes; de dulci pronuntiavit Gal. 4. simpl. med. facult. cap. 9. esse indicem calidi temperamenti; per verba sequentia. *Verùm dulce omne calidum est, neque immodicè calorem nostrum exuperat.* Sic communiter cum Galeno pronuntiamus omne alimentum debere esse dulce, per familiaritatem, & similitudinem, quam habent dulcia edulia cum nostra natura, ideoque non sunt immodicè alterantia regulariter, sed similia nostro naturali calori. Ratio huius dogmatis constat, frequentissimo experimento, in fructibus, qui toto tempore cruditiatis acerbum sorem representant, frigoris sobolem; at dum sunt cocti, seu maturi, dulces apparent gustui, & calorem ostendunt: quippe per coctionem redduntur calidi iuxta Philosophi doctrinam dictantis 4. meteoror. quod ea, quæ coquantur calidiora redduntur.

Neque adducta doctrina Philosophi opponitur nostris assertionibus, quas adduximus. Primò Tom. nostro, tract. de ætatibus. Vbi de ipsarum temperamenti agentes; tanquã certum statuimus, vivès à pueritia usque ad juventutem servare eundem gradum caloris, & similiter docuimus, ante juventutis ætatem, vivès dici maturum: non ergo bene videtur hanc doctrinã coherere cum Philosophi asserto proclamante cocta reddi calidiora per coctionem: cum ante juventutem vivès sit coctum, & tamen non sit calidius; proindeque idè de fructibus, in sua maturatione currit argumentum: non ergo fiunt calidiora per maturationem. Verùm si stemus his, quæ diximus minimè recedimus à doctrina Philosophi: etenim per coctionem resoluuntur in fructibus plures partes frigidæ, & excrementitiæ, quæ dominabantur supra calidas, & sapor acerbus ab illis partibus fovebatur; cæterum maturatione accedente jam partes calidæ fructuum superant frigidas, & relucet sapor dulcis, quin intensior calor denuo producat; & hac etiam ratione in viventi servatur idem gradus caloris intensivus usque ad juventutem à partibus igneis, quæ usque ad illam ætatem servantur, cum intensione debita partibus igneis; quo optimè compatitur, ut resolutis partibus frigidis, seu excrementitiis redda

reddatur vivens calidius extensivè dum coquitur; & acquisitis per novam nutritionem pluribus partibus calidis ad similitudinem agentis calidi alterantis; & eadem ratione bene intelligitur, quod vina temporis vetustate appareant calidiora, separatis, aut resolutis partibus excrementitiis, & frigidioribus.

Placuit tamen Socio nostro supra cit. in hac hæsitacione insinuare, quod per coctionem intensivè reddatur vivens calidior; eo quod, quemadmodum in prima fœtus formatione agens naturale non potuit ipsum producere cum sufficenti quantitate ad omnes actiones naturales; ita neque cum temperiè perfectissima primarum qualitatum accommodata ad easdem actiones; & cum in statu cruditatis sive fructus, sive viventis sint plures partes aqueæ, terreæ, & excrementitiæ, quæ vincuntur, & separantur per coctionem, & opposita patibilia ab ipso, nominantur; hæc impediunt ut à forma pullulet tota intensio caloris requisita ad actiones naturales, & sic post coctionem intensior calor resultat in viventi, & in fructibus dulcedo acquiritur, separatis, & devictis per coctionem excrementitiis partibus, à quibus acerbitas in fructibus immaturis oriebatur, à propria forma pullulat intensior calor debitus ad actiones naturales obeundas, ablati impedimentis retardantibus intensiorem illam caloris, virtualiter in formâ contentam.

Tamen hic modus philosophandi non convincit intentum; quia in primo instanti formationis fœtus, non potuit agens, seu generans præstare totam magnitudinem requisitam ad perfectè operandum: propter angustiam loci, seu uteri, & propter parvitatem materiæ, ex qua formatur fœtus, videlicet propter genituram. At in ipsa nullum fuit impedimentum, ut generans induceret omnes dispositiones, & qualitates primas requisitas ad introductionem formæ, nec non etiam ad ipsius conservationem. Et ita, credendum est, in prima fœtus formatione productas esse omnes dispositiones, & ultimam ad formæ introductionem, & totam intensiorem caloris requisitam ad operari, & præcipuè ad opera nutritionis, & augmenti, quæ in primo fieri magis urgent; ideoque in pueris opera nutritionis, & augmenti uberius, & copiosius fiunt, & propterea plurimus in ipsis viget calor innatus, & pluribus egent fomitibus iuxta edictum Hipp. satis vulgare: non ergo bene inferitur ex eo quod in prima formatione fœtus, agens naturale non potuerit ipsum producere cum tota magnitudine requisita ad actiones: quod non potuerit inducere omnes dispositiones, & qualitates primas, & calorem in intensiorem requisita ad fieri, & conservari formæ, & ad opera nutritionis, quæ in ea ætate magis florent, & exposcunt uberrimum, & intensum calorem, non virtuales, sed actuales, & formales, qui non comparatur per coctionem, sed potius ab ipso celebratur coctio, & supponitur necessario ad ipsam. Præterquàm quod ut in tract. nostro de ætatibus docuimus, vivens dicitur habere hanc, aut illam temperiem, penes eo quod excedant partes correspondentes in ipso ad elementa calida, aut frigida; minimè verò ex eo quod unica temperies irriget omnia membra: ergo licet in viventi, aut in fructibus sint partes excrementitiæ, quæ aliquantulum ipsum alterare valeant qualitativè, nihilominus semper servat eandem temperiem substantificam ab ex-

cessu partium correspondentium elementis, & cum in prima fœtus formatione, & in tota prima ætate superent in viventi partes substantificæ correspondentes elementis calidis, ab illis dicitur calidum intensivè, quin obtent excrementa frigida terreæ, aut aqueæ, ut vivens deperdat illam intensiorem caloris à partibus calidis exsuperantibus, à quibus dicitur calidum in illa intensiione ab elementis participata: ergo cum hæc sit formalis, & actualis in ipsis partibus æreis & igneis, minimè pullulat à forma, separatis per coctionem partibus terreis, & aqueis: quippe eandem intensiorem servant partes æreis, & ignis, quæ in prima ætate perseverant, & dominant puerum calidum in eadem intensiione actuali per totam ætatem. Imò in iuventute, postquam iam vivens in adolescentia acquisivit totam perfectionem in magnitudine, & temperiè, ad perfectius operandum, servat vivens eandem intensiorem caloris, à partibus igneis, quin ex vi coctionis, seu actionis caloris separantis excrementa inutilia acquirat vivens illam intensiorem caloris: nam certum est vivens iam esse coctum, & perfectum in adolescentia: ergo intensio caloris major aut minor nec in viventi, nec in fructibus dependet ex coctione, etsi per ipsam acquirat vivens plures partes novas calidas à quibus extensivè dicitur magis calidum. Et hac ratione intelligenda est Philosophi doctrina, & dogma satis tritum, quod quæ coquantur redduntur calidiora.

Verè tamen est verum: quod vivens in qualibet ætate constitutum patitur, & alteratur ab excrementis frigidis terreis, & aqueis & per reactionem remittitur temperies calida, & per separationem agentis contrarij tollitur impedimentum, & resurgit à propria formâ calida temperies naturalis, in ea intensiione, qua erat, priusquam excrementa frigida reagerent in vivens; ex hoc tamen non sequitur, quod ex vi coctionis separantis, & semoventis huiusmodi excrementa frigida; possit à propria formâ resultare intensior calor, quàm vivens à prima sui formatione participavit à generante, quippe natura concessit temperiem totam suam naturalem, requisitam, & perfectam pro introductione formæ & conservatione, & ut opera nutritionis, & augmenti præstaret; in quibus magis viget calor juvante humiditate: non ergo fuit avara natura in prima fœtus formatione, neque reservavit intensiorem calorem, & virtuales; ut ulterius resurgeret, quoties opera coctricis facultatis exercerentur. Si autem audeat asserere naturam dedisse viventi, à prima sui formatione intensiorem calorem ultra naturalem, ut defenderetur ab injuriis contrariorum, & semper servaret naturalem temperiem, depopulatâ illâ intensiione præternaturali ab agentibus frigidis, continuò alterantibus vivens, & cor, inevitabili actione, à causis naturaliter, & inevitabiliter operantibus (ut forsàn Authores non infimæ notæ asseverant) tenetur cum ipsis asserere contra proprium placitum febrem oriri à principio intrinseco; quod diffusè impugnavimus Tomo nostro secundo dum de febribus egimus; & an à principio intrinseco, aut extrinseco oriatur, examinavimus; sed quia de his plura diximus loco cit. & etiam Tom. tract. de ætatibus, ad alia propero, quæ sunt specialia huius tractatus.

De sapore falso testificat Gal. lib. 4. de simpl. med.

med. fac. cap. 19. indicare temperiem calidam, & siccam, ut plura mixta amara per effectum demonstrant; sic amigdalæ amaræ, & lupini, & semen rutæ sylvestris caliditatem propriam per amaritudinem significant; & interdum sapor amarus fit ex falso, per ulteriorum ustionem, seu calefactionem, sed quod falsum est, est calidum & siccum: ergo mixta amara calida, & sicca sunt.

Videtur tamen hanc Galen. doctrinam non esse omninò firmam; etenim plura sunt mixta, seu alimenta amara, quæ frigida sunt, ut cicuta, & cicoria: ergo ex amaro sapore non colligitur certò quòd mixtum, aut alimentum sit calidum; & siccum. Vtèriùs acerba alimenta seu fructus acerbi dicuntur à Gal. frigidi, dum sunt crudi: quia per maturationem adquirunt dulcedinem: sed plures fructus dum sunt crudi, sunt gustui amari, & per maturationem redduntur dulces: ergo sapor amarus in ipsis etiam denotabit frigiditatem: non ergo sapor amarus semper est index caloris: ita sentit Averroes 5. collectan. cap. 27.

Verum tamen est aliqua esse alimenta amara, quæ frigida sunt, & humida; aliqua verò calida sunt, & sicca: hoc tamen non tollit quod sapor amarus semper sit demonstrativus caliditatis; nam licet sint plura alimenta à prædominio frigida, quæ amarum saporem repræsentant gustui, evenit propterea, quod talia mixta habeant plures partes frigidas in majori numero; & ab ipsis talia mixta dicuntur frigida prædominio, quoniam superant calidas partes, in quibus residet sapor amarus, qui non obscurescit in præsentia frigiditatis excedentis propter sui nimiam efficaciam; ex eo quod illæ partes sunt tenuiores, & subtiliores, & efficacius immutant sensum gustus, & sic efficacius percipiuntur, quo fit ut bene componatur, ut in pluribus alimentis frigidis à prædominio sit sapor amarus, & quòd talis sapor semper oriatur à partibus mixti calidis. Neque ex eo quod fructus immaturi sæpe sint amari, & per maturationem reddantur dulces, sequitur saporem amarum demonstrare frigiditatem sicut acerbum, nam ex amaro fit dulcis sapor in fructibus per maturationem, seu coctionem, resolutis partibus calidis, in quibus sapor amarus stabulatur; non verò alteratis per calorem sicut ex acerbis fit dulcis sapor: nam si partes calidæ amaræ ulterius calefierent, & perseverarent, sine dubio acquirerent maiorem amaritudinem; cæterùm quia deperduntur in illis fructibus priusquam maturescant, postea accedente maturatione dulces redduntur fructus: quin ex amaro fiat dulcis sapor, per ulteriorem calefactionem.

De sapore acri testificat Gal. 4. de simpl. med. fac. cap. 18. esse indicem intensissimæ caliditatis, quem sequitur Avicen. canone 2. tract. 1. cap. 3. & Averroes 5. collectan. cap. 27. & est receptum communiter apud omnes Medicos, & expertum in acris alimentis quales sunt piper, nasturcium, allium, & cœpæ, quæ sicca etiam sunt, non tamen in ea intentione, qua in ipsis viget calor; non tamen est necessarium, quod ea, quæ acria sunt, sint sicca, nam plura habent acrimoniam, cum aliqua humiditate conjunctam, ut zinziber, & piper longum: quod ex eo colligitur, quia facile putrescunt, humiditate ad eoadjuvante, sive dispositivè, ut verius puto, sive

efficienter, ut aliqui docuerunt; si verò acria habeant adjunctam aliquam dulcedinem, apta sunt esui: Amara verò alimenta sunt magis sicca, quam acria, hæc verò magis calida sunt, quam amara. De nitroso sapore Gal. asserit lib. 1. de simpl. med. fac. cap. 26. differre à falso sapore secundum magis, & minùs, & caloris excessum ostendere, & se habere ut mediùm inter saporem falsum, & amarum.

Vtèriùs licet adstringentia medicamenta, aut alimenta ex propria natura habeant densare, corroborare, & aggregare partes distantes, tamen etiam inter sapes Galenus enumerat adstringentem lib. 4. de simpl. med. fac. cap. 6. & 7. Qualitas ergo adstringens si consideretur ut sapor est, confunditur cum sapore acerbo, & austero, de quo Gal. loc. cit. tenet expressè frigiditatem ostendere, & experientia id cognovisse docet; differunt verò adstringentia, austera, & acerba ab acidis, ex eo quod licet acida aliquantulum adstringant, habent tamen maximam tenuitatem partium; adstringentia verò habent crassam & terream naturam, omnia tamen, quæ acida sunt, frigiditatem ostendunt, & differunt austera & acerba secundum magis, & minùs in adstringente. Ponticus verò sapor idem est ac austerus. Avicen. verò nomen pontici imposuit à regione, quæ dicitur Pontus, in qua fructus valdè austeri; & immaturi, atque valdè adstringentes, & crudi generantur, ob nimiam frigiditatem illius regionis; quapropter etiam tales fructus stipticos Avicen. appellavit. Cum autem ostensum sit plura ex his alimentis habere heterogeneas partes, tota hæc doctrina de saporibus, ad dignoscendam temperiem alimentorum intelligenda est de temperie partium, à quibus tales sapes causantur: nam bene stat, quod aliquod alimentum sit frigidum, & quod sit gustui amarum, & talis sapor procedit sine dubio à partibus calidissimis, quarum efficaciam gustum amarum representat; & idem de aliis saporibus intelligendum est; quo constat solutio & soluitur ambiguitas ad cognoscendam temperiem alimentorum ex saporibus.

Odores etiam aliquantulum conducunt in aliquibus alimentis ad cognitionem temperamenti, in illis scilicet, in quibus simili modo olfactum, & gustum representant, huius generis est acetum, & omnia acria alimenta; sic etiam cæpæ, & allium; & sæpe numero solo olfactu in notitiam saporis talium alimentorum devenimus; cæterùm quod odores aliquantulum conducant ad cognitionem temperamenti dictavit Galenus cap. 28. de simpl. medic. facult. eo quod familiaritatem alimentorum odores demonstrant: constat experientia, nam quæ fœtida sunt abjicimus, tanquam inimica ad nutritionem; non tamen econtra omnia suavia, & benevolentia æquè conducunt ad alimoniam: quippe in Musco, & Ambra suavissimum percipimus odorem, & saporem amarum valdè habent, in quibus mixtis similis est causa odoris, & amaritudinis: etenim ambo causam valdè calidam demonstrant, & odores non solum calidam, sed vaporosam valdè, & hæc non sunt dulcia, quia valdè calida sunt: dulcedo autem moderatam caliditatem significat: ideoque parum, aut nihil olent.

Ex dictis deducimus cum Galeno cap. ult. de simpl. med. facult. per experientiam meliùs indagari facultates medicamentosas alimentorum,

& de ipsa tenet, fallacem minimè esse, at per secundas qualitates, ut per odores, colores, & sapes non ita certo naturam medicamenti, nec alimenti agnosci præcipuè totius temperiei mixti, sed solum illarum partium, à quibus sapor, aut color, aut odor procedit; adducit exemplum Galenus in rosa, in qua pars terrea frigida est, crassa, & acerba, pars tenuis amara, & calida, & tandem pars aquea frigida; de coloribus etiam constat eadem doctrina, nam plura mixta sunt alba & frigida, ut lac, alia calida ut calx, alia odorata & frigida ut rosa, alia calida, ut muscus; in saporibus etiam cicuta est amara, & frigida, galla etiam est amara, & calida itaque secundæ qualitates solum denotant temperiem illarum partium, cujus sunt propriæ, minimè autem totius mixti.

Neque defuit nostræ scholæ Complutensis Recentior, qui hanc nostram doctrinam de cognitione temperiei mixti ex secundis qualitatibus coarctare voluit, concedendo veritatem tenere de secundis qualitatibus, quæ immediate oriuntur ex primis, quales sunt sapes, & odores; attamen quia aliæ sunt secundæ qualitates quæ immediate non procedunt à primis, non variantur ad ipsarum variationem, sed media formæ transmutatione à qua dependent; hujus generis sunt colores, gravitas, & levitas, & modi substantiæ, ex quibus difficulter cognoscimus temperiem alimentorum, quia solum sequuntur formam immediate.

Hæc tamen doctrina licet vera sit in qualitatibus occultis, ratione quarum operatur Magnes in attractione ferri, & in venenis, & antidotis, quæ à rota substantia operantur, quæ minimè variantur, nisi per variationem formæ, quia ab ipsa immediate dependent; tamen scrupulosa apparet, si de coloribus, & de gravitate, & levitate intelligatur; nam fructus ab statu cruditaris usque ad maturationem, mutant colores sine variatione formæ; cera etiam ex flava fit alba sola alteratione à calore solis; similiter aqua calefacta levior fit, attenuata, & conversa in vapores; quin in sententia probabilissima mutetur forma; deinde vapor ab aqua elevatus rursus si tangat partem frigidam reducit ad aqueam naturam, & ad suam gravitatem: ergo tales qualitates non sequuntur necessariò formæ mutationem; sed etiam dependent à primis qualitatibus. De modo substantiæ mixtorum certum est etiam interdum sequi ipsius variationem per variationem formæ; interdum verò valida facta immutatione, seu alteratione in primis qualitatibus; constat in metallis, qui à valido calore liquantur, quin mutant formam, & in aqua, quæ densatur à valido frigore, & siccitate intensa, absque ipsius formæ variatione, ea verò, quæ putrescunt, mutant formam, & modum substantiæ antecedentem deperdunt, qui per alterationem validam non amittebatur ante putredinem; & sic non apparet firma doctrina nostri Recentioris, quoad aliquas partes.

De saporibus, & odoribus certum est, melius indicare, & certius qualitatum primarum temperiem; quia ex certa proportione ipsarum dependent, & semper excessum requirunt caloris, aut frigiditatis, sic dulcia, & amara calorem excedentem prænunciant, & similiter salsa; at acida, acerba, & adstringentia frigiditatem excedentem denotant; & idem de odoriferis qua-

litatibus dicendum est; cæterum de coloribus, & de modo substantiæ, & de gravitate, & levitate non currit eadem ratio, siquidem non dependent ex determinata proportione primarum qualitatum, sed interdum à forma, quæ latitudinem habet: ideoque in multa, & diversa proportione qualitatum primarum possunt confervari, & non variantur ad quamlibet variationem qualitatum primarum, sed difficulter removen-tur propter latitudinem, quàm habent, & sæpè perseverant cum contrariis qualitatibus, & sic nec temperiem totius mixti, neque partis determinatæ certò ostendunt, cujus contrarium in saporibus, & odoribus invenitur.

✠

CAPUT VIII.

De modo cognoscendi alimentosas facultates quæ insunt in alimentis.

DX supradictis constat, in alimentis non solum esse medicamentosas qualitates; verum etiam alimentosas, quæ sunt propriæ alimenti, quatenus alimentum formaliter dicitur; quorum omnium cognitio summopere necessaria est, tum ad morborum medelam, tum etiam ad sanitatis tutelam, & recuperationem. Cum autem superiori capite de cognitione facultatum, quæ medicamentosæ sunt in alimentis, diffusè tractaverimus; in præsentī restat agere de cognitione illarum facultatum, quæ in alimentis sunt alimentosæ, quas etiam superiori capite descripsimus, distinguens illas à medicamentosis virtutibus, seu qualitatibus.

Difficile quidem aggredimur iter, cum nihil certum in hac re, neque speciale ab Authoribus antiquis adducatur, neque stabile principium, præter generalia præcepta. Ad perfectam cognitionem facultatum, quæ in alimentis dicuntur alimentosæ, semitam, tamen, licet occultam insinuavit Galenus 4. de simpl. med. fac. cap. 14. ubi dulcedinem in alimentis esse familiarem, & magis proportionatam qualitatem ad alimoniam dictavit sæpenumero, cap. cit. sic incipit caput. *Cæterum omnium quæ nutriunt communis dulcedo est: nam quidquid nutrit, aut plus, aut minus est dulce, his verò, quæ non nutriunt commune est id, quod per negationem, ac privationem sic dicitur, velut non dulce, & indulce.* Quibus verbis perspicuè constat juxta mentem Galeni alimentum debere esse dulce; & quod indulce est, minimè nutrire, neque alimentum dici posse; & inferius sic loquitur de aliis mixtis, *quæ itaque summe acida sunt, acerba, & amara, & simpliciter aliam quamvis qualitatem, præter dulcia, sortita sunt: ea omnia nutrire nequeunt.* Eni quomodo totam similitudinem, familiaritatem, & proportionem inter alimentum, & corpus nutriendum in dulcedinem refundit Galenus, sic in hujus rei confirmationem in calce capitis 14. citati loquitur. *Siquidem quod nutrit, à similitudine, quæ illi est, ad id, quod nutritur dulce apparet: à dissimilitudine verò non dulce: ergo dulcia sunt proportionata, & similia alimenta, contra verò indulcia sunt impropotionata ad alimoniam, & minimè alimenta dici possunt, dummodo dulcedinem aliquam non participant.*

Ex his licet conjectare alimentorum facultates

tes alimentofas nam alimentum, quod fuerit magis simile corpori nutriendo, erit melioris succi, uberioris nutrimenti, & facilioris concoctionis, & distributionis: contrarium verò præstabit alimentum dissimile, & improporionatum; quod per non dulce, aut indulce explicuit Galenus, quemadmodum alimentum simile, & proporionatum per dulcedinem exaravit; per dulcedinem verò in alimentis significatur proporio, & similitudo, tum in modo substantiæ, ut facile convertantur; tum etiam in primis, & in aliis secundis qualitatibus, quas corpora dulcia secum afferunt, quippe optimè temperata sunt, & disposita ad nutritionem, & sic similia dicuntur.

Vallefius noster in expositione loci nuper citati capituli 15. de hac similitudine, seu proporione alimentorum sermonem instituens; tenet conducere ad meliorem, & uberiorem nutritionem, minimè tamen ad suaviorem esum, seu devorationem; rationem adducit, quia lactuca, & fructus minorem similitudinem habent cum nostra substantia; quàm carnes caponum, perdicum & arietis, & tamen carnes indigent præparatione, & condimentis per assationem, aut elixationem, ut devorentur; secus verò fructus, qui sine ulla præparatione suaviter vescuntur: ergo similitudo, & proporio major in alimentis, licet conducatur ad meliorem nutritionem, non tamen ad suaviorem devorationem. Roborat assumptum, quia res acidas, & aliquantulum falsas, & acres cum majori voluptate gustamus, & devoramus, quàm alimenta mere dulcia; quæ potiùs fastidium inferunt: ergo similitudo, quæ per dulcedinem explicatur à Galeno non confert ad voluptatem, sed potiùs ad utilitatem majorem alimoniam.

Contra hanc doctrinam à nostro Vallef. adductam militat argumentum ex verbis ipsius Galeni cap. & loco citato, ubi ait. *Etenim quæ nutriendorum corporum temperaturis similia sunt; ea vel citra coctionem, aut præparationem, jam dulcia apparent; quæ verò dissimilia sunt, omnia insuavia sunt, ante præparationem.* Ex his clarè infertur, quod similia sunt dulcia, & suavia ante præparationem: ergo similitudo non solùm conducit ad majorem utilitatem, verum ad gustum suaviorem.

Huic argumento conatur satisfacere Vallef. & ait, quod quando Gal. quæ similia sunt, etiam suavissima esse pronuntiavit, & dissimilia sine præparatione edi non posse, intelligendus est de his, quæ sunt actu similia, ut carnes porcine, & aliæ, & forsàn humanæ carnes, quæ quia similia actu edi non possunt sine præparatione per assationem, aut elixationem; at verò, quæ sunt similia potentia, ut fructus non egent præparatione aliqua externa: nam eo ipso, quod maturi sunt, similes redduntur ad partium nutritionem, cum antea dissimiles essent: quippe alimentum debet esse dissimile in principio, & in fine simile, si Philosopho credere debemus; ceterùm cum carnes habeant actualem similitudinem cum homine, necessarium est ut mediis alterationibus fiant dissimiles, ut possint esse alimentum, & de illis est verum dicere quod sine præparatione edi non possunt.

Plura tamen se offerunt contra doctrinam doctissimi Vallef. nam lac est alimentum valdè simile pro pueris: & etiam est suavissimum: ergo

similitudo actualis non opponitur suavitati in gustatione ipsius; & licet aliqua alimenta sint similia, & insuavia in ordine ad esum, ut carnes omnes sine præparatione: tamen ex hoc non sequitur, similia actu esse necessariò insuavia, ut aiebat Vallefius: quandoquidem est certum plura alimenta esse similia, & suavia, & plura esse insuavia, & similia, seu proporionata in ordine ad nutritionem; certum tamen est omnia alimenta reddi similia, & magis proporionata ad nutritionem, ratione præparationis, in carnibus per assationem, & per elixationes; in fructibus per maturationem, & per elixationes, quæ in ventriculo, & hepate celebrantur, in quibus separantur inutilia excrementa, & hac ratione alimenta magis depurantur, & utiliora, & magis proporionata redduntur ad ultimam transmutationem; cum autem dulcia alimenta sint optimè temperata, & calida quidè, neque immodicè nostrum calorem exuperent. Galeno auctore 4. de simpl. cit. cap. 9. fit inde quod alimenta debent esse dulcia, non quidem quia dulcedo ipsa, quatenus qualitas gustabilis est, conducatur ad nutritionem; sed quia alimentum quod dulcedine est præditum, est optimi succi, facilis transmutationis, & simile seu proporionatum ad ultimam transmutationem facile subeundam. Unde per dulcedinem jure optimo explicuit Galenus similitudinem in alimentis requisitam pro nutritione.

Ex his deducitur frivolum valdè esse distinctionem in alimentis de similitudine actuali, quàm posuit Vallef. in carnibus & de similitudine potentiali, quàm in fructibus concessit: nam potiùs videtur rationabilius, quod quæ similia sunt actu, ea sint non solùm aptiora ad nutritionem, sed potiùs suaviora ad esum, dummodo præparationem suscipiant ab arte per assationem, aut elixationem, aut ratione aliarum præparationum, mediis obsoniis; neque intelligibile est, quod ea quæ actu sunt dissimilia dicantur potentia similia, ut de fructibus tenet Vallef. quapropter illud solùm erit magis simile, quod fuerit magis proporionatum, & dispositum ad nutritionem; & quod fuerit minus capax, seu non ita proporionatum ad nutritionem, dummodo habeat aliquam similitudinem, aut proporionem, poterit dici simile in potentia; & hoc tenet verum, sive in carnibus, sive in fructibus; quippe non omnes carnes habent eandem capacitatem, & proporionem, seu similitudinem ad nutritionem, cum inter ipsas, quædam sint duriores, quædam molliores, aliæ multi, & boni succi, e contra aliæ, eò quòd habent plus, aut minus humoris excrementitij, & idem de fructibus, & leguminibus intelligendum est; ac proinde chimerica, aut futilis est distinctio de similitudine actuali, & potentiali in alimentis, ut satisfaciatur testimonio Gal. supra adducto, quod videtur contrariari doctrinæ ipsius de similitudine alimentorum, quæ modo à nobis explicato debet intelligi, neque aliud voluit significare Galenus si rationabiliter loquamur iuxta ipsius dogmata.

Adductam Gal. doctrinam plures deobscure intendunt rationibus futilibus: prima sit: nam Plantæ nutriuntur ex elementis, terra scilicet, & aqua, in quibus nulla est dulcedo, imò neque ullus sapor, cum elementa insipida sint: ergo dulcedo in corporibus impertinens est ad alimoniam.

alimoniam. Frivola quidem ratio: nam ex supradictis constat, elementa pura minimè nutritæ plantas; rationem ibi assignavimus, & sic in præsentî repetere supervacaneum erit.

Secundo Galeni doctrinam obruere intendunt ex eo quòd, plures partes nostri corporis, biliosæ, scilicet, & melancholicæ, nutriuntur ex bile, & melancholia; & præcipuè habet vim hæc maior propositio in nostra opinione in qua Tractatu nostro de humoribus Tomo primo probavimus contra nostrum Magistrum, sanguinem quartum humorem non esse alimentum omnium partium, sed solùm carnosarum. In qua suppositione urget argumentum: etenim neque in bile, neque in melancholia relucet suspicio dulcedinis, sed potius acerbitas, & amaritudo valdè in ipsis superant: ergo alimenta omnia non debent esse dulcia.

Respondent aliqui prædictos humores dici amaros, & aceros per majorem excessum partium, à quibus sumunt denominationem, & temperiem: re tamen vera in ipsis esse aliquas partes magis temperatas dulces, ideoque ratione illarum esse capaces nutritionis, ut absolutè verificetur Galeni propositio supra adducta, nempe quod omne alimentum debet esse dulce. Præterquam quod non defuere, qui existimarunt, huiusmodi humores nutrire ex eo quod permisceantur cum sanguine, per cuius miscelam redduntur apti ad nutritionem, se habente sanguine quarto humore alterante, tanquam obsonium, aut condimentum humoris biliosi, & melancholici; qua ratione dulcedinem participant: tamen si hæc permixto fit per iuxtapositionem, scrupulosa est doctrina, & à nobis acerrimè impugnata Tomo nostro primo Tract. de humoribus cap. 9. fol. 79. & 80. contra nostrum Magistrum.

Quare probabilius putamus in omnibus humoribus esse aliquas partes, & ratione illarum nutrire, licet non ita uberrimè sicut sanguis. Aut etiam tuè, ne dicam veriùs possumus Respondere id quod supra insinuavimus nostro Tomo primo cap. citato, nempe Galenum per verbum *dulce* solùm intelligere proportionatum, & familiare alimentum, tum in primis, tum in secundis qualitatibus, & præcipuè in modo substantiæ. Et iuxta hunc philosophandi modum, partem pituitosam ex pituita, biliosam ex bile, & melancholicam ex melancholia nutrire asseruimus; ratione proptionis majoris, & majoris familiaritatis cuiuslibet humoris ex relatis cum proprio membro. Porro quod per verbum *dulce* debemus intelligere alimentum temperatum iuxta Galeni mentem certissimum est, si ipsum audiamus. 4. lib. de simplic. med. fac. cap. 5. ibi enim sermonem faciens de medicamentis emplasticeis diversis, de oleo dulci sic loquitur. *Positum autem retro est, quid dulce vocitem. Ergo hoc ex aëreosa, terrea, aqueaque essentia temperatum est.* En quomodo dulcedinem explicat non per qualitatem gustus propriam, sed potius per temperiem accommodatam, & proportionatam, qua doctrina plura testimonia, quæ in Galeno videntur ambigua, & contraria clarissimè solvuntur.

Suffragatur huic doctrinæ Avicenna lib. 2. tract. 1. cap. 3. ubi sequentia dictavit verba. *Et non oportet quidem, ut sit illud quod est dulcius, nutritibilis; neque illud, quod est suavius, nutriti-*

lius, quamvis sit possibile, quod in omni nutriente apud Medicos sit dulcedo aliqua. Ex his licet colligere iuxta Principis doctrinam, dulcedinem prout ad sensum gustus attinet non reddere alimentum proportionatum, & capax necessario ad nutritionem quippe in mixto dulci, & est qualitas gustabilis, & est substantia, cui inest illa qualitas; talis autem substantia est alimentum seu causa materialis nutritionis; sapor verò dulcis, solùm est signum, aut indicium, ut cognoscamus, alimentum proportionatum, & familiare, quia dulcedo index est mixti temperati; tum in primis, tum etiam in secundis qualitatibus; ea tamen qualitas non debet esse in excessu, nam quæ summè dulcia sunt, non præbent materiam idoneam ad nutritionem, præcipuè si comparentur cum natura calida, aut ætate calida, ideoque in iuventute in bilem convertentur; ita de melle loquitur Gal. 1. de alim. facult. c. 1. Sic cenfeo in alimentis esse considerandam virtutem respectivam, non absolutam, ut proportionata dicantur, & familiaria ad nutriendum; & quia quæ summè dulcia sunt communiter fastidium causant, hæc qualitas quatenus gustabilis; non reddit alimentum magis proportionatum, ideoque aliqua obsonia acida oportet miscere cum summè dulcibus, ut grata sint gustui, & melius nutriant, aut saltim ut fastidiosa non sint; neque ipsa dulcedo moderata, solùm est index optimi alimenti, & proportionati; & in hoc sensu Avicenna loco citato subdit. *Quod nutrimentum alijs indiget conditionibus præter dulcedinem hanc.* Inter alias conditiones, illam quæ à modo substantiæ oritur, numeravit Galenus quæ à dulcedine oriri non potest, quippe dulcedo moderatum calorem demonstrat in alimento; ultra quem requiritur modus substantiæ facile variabilis, & vincibilis in ipso. Quæ ratione Galenus 2. aphorif. text. 18. tenet quòd vinum celerrimè alit, ac caro bubula tardissimè, & paulatim. *Et ut summam comprehendam* (hæc sunt verba) *quacumque dura carne constant eandem cum his naturam habent.* Ex quibus constat satis clarè ad alimoniam multum conducere in alimentis fragilitatem, & friabilitatem, ratione quarum facile transmutantur, & modus substantiæ facile pervertitur, & cedit alterationi à natura factæ medio instrumento coctricis facultatis & nutrientis facultatis. Consonat Galenus libello de alimento ubi ait, *cibus alteratu difficilis agrè consumitur, & discutitur: cibus contra facilis appositu, facile consumitur, & exhauritur.* Nihil clariùs ad significandum modum substantiæ in alimentis, facile aut difficile vincibilem; & iuxta hanc considerationem Galenus 2. aph. text. 18. citato, de alimentis, quæ facile aut difficile permutantur ait, *Suilla igitur, ceteraque alia, quæ lentos, & crassos humores habent, non nisi multo tempore ex toto discutuntur corpore.* *Olera verò, piscesque saxatiles, & quidquid denique distribuendo, constat tenui succo, distributionis quidem & appositionis celeritate alijs præstant, firmam verò stabilemque naturam non habent, sed facile digeruntur, & cute perspirabili evanescent.* Quibus verbis, satis clare, & sententiosè, rem de qua agimus, absolvit.

Inquires: si solùm quod est dulce nutrit, illud solùm appetemus; constat autem acida, & salia, sæpè numero appeti, imò, & ipsa dulcia misceri cum acidis, ut excitent appetitum,

tum, & non sint fastidiosa: ergo non solum quod est dulce nutrit. Respondeo: aliud esse nutrire, aliud excitare appetitum; dulcia omnia magis nutriunt, quia magis familiaria, & proportionata; acida verò, & acerba, & quæcumque obsonia, seu condimenta huius generis sunt, conducunt magis ad excitandum appetitum media corrugatione, necessaria ad famem, in ventriculo, quam præstant alimenta, seu condimenta acida, acerba, aut salsa. Proinde tamen non sequitur, quod vis nutritiva in ipsis magis vigeat licet conferant ad ipsam nutritionem, & ut suavius, aut avidius gustentur, & devorentur.

Nec modus substantiæ facilè vincibilis absolute magis præstat in alimentis ad alimoniam, nisi respectivè consideretur: Nam vitella ovorum absque induratione sunt multi, & facilis nutrimenti, & tamen à ventriculo calido, & bilioso exurantur, & in nidorem convertuntur; & in lactè idem accidit; secus in ventriculo, aut corpore benè temperato; unde modus substantiæ, sicut & temperamentum in alimentis debet considerari iuxta naturam respectivam, & non iuxta absolutam; & similiter respectu hominis benevalentis; nam si ventriculus sit à vitiosis succis distemperatus, vitiosa appetit alimenta, ut carbones, & alia prava edulia, ex hoc tamen non inferitur talia mixta alimentosis qualitatibus, & virtutibus esse ornatà; quia à vitiosa temperiè, & valdè præternaturali excitatur appetitus talium eduliorum. Vnde etiam si Galenus 4. de simplicibus cap. 9. ex appetitu docuit esse dignoscendam alimentorum facultatem intelligi debet de statu naturali, in quo appetimus alimenta proportionata, & familiaria, sicut etiam in statu vitioso vitiosa alimenta appetit ventriculus. Hanc doctrinam clariùs dictavit Galenus cap. 63. artis medicinalis perpendite verba. *Mala verò temperatura, quæ morbi ratione ventriculum occupant. Hoc differunt ab his, quæ naturales existunt; quoniam contraria, non autem similia appetunt, quemadmodum naturalis*, quibus verbis inferitur non dubiè, quod per naturalem famem appetimus familiaria alimenta; in fame autem præternaturali, quæ à temperiè vitiosa ventriculi oritur, vitiosa, & contraria nimis alimenta appetimus; ac per consequens ex appetitu naturali, optimè indagari familiaritatem alimentorum; & hac ratione optimè intelligitur, quod diversa animalia diversa appetant alimenta; & aliqua sint proportionata nobis & aliqua brutis; ratione diversæ similitudinis, quam ex appetitu indagamus.

Neque valet si objicias contra dictam doctrinam: quod si appetitus ordinaretur ad similia nunquam satiaretur, neque esset cibi similis fastidium; quippe ex eo quod simile alimentum devoremus non tollitur similitudo cum alio simili alimento eiusdem speciei: ergo semper appetere debemus simile alimentum, & nunquam satiabimur neque erit cibi fastidium, cum semper perseveret similitudo ad appetitum similis alimenti. Non inquam valet argumentatio hæc, nam ad famem requiritur sensus suctus, qui præsupponit inanitionem, & sic quamvis assumpta sufficienti quantitate alimenti similis non deficiat temperies naturalis in ventriculo conducens ad appetitum similis, deficiat tamen alia conditio valdè necessaria, nempe inanitio, ad quam

sequitur suctus, & appetitus ciborum, in repositionem inanitionis, seu defectus alimenti priùs assumpti; & sic ruit objectio; siquidem temperies naturalis disponit organum, ut quando appetat, sit simile, quod appetit, non tamen disponit ut absolute appetat, quippe hoc ad famem aut sitim attinet, per defectum cibi, aut portionis.

Vterius neque ex eo quod ventriculus sit calidus, & appetat alimenta similia calida, sequitur, quod non appetat potum frigidum, nam potum non appetit, quia simile, aut dissimile sit, sed quia per calorem consumitur humidum, & interdum æstuat ventriculus, & prostratur appetitus ad cibos, & ad potum augetur. Qui est appetitus frigidi & humidi; Vnde semper quod sit dispositio in ventriculo ad potum, appetit illum, tanquam necessarium, non tanquam simile; unde non evertitur Galeni doctrina.

Restat tamen contra Gal. adductam doctrinam scrupulus, nam si dispositio naturalis conducit ad appetitum similitum alimentorum, nunquam vivens inclinaretur ad appetenda contraria alimenta; sed plerumque alimenta assueta, licet similia sint nostræ naturæ, vitiant appetitum, & illum inclinant ad contraria alimenta, & dissimilia: ergo potiùs temperies, & dispositio organi debet esse contraria, ad illud, quod appetitur ac per consequens temperies naturalis potiùs debet inclinare ad contraria alimenta, quam ad similia, & hoc forsitan voluit Gentilis in expositione Avic. lib. 3. fen. 13. tract. 2. cap. 7.

Respondeo: ex nimio, & continuato gustu eiusdem alimenti depravari gustum, & non immutatur, neque instigatur appetitus ad simile alimentum appetendum, quia non percipit qualitates excedentes, & sic quando appetit animal contraria alimenta vitiatum est organum appetitus. Instabis: quâ ratione alimentum simile potest vitiare appetitum ad alimenta similia? Respondeo ex dictis, temperiem naturalem non conducere ad excitandum appetitum; sed solum disponit ut quando appetit sit simile alimentum, hoc autem poterit vitiare appetitum; non similem temperiem, & sic vitiato appetitu, non est mirum si alimenta contraria appetat, quæ per excedentes qualitates movent appetitum, nec mirum est, cum similia alimenta assueta & per multum tempus continuata non immutent appetitum, cum ab assuetis non fiat passio, dictante Philosopho.

Ex his inferitur, quod temperies præternaturalis conducatur, & inclinet etiam ad similia alimenta ipsi temperiè; dissimilia verò viventi instatu, & temperiè naturali constituto; & id sonant illa ultima verba Galeni lib. artis medic. sup. citato, quando pronuntiavit quod malæ temperaturæ, quæ morbi ratione ventriculum occupant, differunt ab alijs, quæ naturales existunt, eo quod contraria, non verò similia appetunt; nam illa particula contraria dicitur respectu viventis, & similis respectu dispositionis præternaturalis.

Ex facultatibus alimentosis, quæ in alimentis insunt est minoris momenti, quod sit facilis, aut difficilis concoctionis, modum tamen agnoscendi tales facultates in alimentis, manifestavit Gal. de cibis boni, & mali succi cap. 45. per sequentia verba. *Nam quæ ex seminibus, aut ex fructibus*

fructibus intumescunt, veteremque siccitatem & duritiem deponunt, præstantiora; quæ verò minimè tument, pristinamque duritiem retinent duriora sunt, hæc enim terræ sive a substantiæ sunt, agrèque coquantur, atque ut in ventre perficiantur opus est valentibus facultatibus. Et immediatè post subdit si aliqui in cibo simendi sunt, madefaciendi prius sunt, ut eorum naturam certo assequi possimus. Quibus verbis clarè insinuat modum agnoscendi cibos, qui sunt facilis, aut difficilis coctionis, seu tenuis, aut crassæ substantiæ, nempe ex eo quòd facile intumescant, aut madescant, si in aqua infundantur, tunc enim, conjectabis, facilem transmutationem habere; cæterum si duritiem conservent, difficile transmutantur, & coquantur, & non sunt optimi nutrimenti; quæ verò alimenta madescunt, etiam sunt optimi, & melioris succi. Ratio est manifesta; etenim quæ madefacta dissolvuntur citò, habent modum substantiæ facile dissolubilem, ideoque facile coquantur, & ab actione naturæ vincuntur facile, separatis excrementis inutilibus. Contrarium verò accidit in alimentis, quæ conservant duritiem, & in aqua infusis non madescunt; nam hæc difficilem habent modum substantiæ & ferè invincibilem, quare malè coquantur, nec succum habent optimum; neque idoneum ad alimoniam: Audite iterum Galenum loco citato sic fantem. *Quæ enim citò in aqua macerantur, sive ea elixes, sive non, easunt in suo genere præstantissima. At quibus longo tempore id accidit, & quæ parum tumoris adquirunt, ea in malis habeantur scito. Igitur adulia, quæ citò intumescunt, non solum ad coquendum esse faciliora, sed etiam ad meliorem succum gignendum.* His verbis rationem reddit nostræ conclusionis, neque in hac re magis immorari est necessarium; quandoquidem nihil est, quod in omnibus alimentis ad succi bonitatem confirat, quam optima in ventriculo elixatio, quæ non dubie fit, quando cibi à calore dissolvuntur; cuius signum est, quando facile in aqua madescunt.

Hinc disces ex appetitu minimè esse compensandam maiorem similitudinem, & proportionem ad nutritionem neque ubertatem nutrimenti seu optimi succi; nam ea quæ idonea sunt esui, dulcem quamdam, saltim obscuram habeant qualitatem, necesse est, iuxta Galeni dogmata; unde plura alimenta appetuntur propter aliquam dispositionem peculiarem ventriculi, vel ob saporem aliquem ex his quæ excitant appetitum, vel ratione alicuius præparationis, aut condimenti, etiam si non sit optimi succi, nec multi nutrimenti, solum ex eò quòd redduntur suaviora ad esum; quare non omnia alimenta habent eandem similitudinem; etsi appetantur; neque ex appetitu metienda est similitudo, seu proportio in alimentis ad nutritionem.

Rogabis: cur alimenta aliqua, fructus videlicet, & legumina plura, non indigent præparatione ad esum, etiam si non habeant tantam similitudinem, seu proportionem ad alimoniam, sicut carnes, quæ indigent præparatione, ut coquantur, & nutriant. Respondet aliquis, fructus præparari ad esum per maturationem per quam plures partes inutiles, & excrementitiæ separantur, ideoque dulcedinem adquirunt sufficientem ad esum, citra aliam præparationem.

Instabis illico: quod etiam animalia coquantur, & maturantur, dum ad statum adolescentiæ

perveniant, in quo viventia dicuntur perfecta, & matuta, penes id quòd in ipsis partes inutiles sunt resolutæ, etiam excrementitiæ: ergo eodem modo tales carnes esui erunt aptæ absque ulla externa præparatione.

Respondeo: in fructibus esse maiorem similitudinem, seu proportionem in modo substantiæ, quam in carnibus; & insuper esse creatos magis immediatè propter animalium nutritionem, cum ex se nullum alium habeant finem, neque peculiarem operationem; ideoque nulla egent externa præparatione simpliciter necessaria ad esum: etiam si ipsa possint accipere per elixationem, aut assationem, ad facilius nutriendum. At in carnibus est maior similitudo ad nostram nutritionem, in primis qualitatibus; secus in modo substantiæ, in quibus est difficilis dissolutionis, & perversiois; & insuper licet sint formatæ ad nostram nutritionem, non tamen ita immediatè, cum habeant operationes proprias, & munera quibus deserviunt; & sic indigent præparatione externa, seu condimentis, tum ad appetitum, tum etiam ad esum, & ut facilius coquantur. Tamen verum est, posse in aliquibus viventibus esse ita validam, & efficacem virtutem commutativam, & coctricem medio calore validissimo, ut citra noxam utantur carnibus crudis, absque ulla præparatione; hoc tamen rarò fit; & nostra doctrina locum habet, circa ea quæ frequenter accidunt in coctionibus, & nutritionibus communibus. De quibus forsan loquitur Galenus lib. citato de cib. bon. & mal. succi ubi sic fatur. *Cunctis ergo corporis partibus, secur alimentum præparat; illi ventriculus; huic os, ori quædam vel iurulenta, vel assa, vel frixa: sed his omnibus gubernatrix natura fructiferas plantas præparat, nonnulla etiam ab ipsa gignuntur, quæ neque elixanda, neque assanda, neque aliter præparanda sunt. Ex his stabilita manet adducta doctrina, rationem supra tetigimus. Et hæc sufficiant pro lite proposita.*

CAPUT IX.

Vtrum facultates Alimentorum sint actu in ipsis, An verò potentia.

INTER facultates alimentorum, quæ medicantosa appellantur principales, & magis manifestæ sunt qualitates primæ, à quibus virtus in ipsis inest calefaciendi, refrigerandi, &c. de quibus litigium præsens procedit; an scilicet huiusmodi facultates seu qualitates primæ sint in alimentis, actu, & formaliter? an verò potentia, seu virtualiter, (ut Aliqui loquuntur.

Et quidem pro clarioi intelligentia, & resolutione litis propositæ, memoriâ tenenda est, Galeni doctrina, quam latè adduximus primo nostro Tomo tract. de temperamentis, disput. 2. cap. 4. ubi de temperamento potentiali latè egimus, & qua ratione reducat in actum. In præsentem tamen opportunum, imò necessarium iudicavi aliqua ex dictis in hunc locum transferre, ex his, quæ ad hanc difficultatem attinent, ut omnia præ manibus habeantur.

Galenus igitur 3. lib. de temperamentis cap. 1. tripliciter posse aliquid esse potentia calidum insinuavit; aut quia tale potest fieri ab interno principio, impedimento aliquo sublato, qualiter infans dicitur rationalis, quia poterit ratione uti, impedimento sublato, & avis volatilis, & canis venator, & equus celer (his enim exemplis vitur Galenus) & nos addimus, & sicut Piper dicitur calidum. Secundo potest dici aliquid potentia calidum, ab externo, sic sanguinem dicimus esse carnem potentia, quia ex eo potest fieri caro ab externo principio. Tertio modo potentia calidum dicitur, quidquid in externo subiecto potest producere calorem, ut sol, necnon etiam aqua frigida, quando ex accidenti media constipatione, & fuliginum detentione producit calorem.

Ex dictis tribus modis. Primus est proprius, eorum, quæ potentia dicuntur talia, ut expresse Galenus loco citato advertit; Vbi obiter etiam notandum est dupliciter adhuc posse mixtura aliquod reduci in actum ab intrinseco. Primo modo quando est in statu violento, & ab intrinseco exposcit reduci, & de facto reducitur ad suum statum naturalem, & hoc modo omnia mixta potentia talia dicuntur; etenim propria est cuiuslibet reductio ad esse naturale ab intrinseco principio. Igitur de his minimè procedit difficultas, cum certum sit non indigere actuacione, sed à se ipsis redduci posse, semoto agente violento: secundo modo, & magis proprie mixta aliqua ab interno principio fiunt actu talia, nempe quando in suo statu naturali considerata propter impedimentum quoddam ab ipsa natura ortum, non sunt talia, qualia fieri possunt, impedimento illo naturali sublato; huius generis est piper, nam existens in statu naturali ablato impedimento à natura orto, per actuacionem à nobis factam, reducitur ad actu calidum (& ut non citra rationem suspicor, ut postea dicemus) actu mordax, & acutum, eo quod habeat etiam secundas qualitates in potentia; de his ergo alimentis procedit controversia, an scilicet sint omnia potentia calida? & an actuatio, seu reductio in talibus mixtis ad calorem, fiat præcise per alterationem à nostro calore, an ratione alterius qualitatis semoventis impedimentum illud naturale, quo ablato, reducitur piper (exempli gratia) ad actu calidum.

Circa primum certum videtur: quod omnia alimenta, secundum qualitatem calefaciendi sint potentia talia; itaque omne alimentum semper est potentia calidum. Hanc conclusionem distavit Galenus 3. de temperamentis cap. 1. per sequentia verba. *Quippe alio genere calefit is, qui ab igne, vel sole intepefcit; alio is, qui à prædictorum quorvis medicamentorum; illa namque actu sunt calida; Medicamenta vero nequequam, itaque neque calefacere nos valent, priusquam actu talia fiant; ac quod actu talia sint id à nobis accipiunt.* Quibus verbis clarissimè docet Galenus ignem, & solè actu solum calorem habere, & formaliter; Medicamenta verò, seu alimenta medicamentosa minimè actu esse calida, esse solum potentia, ex eo quod calefacere non valent; priusquam actu à nobis calida reddantur: ergo supponit ipsa esse semper calida in potentia, hoc ipsum experientia demonstrat, etenim per tactum, nullum mixtum apparet calidum, nisi ab igne, aut à sole calefiat prius, aut à nostro calore, nam si aliquod

medicamentum ex his quæ talia dicuntur potentia calida ore gustemus, etsi primo occurfu, frigidum tactui appareat; tamen post actuacionem intensum calorem percipimus, imò & mordacitatem: ergo cum antea frigidum sentiat Piper, (exempli gratia) & postea alteratum à calore nostro, & actuatum, sentiat calidissimum, & summè mordax, necessario sequitur, calorem illum potentia tantum, & virtute existere in ipso, & minimè actu: ergo omnia alimenta, seu medicamenta calida potentia sunt talia, & minimè actu.

Opponitur adductæ doctrinæ experimentum in calce, vitriolo, & aqua forti, præ manibus quotidie usitatum, cum ab his vestimenta urantur, cuius effectus nulla alia causa esse potest nisi calor actualis, & igneus prædictorum mixtorum: ergo præter ignem, & solem plura sunt mixta actu calida.

Respondet noster Socius supra citatus in suis manuscriptis quod in calce sunt partes igneæ, quæ ratione siccitatis & maximæ crassitie non apparent, donec ab aqua laxentur, & madefiant, & sic postquam ab aqua laxatur calx comburit, & minimè antea. De vitriolo, & aqua forti docet, linteos comburere; vel propter partium tenuitatem, vel quia habent aliquas partes actu calidas respectu illorum corporum, quæ comburunt, quas non habent respectu nostri corporis. Sic soluit dubium propositum.

Hæc solutio non satisfacit, nam siccitas in calce minimè potest impedire vim urendi, cum in igne sit tanta siccitas, & non impediatur vim, & efficaciam urendi, imò siccitas dicitur à Philosopho caloris lima: ergo potius siccitas acuit vim ignis quam ipsam impediatur, nec frangat; nec densitas partium crassarum id potest facere, cum potius sit conditio, ut fortius agat calor: ergo in calce vis urendi non occultatur, neque à siccitate neque à crassitie, nec opus est irrigatione aquæ, cum ad coercendam putredinem in membris sthiomenatis, quæ in mortificationem tendunt, sæpè numero cum felici successu superponatur hoc auxilium, quod non alio modo iuvat, quam urendo, & consumendo partes putridas, imò & linteos comburit, sicut, & vitriolum & aqua fortis. Nec de illis vera apparet solutio, siquidem talia mixta absolute urunt per partes igneas actuales, quas habent respectu linteorum, & respectu viventium, cum extrà cuti imposita, ipsam exulcerent: ergo chimerica est talis solutio.

Quare à nobis dicendum est talia mixta minimè esse alimenta, & habere in se partes igneas actuales ab igne scilicet communicatas, sicut ferrum candens; ideoque actu habere calorem sicut ignis. Ex quo solvitur dubium & nihil contra Galenum apparet.

Uterius Galeni doctrinam debellare conatur ex eo quod si medicamenta, aut alimenta potentia calida, à nostro calore prius calefiunt, ut actuentur, postea in illis resultat intensior calor qui nos alterat, & calefacit; videtur talem intensificationem caloris esse violentam, & præter naturam in pipere, & in alio quodlibet alimento potentia calido. Assumptum suadetur; nam si vomatur piper post alterationem à nostro calore factam. Statim se reducit ad temperiem antecedentem actualem frigidam debitam suæ formæ, qua conservabatur in statu naturali:

ergo quidquid accidit alimento potentia calido post actuationem, & alterationem a nostro calore est ipsi violentum; cum ergo post actuationem resultet in ipso intensior calor: sequitur talem calorem denuo resultantem esse praternaturalem in pipere: patet sequela: nam in tali mixto forma ipsius non exigit illam majorem intensiorem caloris; cum potius in suo statu naturali conservetur absque violentia aliqua cum temperie actuali frigida, & cum illo gradu caloris elementalis, qui sufficit ad conservationem formae mixti: ergo calor intensior, quo nos recalcificat alimentum potentia calidum, est omnino violentus, & praternaturalis tali alimento.

Respondet Socius noster in suis manu scriptis, dictum calorem produci a propria forma mixta, si potentiae non distinguantur ab anima; si autem distinguantur producit ille calor a qualitate quadam, quae dicitur naturalis potentia pertinens ad secundam speciem qualitatis: & cum medicamenta sint a natura producta ad sanandos morbos: non deputat in conveniens quod contineant virtualiter aliquas qualitates, quae sint praternaturales in ordine ad principium, dummodo sint naturales in ordine ad finem, & operationem propriam illius mixti (haec sunt propria ipsius verba) proindeque calorem intensiorem, qui in pipere resultat post actuationem esse praternaturalem suo principio, videlicet formae specificae piperis; & esse naturalem respectu finis, seu operationis propriae talis mixti.

Haec tamen solutio prorsus falsa mihi videtur, & aliena a vera Philosophia, quidquid sit de distinctione, aut identificatione potentiarum cum anima; de qua tractatu nostro de facultatibus specialiter agimus: etenim sive illa major intensio caloris immediate tanquam a principio elicitive oriatur a naturali potentia illa, quae attinet ad secundam speciem qualitatis, sive ab ipsa forma mixti, minime poterit esse violenta & praternaturalis respectu principij elicitive, quia fatetur virtualiter contineri in ipsa forma: ergo ipsa forma, quatenus est ex se, est productiva illius majoris intensiorem caloris, si auferatur impedimentum ratione cuius potentialitas illa non reducebatur ad actum: atqui per actuationem a nostro calore tollitur impedimentum: ergo exigentia ad productionem intensiorem caloris erat naturalis principio elicitive, seu formae mixti, & per consequens talis intensio caloris est debita, & naturalis formae mixti, quae ob suam latitudinem sine dubio conservatur cum actuali frigiditate ante actuationem, sicut etiam forma aquae, etsi habeat exigentiam ad producendam intensam frigiditatem, conservatur cum actuali calore, qui est violentus formae aquae; & hac ratione potius illa actualis frigiditas in pipere est violenta, quia ejus forma exigit productionem caloris, quem virtualiter continet, si auferatur impedimentum, & removeatur; quemadmodum aqua calida exigit productionem frigiditatis, si removeatur impedimentum; unde etsi piper reddatur actu frigidum, si vomatur; ex eo est, quia deficit conditio, seu actuario a nostro calore, ut pullulet calor virtualis, seu potentialis, quae ablata, redditur piper actu frigidum, & quae posita redditur actu

calidum; unde non inferitur frigiditatem illam actualem esse naturalem sed potius violentam, & calorem virtualem esse naturalem, non solum ex parte finis (ut aiebat socius) sed ex parte principij.

Urgeo etiam eandem solutionem exemplo adducto a Gal. supra, nam dum loquitur de mixtis, quae sunt potentia, seu virtute aliqua praeditis, & de potentia calidis, tenet, ea esse talia, quae ab interno principio, impedimento aliquo sublato, producant talem calorem. Et hac ratione docet infantem esse rationalem, quia poterit ratione uti, impedimento sublato, idem de ave volatili, & cane venatore intelligendum, in quibus apposuit exemplum: ex his premo assumptum. Nam ea medicamenta dicuntur calida potentia, quae ab interno principio producant calorem ablato impedimento (& hoc fatetur socius cit. in limine capitis, & praesupponit tanquam inviolabile, & verum in doctrina Galeni, quam confitetur) ergo si calor ille major in potentia calidis, oritur ab interno principio, minime poterit esse violentus, & praternaturalis ex parte principij elicitive; sicut in Infante ratione uti, neque in cane esse venatorem; ac per consequens sicut in Infante, & cane ratiocinatio, & venatio oriuntur ab interno principio, ablato impedimento; ita & illa intensio caloris, quae virtualiter, & potentia erat in pipere, & refurgit ablato impedimento per actuationem, est omnino naturalis ex parte principij: quia a visceribus formae dimanat & producitur.

Neque illud, quod adducit de calore intensiori talium alimentorum, scilicet, quod sit naturalis ex parte finis, & propriae operationis, est omnino firmum; quoniam, etsi natura concessit temperiem mixtis potentialem, pro debellandis morbis, tamen saepe contingit quod ea temperies sit praternaturalis, & violenta viventi: nam calor intensus, qui in pipere excitatur post actuationem, saepe laedit ipsius actiones, tam jecoris, quam ventriculi: ergo absolute non est naturalis, respectu finis, & propriae operationis talis mixti, & si est proprium talis mixti calefacere, & omnino naturale, hoc potius debet compensari ex parte principij, cum ex parte finis talis operatio sit respectiva, quae quandoque nocet, & interdum prodest: ruit ergo solutio nostri socij ex omni latere.

Adhuc tamen contra Gal. doctrinam possumus instare efficaciter: nam ipse 3. de temperamentis cap. 2. de potentia calidis sermonem faciens, ait, *Nec calefacere nos possunt, quin prius actu sint talia, esse autem actu a nobis ipsis accipiunt.* Et inferius prosequitur sic. *Nec mirum si quae calefaciunt calefieri ipsa prius possunt.* Vbi modum, quo alimenta potentia calida actuantur, & in actum reducuntur, exploravit, simulque causam efficientem actuationis pronuntiavit; ex quo sequitur quod eodem modo alimenta potentia calida actuantur, & ad actum reducuntur, si ab igne, aut sole calefiant, quemadmodum si a nostro calore alterentur, quippe uterque calor est eiusdem speciei; si ergo piper a nobis calefactum, resultat calidior, ita ut nos recalcificat eadem ratione, si ab igne, aut sole calefiat, actuabitur, & in ipso relurget intensior calor; quod videtur esse contra experimentum.

Noster Petrus Garcia disput. 10. super Avic. cap. 5. convictus argumento adducto, tenet ali-

menta potentia calida non reddi actu calida, nec actuari, præcise ratione caloris, sed etiam ratione alterius qualitatis, quæ à calore, ignis, & solis differt; hoc autem solum ex eo probat, quia non constat actuari alimenta potentiâ calida à calore solis, aut ignis: ergo aliquid aliud præter calorem requiritur ad actuacionem. Peccat tamen solutio hæc quia non assignat qualitatem illam ultra calorem requisitam ad actuacionem; & si forsan occultam esse tenet, est fateri eventum & ignorare causam.

Magister tamen noster Doct. Martinez suo Tomo... lib. 2. tract. 2. cap. 5. de modo dignoscendi necessaria ad curationem: planè faretur actuacionem fieri à solo calore; ductus testim. Gal. 3. de simpl. med. facul. cap. 19. ubi sic loquitur. *Nam quæ potestate sunt calida, alterantur, eo dumtaxat, quod incalescant à nobis.* Ex his concludit superfluum omnino esse qualitatem à nostro Petro Garcia machinatam, præter calorem, à qua fiat actuatio, sed solum à calore nostro fieri, ut verba Gal. nuper adducta clamant. Solvitque argumentum propositum, concedendo mixta potentiâ calida, eodem modo actuari à calore solis, & ignis sicut à nostro calore, & hoc suadere intendit ex Gal. 3. de temperamento cap. 4. ubi adducit historiam illam de conflagratione domus ab stercore columbino, sole agente in ipso, ratione cuius censet stercore fuisse à calore solis actuatum; ideoque in ipso resultavit intensior calor, & ignis in lignis & resina, quæ largiter illita erat super ligna, indeque combustio successit totius domus. ex quo infert, actuacionem celebrari à calore solis & ignis, sicut à nostro calore.

Contra hanc solutionem illico se offert firmissimum argumentum ex Galeni doctrina desumptum: nam actuatio vera & propria, quæ accidit in alimentis, aut mixtis potentia calidis, debet fieri citra mutationem formæ illius alimenti; aut mixti, quod reducitur de potentiâ ad actum, ut in exemplis adductis à Gal. constat, de infante ratiocinante, & cane venatore, quia sic reducuntur de potentia ad actum absque mutatione formæ substantialis, & in pipere constat actuatio, citra corruptionem propriæ formæ substantialis, quippe si post actuacionem vomatur, illico, constat non mutasse formam ex colore, & modo substantiæ similis, sicut ante devoracionem: ergo vera actuatio celebrari debet in potentia calidis, citra formæ illius, quod actuatur corruptionem. At in casu adducto de ustione domus, non fuit actuatio vera à calore solis, neque ignis; sed transmutatio in ignem, & nova generatio. Probat ex contextu Gal. nam ibi docet stercoreis putridi vapores esse intente calidos, tangereque fenestras ligna, quæ largè nuper illita resina fuerant, quo fit ut media æstate, sol plurimus incidisset, ex cuius vehementissima calefactione seu alteratione accenderetur resina, indeque ligna, & tota domus fuit combusta; ex quo clarè infertur vapores illos esse calidos, & siccos, & sic maximè dispositos ad ignem, accedente alteratione vehementissima à calore solis per æstatem, à qua fuit inducta in illa materia dispositio ad ignem: unde vapores stercoreis non fuerunt reducti de potentia ad actum calidos, sed potius fuerunt transmutati, seu conversi in ignem, propter nimiam dispositionem quam contraxerunt ad formam ignis; unde

larga & impropria significatione, quidquid cellerrimè potest converti in ignem, potentia calidum etiam dicitur à Galeno 3. de temperamentis capite 2. ubi ponitur exemplum in pipere, resina, sevo, & oleo, non quia verè, & propriè actuatur ab igne, quemadmodum piper à nostro calore, sine formæ mutatione.

Argumentum tamen adhuc manet contra nos cum sua firmitudine, & petit, ut reddamus rationem cur à colore solis, aut ignis non reducuntur, de potentia ad actum alimenta calida, si concedamus ipsorum calorem esse eiusdem speciei cum calore nostro. Respondeo in nostra opinione facilè solvi argumentum propositum: nam duo esse necessaria ad legitimam, & veram actuacionem docuimus Tomo nostro primo capite citato & quod prius à calore nostro calefiant mixta, quæ sunt potentiâ talia, & quod comminuantur aut media liquatione, aut masticatione, ratione cuius mixtum potentiâ calidum in minutissimas partes dividitur, ita ut calidiores, quæ à minus calidis erant refractæ; alteratione à calore nostro factâ, jam non possunt refrangere magis calidas, & sic calor, qui erat in potentia, ablato impedimento à nostro calore reducitur in actum in peculiaribus mixtis, quæ potentiâ talia dicuntur, & habent talem diversitatem partium, non quidem solum per correspondentiam ad elementa (nam sic omnia mixta essent potentiâ calida) sed per compositionem partium peculiarem, & magis manifestam, ut de lacte, & rosa docuit Galenus 2. lib. de aliment. facult. cap. 15. ubi diversitatem partium manifestam concessit. Hanc doctrinam latè adduximus loco citato, & eam confirmavimus testimonio celebri Gal. 3. de temperamentis cap. 2. ubi non solum calefactionem sed & comminutionem esse necessariam, ut actuatur mixta potentiâ calida faretur, cuius verba ibi sunt adducta; unde cum non sufficiat sola calefactio ad actuacionem, nihil mirum, si talia mixta calefacta ab igne aut sole non reddantur de potentiâ ad actum; sic facilè diluitur argumentum. Nam potius ex eo quod non sufficiat calefactio à sole vel ab igne infertur non sufficere actuacionem à calore nostro, nisi ex vi alterationis fiat comminutio, modo à nobis explicato.

Instatur solutio nostra; nam comminutio illa, non est aliud, quam separatio partium, & divisio mixti in minutissimas partes: ergo si ad extra frangatur piper, & dividatur, sive comminuetur in minutissimas partes, & postea calefiat à sole aut igne actuabitur non dubiè, & resultabit in ipso major calor ab intrinseco, quam antea erat ante fractionem. Hoc autem non videtur ita contingere: ergo frustranea est comminutio ad actuacionem.

Respondeo, quod etiam si in externis fiat comminutio & divisio partium, in pipere, aut alio mixto potentiâ calido, tamen ea separatio, & comminutio non fit, ita exquisita, sicut à nostro calore media liquatione; & sic nil mirum si piper calefactum à sole, aut igne non sentiat calidum actu, etiamsi ad extra comminuetur; Præterquam quod non esset alienum à ratione fateri, in casu adducto, piper reddi actu calidum, nam sic applicatum gustui, aut sola comminutione

Cap. IX. Vtrum fac. Alim. sint actu. &c. 111

minutione per masticationem ; statim sentitur major calor , & mordacitas , quod non accidit , si applicetur absque comminutione , & divisione , aut ad extra facta ; aut per masticationem : ergo signum est comminutionem , & alterationem esse necessarium in pipere , ut actuetur , & calefactum rursus nos recalfaciatur .

Restat scrupulus non levis in nostra doctrina de continentia formali elementorum in mixtis : nam ex ea sequitur , ut alimentum quodlibet , et si frigidum sit à prædominio , aut non intense calidum , sit calidum in potentia ; sequela probatur nam eo ipso quod calefit , & liquatur à nostro calore , comminuuntur partes , & separantur , ita ut calidiores , quæ à minus calidis erant refractæ , alteratione à nostro calore facta , iam non possint refringere magis calidas : ergo in omni alimento calor , qui erat in potentia reducitur ad actum , medio calore nostro , & comminutione ab ipso facta , & per consequens omnia alimenta potentia sunt calida .

Respondeo in alimentis propriè , & rigorosè potentia calidis , duo esse necessaria , & quod calefiant à nobis , & rursus recalfaciatur nos , actuatione , & comminutione facta ; & quod talis intensio major caloris , quæ resultat post actuationem , sit debita , & naturalis propriæ formæ illius alimenti , seu medicamenti , quod reducitur de potentia ad actum : non quidem quia forma mixti absolute informatur , sed quia peculiari forma constat , quæ petit ex sua natura , totam illam intensiorem caloris , ratione cuius (exempli gratia) piper dicitur calidum in 3. aut 4. gradu , qui post actuationem relucet ; non quidem solum à partibus igneis elementalibus , utrumque refractis , sed in tali intensiōe perseverantibus , in primæva talis mixti generatione : unde fit , quod licet quodlibet mixtum , seu alimentum calefiat à nobis , & elixetur , & ex vi talis alterationis auferatur impedimentum refractionis , & in partibus calidis mixti , refulgeat à propria forma elementi calidi , intensior calor ; tamen quia talis intensio non est naturalis , & debita formæ peculiaris mixti ; sed potius violenta , & præternaturalis ; ideo non est vera reductio de potentia ad actum ; quippe licet ad omnia mixta in suo fieri concurrant omnia elementa , saltem eminentialiter ; tamen non eodem modo refracta manent , sed quodlibet mixtum , iuxta temperiem naturalem debitam peculiari formæ . Unde fit , quod aliqua sint minus calida , & aliqua frigida à prædominio elementi calidi , aut calidioris , aut frigidi : & per consequens si accidentaliter per alterationem à nostro calore reddantur calidiora , in elixationibus , quæ in nostro corpore celebrantur ; illa major intensio caloris , est violenta peculiari formæ mixti exposcentis , aut minorem calorem , aut frigiditatem excedentem : ideoque talia alimenta non reducuntur de potentia ad actum , seu ad illam maiorem intensiōem , quam non exposcit forma peculiaris mixti , seu alimenti . Contrarium autem accidit in pipere , & in omnibus alimentis quæ verè , & propriè sunt potentia talia , quippe in his intensio illa major caloris , quæ resultat post actuationem est debita & naturalis peculiari formæ talis mixti , seu alimenti , quæ violentiam quodammodo patiebatur , usque dum per actuationem resultaret tota illa intensio caloris , licet propter suam latitudinem conservabatur cum actuali frigiditate . Ex quo manifeste constat :

non omnia mixta esse potentia calida , licet omnia , quæ rationem alimenti habent possint alterari à nostro calore , & comminui ex vi liquationis ; & separationis partium , & plura non acquirunt tantum calorem , ut possint nos recalfacere , quæ est altera conditio ; ex his , quæ ad veram reductionem de potentia ad actum , secundum caliditatem est necessaria post actuationem ; ad quam etiam iuvat diversitas alia partium , seu heterogeneitas magis manifesta ; quæ in pluribus alimentis potentia calidis , relucet , à propria , & peculiari forma , ratione cuius illis est debita maior illa intensio caloris , & omnino naturalis . Ex dictis altera pars controversiæ de modo quo calida medicamenta , aut alimenta reducuntur ad actum , manet soluta . & si quis copiosorem doctrinam accipere velit ; legat nostram quæstionem Tomo nostro primo loco supra citato .

Restat de reliquis primis qualitatibus examinare ; an sint in alimentis actu , aut potentia ; & licet certum sit actu esse in alimentis ; tamen specialis controversia , seu lis se offert in frigidis mixtis , seu aliquibus frigidis alimentis ; an scilicet præter frigiditatem actualem , quæ pollut ; acquirant ex vi actuationis intensiorem frigiditatem . Propositam litem soluit Gal. 3. de simpl. med. facult. cap. 20. tum ex communi veterum opinione , tum etiam ex propria mente : perpendite verba quibus incipit caput . *Quamobrem eius quoque nunc protinus meminisse oportet : veteres medicamenta natura frigida potestate , merito dixisse frigida , nam ea quoque quadamtenus , ut refrigerent , potentiam à nobis accipiunt ; sicut excalescendi calida .* Et paulò post in sequentia prorumpit verba de frigidis agens . *Cum itaque ipsis tanquam frigidis agere absque corporis patientis auxilio non licet ; iure potestate frigida dicuntur .* Quibus verbis manifestavit Galenus frigida mixta esse , quæ potestate dicuntur talia ; quemadmodum , & calida , dicuntur potentia calida ; & ulterius fatetur per comminutionem adventitium motum accipere ; & immediatè post subdidit ; *Si quidem (quod paulò supra monuimus) id genus omnia , calidum corpus , quo agere possint , possulant .* Ubi expresse fatetur à calore nostro frigida mixta , quæ potentia dicuntur talia , alterari , ut resurgat intensior frigiditas , quæ in ipsis virtualiter continebatur ; quæ sæpè numero , ita intense nos alterant , ut mortem inferant , quod in frigidis venenis quotidie experimur .

Ratione etiam suadetur hæc assertio ; nam frigida mixta , quæ ratione frigiditatis mortem inferunt , & ea ratione venena frigida appellantur , minimè interficiunt ; ratione frigiditatis actualis cum hæc sit ferè æqualis in omnibus mixtis , quam ab aère ambiente continuè nos alterante participant ; atqui postquam devorata sunt , & actuantur à nostro calore , lactuca , intibia , & nenuphar non interficiunt vivens , neque ipsum intensissimè refrigerant , neque profundum soporem causant ; cicuta verò , opium , & mandragora quæ inter frigida venena reponuntur , illico soporem inducunt , & frigiditatem adeò intensam , ut spiritum vitalem , & innatam caliditatem extinguant , & mortem inferant : ergo talis maior frigiditas , virtualiter , & potentialiter continebatur in mixtis illis frigidis ; quæ sine dubio post alterationem à calore nostro media comminutione resultavit , seu per

motum adventitium (hoc enim termino utitur Galenus) ac per consequens talia mixta potestate frigida merito appellatur. Si autem forsitan aliquis intrepide affirmet talia venena frigida non calefieri à nobis, quoniam ipsorum intensa frigiditas resistit, & impedit alterationem à calore nostro. Instatur solutio, quippe ante devorationem eorum frigiditas non poterat resistere caloriaëris ambientis tempore æstatis, sed calor noster intensior est calore ambientis aëris: ergo potiori iure calefieri debent talia venena frigida à nostro calore: non ergo poterunt ipsius actionem impedire; imò potius ab ipso actuantur, & comminuuntur, ut resultet illa major virtualis, & potentialis frigiditas: & hac ratione auferitur in illis impedimentum, ut à propria forma pullulet illa maior, & intensior frigiditas, à qua in communi opinione causatur sopor ille profundus, in his qui à veneno frigido assumpto pereunt.

Si ulterius quis intendat premere nostram assertionem ex eo quod calor non potest disponere, ut frigiditas intensior pullulet; quippe nulla qualitas est dispositio ad productionem contrariæ qualitatis, sed potius ad productionem similis. Nihil valet, nam licet calor per se semper disponat ad productionem caloris, tamen per accidens potest disponere ad productionem frigiditatis, auferendo impedimentum; quomodo autem calor noster alterando venena frigida, & ipsa calefaciendo, auferat impedimentum, ut resultet in illis frigiditas illa mortifera, seu deleteria, diximus latè capite quarto huius tractatus, & fastidiosum erit iterum quæ ibi diximus, reddere,

Nec defuere, qui firmiter tenent talia mixta sive frigida, sive calida potentiâ talia, ad actum reduci per actuationem caloris vitalis solùm, minimè verò per actionem caloris elementalis, & consequenter ob eandem rationem non actuari à calore solis, neque ignis, qui diversus est à calore vitali, quo facilè effugiunt difficultatem supra adductam, negando actuationem posse celebrari in potentiâ calidis, aut frigidis à calore elementalibus, qui in hac opinione tardiùs perficit elixationes externas in carnibus; quàm ventriculus, quippe in ipso calor noster vitalis breviori tempore convertit carnes in chilum.

Negare tamen non possumus elementalem calorem etiam iuvare ad actuationem in hac opinione, etsi solus non sufficiat

De qualitatibus alimentosis, quæ in sunt in alimentis, certum, & inconcussum est apud omnes Authores actu esse in ipsis, eo quod sint facultates passivæ, ratione quarum, quædam sunt facilis coctionis, & distributionis, ut eadem ova dura; alia verò alimenta sunt pauci nutrimenti, ut carnes arietinæ, quæ habent plures partes magis proportionatas, & aptas pro nutritione, quas non habent carnes bovinæ, & ovillæ; totum quod reducit ad potentiam passivam, quæ actu est in ipsis, & propter modum substantiæ facilis, aut difficilis conversionis, illa alimenta facilè, aut difficilè coquantur, aut transmutantur. Idem dicendum est de tenuitate, & crassitie alimentorum, sive sumantur qualitativè, huiusmodi virtutes, seu passivæ qualitates, sive quantitativè: quod ad tractatum de victus ratione attinet, ubi hanc differentiam quis discere potest, ex his quæ ibi à nobis dicta sunt.

Denique de bonitate, & malitia succi alimentorum etiam dicendum est actu in ipsis inesse, ratione partium optimi, aut pravi succi, quæ independentè à qualibet alteratione in alimentis sunt; quod si aliqua alimenta respectivam habeant talis succi bonitatem, nihil obstat, quo minus sint passivæ facultates & actu adsint in mixtis. Nam certum est non inesse in omni viventi æquale robur in commutatrice, & sic aliqua alimenta respectu aliquorum sunt boni succi, & respectu eorum, qui debilem habent calorem dicuntur pravi succi, quia non possunt commutari: hoc tamen ad virtutem activam attinet; etenim in alimentis passiva, & actualis virtus absolutè est una.

Rogabis in quo gradu existant facultates activæ in alimentis? Respondeo cum Galeno 5. de simplic. medicam. facult. cap. ultimo. ubi ait, quod calida in primo gradu sunt quæ valent calefacere non manifestè; in secundo quæ manifestè nos calfaciunt; in tertio, quæ valenter calfaciunt, ita ut lædant, non tamen summè; sicut quæ in quarto gradu, quæ calefaciendo urunt, & sic de reliquis qualitatibus intelligenda est hæc doctrina in sua activitate cuiuslibet mixti considerata, ita ut in ordine ad nos solùm usque ad quartum gradum considerentur: cæterum in ordine ad se si gradualem intensionem consideremus potest quodlibet mixtum usque ad gradum septimum crescere; & hæc de hac disputatione.



TRACTATUS DE ALIMENTORUM FACULTATIBUS IN PARTICVLARI.

CAPVT PROEEMIALE.

VM alimenta sunt instituta & ordinata ad reparationem substantiæ deperditæ, & cum in ipsis sint plures medicamentosæ qualitates, quæ ad sanitatis tutelam, vitamque incolumem, & à morbis immunem diutissimè conservandam ordinentur; postquam de facultatibus alimentorum in generali, latè tractatu priore egimus. Valdè utile iudicavimus, ut completam notitiam habeatis peculiare alimentorum magis usitatorum facultates, seu virtutes narrare. Priùs tamen, quàm ad peculiariora alimenta accedamus, oportet aliqua circa communem modum cibandi advertere; & primo circa quantitatem sumendi alimenta; tanquam certum stabilendum est, quod etiam si alimenta sint optimi succi, & facilis transmutationis, tamen debent devorari in moderata quantitate, quæ corpori nutriendo, & viribus reficiendis sufficiat: nã si limites moderationis plurimum excedat, varios producit morbos, & vitam breviam; etenim ciborum multitudo plurimos morbos generat; eorum verò parsimonia multorum morborum præcautioni, & curationi inservit, & vitam producit. Consonat Hipp. 6. epidem. sect. 4. text. 20. per sequentia verba. *Sanitatis studium est, non satiari cibus, & impigrum esse ad labores.* Idem testificat. 2. sect. aphor. text. 17. *Vbi plus cibi quam pro natura ingestum est, hic morbum facit.* Et 4. eiusdem sect. Sic: neque satietas, neque fames, neque aliud quidquam bonum, quod supra naturæ modum fuerit. Ex quibus non dubiè constat alimenti quantitatem pro sanitatis tutela debere esse moderatam.

Porro moderata, & necessaria ciborum quantitas, regulâ generali determinari nequit; diversitas tamen temporum, ætatum, & temperamentorum eam multum evariat, qua propter victus tenuitas, quæ vires diminuit, semper ægris est salutaris; sanis verò corporibus, nociva: in quibus victus mediocritas, qui vires servat instituendus est, aut plenus qui vires auget, non tamen immoderatus, qui morbos creat, & ipsos producit, si ægrotantibus exhibeatur: iuxta illud Hippocr. *impura corpora quanto magis nutris, tanto magis lædis.* 2. aph. text. 10. sed de his tract. nostro de vict. rat. abundè diximus: sed ut unusquisque sibi convenientem, & moderatam ciborum copiam cognoscere, & determinare possit, aliquas regulas rationales adscribam. Prima sit, ut nunquam comedat, sed à mensa recedat vigente adhuc appetitu. Secunda regula est, quod pastum, nec sentiat torporem, nec gravitatem, nec corporis laxitudinem, quippe hæc sunt signa, mensuram congruentem alimenti excedi, & sic limitanda, & auferenda est quantitas ali-

menti, donec accidentia dicta non eveniant. Vltimè, si à pastu, parum aptus sit aliquis actionibus mentis, studio scilicet, meditationi, aut contemplationi, aliisque functionibus animi perspicuum erit signum, iustam ciborum mensuram excessisse; Cæterùm si repletionis signa ad amissum discere velis, legas obsecro Hipp. lib. 3. de diæta. Vbi ea omnia breviloquo solito studio narrat. Tandem ad quantitatem alimenti attinet, ut in pastu non sit varietas ciborum, naturâ; & temperie plurimum inter se discrepantium, de quibus Hipp. lib. de flatibus, ait, *dissimilia seditionem movent*, inquinant enim, & non alunt; quare carnes cum piscibus, oleribus, fructibus, aliisque edulis heterogeneis minimè debemus in prandio miscere: nam cum diversorum ciborum diversa sit natura, sit inde, ut alij celerius, alij tardius conficiantur, & hinc prava sequitur concoctio, & corruptio eorum, quæ detinentur, postquam cocti fuerint, & distributio eorum, qui crudi adhuc sunt.

Cæterùm: quia hominum intemperantia varios appetit cibos, & strictioribus vivendi legibus minimè summittitur; cogimur in presentiarum præcepta tradere, quibus noxas illius vitare, aut imminuere valeant; generale igitur & commune præceptum est circa ordinem sumendi cibos, ut alimenta tenuia, liquida, concoctu facilia, laxantia, & quæ faciliè descendunt, priùs devorentur, crassa verò, solida, concoctu difficilia, & adstringentia posterius, seu in ultima mensa assumantur; hanc doctrinam insinuavit Gal. 2. de alim. facult. cap. 2. necnon etiam 3. de vict. ration. text. 22. cuius ratio est, nam tenuia, liquida, & humida celerius coquantur, & propterea citius è ventriculo descendunt, & si diutius detineantur postquam cocta sunt, facile corrumpuntur, & reliquis cibus non concoctis locum cedunt, ad intestinum duodenum detrusa.

Hæc tamen regula ad ciborum ordinem spectans non est magni momenti: nam alimenta in ventriculo, eandem sedem, toto concoctionis tempore, non servant, quam obtinuerunt dum ingesta fuerunt, quia per elixationem in ventriculo celebratam commiscuntur, ita ut chiloïsa substantia uniformis resuletur ex diversis alimentis, citra ordinem adductum assumptis; potus etiam, & iuscula juvant ad prædictam in ventriculo ciborum miscellam, & fluctuationem, & eâ ratione non servant neque eundem locum, neque eandem situationem; rationabilius tamen est, servare ordinem ab Antiquis præscriptum; cum alimenta humida, & laxantia priùs devorata ventriculi tunicas laxent, & aluum mollem reddant; adstringentia verò alimenta si priùs assumantur, effectum contrarium præstent, comprimendo scilicet, & adstringendo ventriculi

tionem antiperificam : sic etiam eodem modo per noctis frigiditatem calidissimæ sunt omnes cavitates, seu calidiores quàm interdiu, & sic per noctem meliùs coquitur alimentum: ergo copiosior debet esse illius assumptio per noctem, quàm per diem in prandio; consonat Hipp. 7. epid. sect. 4. ubi inquit vigilantem calidior em esse circa exteriora; frigidior em circa interiora: ergo econtra dormiens calidior est circa interiora, & frigidior circa exteriora; cum ergo coctiones interiorius celebrentur, perfectiùs debent fieri noctu, quàm interdiu: proindeque rationabilius est, largiùs cœnare, quàm prandere.

Verior est opinio, quæ tenet, plus cibi indulgendum esse in prandio, quàm in cœna: hanc conclusionem probant. Primò irrefragabili experimento: siquidem perpauci homines reperiuntur qui liberè non fateantur se à leviori cœna, longè meliùs habere: & Cardanus testatur se multos interrogasse, qui ad centessimum annum pervenerunt, & omnes parciore cœna usifuerant. In cuius rei confirmationem Galenus adduxit exemplum 5. de sanite. tuend. illius Grammatici, qui fere ad centessimum annum vixit; & in prandio olera fumebat primo, deinde pisces saxatiles, & aves; vespere autem, seu hora cœnæ pane cum vino permixto solum utebatur.

Ratione etiam validatur assertum, nam vigilantes fame laborant, iuxta illud Hipp. 6. epid. sect. 4. text. 20. per illa verba satis trita; *Aqua edax, vigilia edax*: ergo tempore prandij, in quo frequenter vigilamus, uti debemus copiosiori alimento, quàm in cœna, post quam frequenter sequitur somnus; unde qui præter solum vigilant noctu, citius famem percipiunt: ergo in vigilia citiùs celebrantur coctiones, & per consequens in prandio major copia alimenti est sumenda. Corroboratur assumptum: nam si somnus conduceret ad uberiores coctiones alimentorum, statim à pastu esset dormiendum; atqui si ita sit stomachus gravatur: ergo somnus non conducit ad meliorem coctionem.

Secundo etiam fulcitur conclusio: nam per somnum calor recurrit ad suos fontes, cor scilicet, & hepar, reliquæ verò partes illo magis destituuntur, quàm in vigilia, per hanc verò ad omnes partes magis diffunditur calor: ergo minor est calor ventriculi in somno, quàm per vigiliam, in qua etiam solis calor coctionem iuvat, ex Aristot. 2. physic. cap. 2. ubi fatetur esse vitæ principium; ulterius etiam in vigilantibus situs ventriculi iuvat ad coctionem, quia erecta figura facit ut cibi faciliùs descendant ad fundum ventriculi, in quo viget magis calor, quia carnosior est: cubantibus verò, lateta ventriculi magis attingunt, unde os illius non sufficienter clauditur; & hinc fit quod somnus meridianus minùs noceat, si sedendo capiatur, quàm cubando. Denique quia pituita, quæ interdiu per nares & sputum rejicitur, noctu in ventriculum defluit, & coctionem retardat, & hoc incommodo carent vigilantes: ergo in prandio securior est maior quantitas alimenti.

Hæc tamen conclusio habetur vera in nostrâ ætate, in qua mos est inter homines, ut in prandio comedant usque ad satietatem, in quibus si largior sit cœna, maximè ventriculus gravatur, & cruditatibus repletur, & caput offenditur, & præcipuè nocet largior cœna, in his, qui fluxio-

nibus catharrosis obnoxij sunt propter decubitus humoris pituitosi à capite in ventriculum, qui augetur in largiùs cœnantibus propter multitudinem vaporum, qui per somnum ascendunt ad caput; atque si leviter cœnant, placidè dormiunt, ita ut à cœna multi planè abstineant, & meliùs habent, consumptis excrementis à calore nativo.


Neque opponitur adductæ conclusioni, quod accidit in bene valentibus, qui perfecta valetudine fruuntur, & robustum habent calorem in ventriculo, nam in his, etsi cœna sit æqualis prandio, aut forsân aliquantulum copiosior, bene se habent, modo tota utriusque pastus quantitas mediocritatem non excedat & proportionem. Hoc enim minimè tollit, quod iuxta frequentem hominum usum, quo cibantur, non debeat esse parciore cœna, propter rationes dictas; neque opponitur nostra conclusio, illis, qui proportionatum alimentum, seu illius mediocrem quantitatem, ita disponunt, ut in meridiano prandio, minore quantitatem assument, servando pro cœna maiorem quantitatem; quippe tunc tota illa moles est proportionata cum nostro calore ad perfectam coctionem molendam; & sic quòd major pars noctu sumatur, non impedit perfectam elaborationem, neque ratione temporis improportionatum est illud alimentum quare conclusio solum tenet in usu frequenti alimentorum in nostris ætatibus.

Porrò ut clariùs à calumniis liberetur hæc assertio fundamentis pro contraria parte adductis, satisfacere operæ pretium erit. Ad Hypp. & Galen. testimonia dicimus: morem apud Antiquos fuisse parum comedere in prandio, & liberalius in cœna, ideoque majorem cibi copiam in cœna citra noxam ferre potuerunt. Nostris autem ætatibus cum prandium lautius esse solear, Antiquos in cœna imitari, non possumus cum tanta utilitate; & quidem salubrius fuisset Antiquis si quod in cœna ingerebant, in prandio sumpissent, & è contra. Addimus etiam in satisfactionem nostræ opinionis; quod non erat eadem hora cœnæ apud Antiquos, quemadmodum apud nos, siquidem Romani cum parciùs manè pranderent, cœnare consueverunt tribus horis ante Solis occasum, ita ut coctio ferè peracta esset priùs quàm se ad somnum recolligerent.

Ad rationem dicimus omnimodam quietem ad coctionem juvandam non esse utiliorem, siquidem motus levis, & moderatus à pastu conducit ut cibi in fundum ventriculi meliùs descendant, & calorem nativum aliquantulum excitat, ut coctio meliùs fiat.

Ad secundum fatemur vitales spiritus fortiores fieri in somno, sed non influere in ventriculum, & alias partes, eâ copiâ, quâ in vigilia, etenim per somnum retrahuntur ad suum fontem, ut supra insinuavimus. At in vigilia magis diffunduntur. Ad illud de Athletis Respondeo potius accusari à Galeno brevis vitæ, & morbosæ, in lib. de bono corporis habitu, & in suasoria ad artes: bene tamen verum est magis conferre cibum longiorem in cœna ad corpus instaurandum, & impinguandum: quippe minor fit resolutio per somnum; atamen copia superfluitatum, quæ inde emergunt, in morbos producit, unde talis consuetudo nequiquam venit imitanda; proindeque neque utilitas ulla sequitur ex largiori

largiori cœna. Ad prandium verò si fieri potest tempestiva hora eliganda est; videlicet hora undecima, aut duodecima diei, & si fieri potest hora decima: sic hanc consuetudinem observantes diutius viuunt, eos tamen, qui tardiùs pransi sunt, in plures incidere morbos, & breviori vita fruuntur.



CAPVT III.

De Victu singulis ætatibus salutari.

LICET ad tractatum de victus ratione, victum pro omnibus ætatibus convenientem describere atineat, breviter tamen in præfenti loco rem absolvam, ut nihil intactum relinquamus, & ut faciliùs (facultatibus peculiarium, & magis usitatorum alimentorum cognitio) victus rationem convenientem pro diversis ætatibus percaleamus.

VICTUS igitur Puerorum (ut à prima ætate initium capiamus) ad frigidum, & humidum inclinare debet; frigidum quidem quia eorum calor nimius est, & attemperationem exposcit, propterea, quod non resolvantur citò: ob hanc rationem Gal. I. de sanit. tuend. cap. 9. vinum ipsis noxium valdè esse dictavit, & quia calorem Puerorum auget, & quia caput replet per nimium halitum. De humiditate in victu testis est Hipp. I. aph. tex. 16. per sequentia verba. *Victus humidus feblicitantibus convenit, maximè verò Pueris.* Et ratio id suadet; nam in hac ætate instat necessitas augmenti, & accretionis, ad quod valdè conducit alimentorum humidorum propinatio, necnon etiam ad reparationem faciliorem substantiæ deperditæ, siquidem Puerorum corpora, quia calida, & humida faciliè resoluuntur, ideoque facili repositione egent, quæ sit per usum alimentorum humidorum.

Instabis quemadmodum humiditas excedens est naturalis Pueris, sic calor excedens est debitus tali ætati: ergo sicut victus humidus ipsis confert, etiam victus calidus debet conferre, utpotè similis debet esse pro conservatione temperiei naturalis victus; ac proinde non solum victus humidus Pueris debetur, verum etiam calidus, ac per consequens frigidus victus ipsis est inutilis, imò, & noxius. Respondeo victum calidum esse magis similem, & naturalem pro temperie Puerorum; tamen quia conducit ad resolutionem, & dissipationem, quæ facilis est in ipsis, idè victus calidus non est condonandus, sed qui declinet ad frigiditatem; & hac ratione impediatur faciliorem resolutionem; quemadmodum ad durationem flammæ requiritur mediocris aëris frigidi contactus; nec non etiam ut calor natus duret, & conservetur, indiget aëris refrigerio mediâ respiratione; aliter enim flamma, & calor noster natus suffocarentur, de quo tract. nostro de pulsibus tom. 2. latè egimus: ex quo infertur Pueris deberi victum frigidum. Cæterum cum lac sit alimentum magis proportionatum in Pueris & sic calidum in primo gradu: existimo per victum declinantem ad frigidum esse intelligendum respectu caloris Puerorum; non quia absolutè non debeat esse calidum.

Si iterum instes: quod etiam humiditas con-

ducit ad resolutionem: ergo ut hæc impediatur sicciore victu uti debemus in Pueris, & non humido. Respond. quod licet humiditas dispositivè conducatur ad resolutionem: tamen quia magis in Pueris instat necessitas augmenti, quod juvat humiditas summoperè, & inhibet siccitas, ad precautionem majoris mali oportuit instituire victum humidum in Pueris, & aliquantulum frigidum, ut impediatur resolutionem majorem, & faciliorem; & non ita frigidum, ut ipsorum calorem nativum, & vitalem, valdè quidem necessarium pro nutritione, & coctione, & demum pro incremento comparando; ideoque jure optimo, Pueris victus frigidus, & humidus instituendus est, modo à nobis exposito.

Quantitas etiam ciborum debet in Pueris esse major, quàm in reliquis ætatibus, ob caloris exuberantiam, & incrementi necessitatem. Consonat Hipp. I. aph. tex. 14. ubi rationem reddit per sequentia verba. *Qui crescunt plurimum habent calidi innati, plurimo igitur egent alimento, alioqui corpus absumentur.*

Adolescentibus victus medius, tum ratione qualitatis tum ratione quantitatis instituendus est: quia moderatum habent temperamentum, ideoque temperatis alimentis nutriendi sunt, quæ moderatam primarum qualitatum proportionem habeant; & ulterius quantitas ipsorum in hac ætate debet esse moderata: minor scilicet, quam in pueritia, & major quàm in ætatibus subsequenti quoniam minor in ipsis est resolutio, & non ita urget necessitas augmenti.

In juvenibus instat minus necessitas augmenti; tamen quia calidi sint, & sicci convenit etiam ipsis victus frigidus, & humidus sicut in Pueris; frigidus quidem respectu caloris juvenum; humidus verò ut siccitatem domare valeat; & ut retardet senectutis majorem siccitatem, & tandem naturalem mortem, quàm prænuntiat, frigiditas, & siccitas senibus debita; Insuper etiam juvenibus propinanda sunt alimenta solidiora, quàm Pueris, neque ita fluida, & concoctu facilia, quæ à ventriculis robustioribus faciliùs concoqui valeant; peculiariter etiam vinum meracum vitare debemus in hac ætate, quia juvenes præcipitat ad iram, & habitum corporis ipsorum furiosum reddit.

De senectute certum est: quod cum sit ætas frigida, & sicca convenit victus calidus, & humidus, & inter alimenta magis proportionata pro senibus, est vinum: quia debilem ipsorum calorem fovet, vires infirmas reficit, cruditates, quibus abundant, concoquit, humiditates excrementitias absument, & per urinas evacuat; cavendum tamen est, ne propinetur vinum meracum in magna copia: nam caput tentat, catharos excitat, & calidum nativum resolvit: Audire Valles. circa hanc rem in sacra Philosoph. jam verò nihil arbitror stultius quam vinum meracum senibus abundanter propinare; corpus enim replet cruditatibus, innumeros parit morbos, & mortem properat, quapropter utilius judicat in valdè senibus propinare hydromel ad vitam diutius producendam, cujus plura sunt exempla, imò & ipsum mel crudum cum pane utile ipsis alimentum est.

Ciborum quantitas in hac ætate minor esse debet, quàm in aliis ætatibus; quia calor naturalis exiguus est, & alimenti magnam copiam concoquere non valet. Consonat Hipp. I. aph. tex. 14

tex. 14. sic. *Senibus parum innati calidi inest, paucis propterea fomibus egent, quia à multis extinguuntur.* In cuius textus expolitione Galenus sic loquitur. *Lucernarum flammæ, quarum oleum est alimentum, si quis id totum simul superfundat, extinguuntur potius, quàm nutriantur, eodem modo etiam in senibus, calidum sui fomentum quidem habet alimenta; si verò multis confertis cumuletur, ac quodammodo stranguletur, periculum est, ne extinguatur, sicuti etiam si parva scintilla ignis lignorum multitudinem super acervet.* Vbi sententiòse satis exemplis adductis rem præsentem demonstravit.

Tandem breviter victum singulis anni temporibus debitum, describere oportet. Hyeme calidiora, & sicca debent esse alimenta, quæ resistant, seu opponantur frigiditati, & humiditati aëris, & ut absument pituitæ maximam copiam, quæ hyeme generatur, & quoniam in hoc tempore naturalis calor maximè viget, copiosiora sunt offerenda alimenta, totum quod expressit Hipp. 1. aph. 15. sic. *Ventres hyeme, & verè naturæ calidissimi sunt, & somni longissimi, quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda, etenim tunc calor natus plurimus est unde & pluribus egent alimentis: nihil clariùs.* Potus parcius esse debet, quia corpus in hoc tempore humiditatis abundat, & vinum paulò meracius bibendum est ut noxas à nimio frigiditate causatas emendare valeat.

Tempore veris debemus offerre cibos mediocres in quantitate, & qualitate, calidiores tamen, & copiosiores, quàm in æstate, & minùs quàm in hyeme: ratio est: nam cum ver in omnia anni tempora sit temperatissimum, requirit temperatissima alimenta, & in mediocri quantitate, cæterùm quia ventres sunt etiam verè calidissimi, copia ciborum debet esse major, quàm in aliis temporibus, exceptâ hyeme. Porò in principio veris, in quo aliquid participat de temperie hyemis, victus ferè debet esse similis victui, qui debetur in hyeme; in progressu verò sensum immutandus est; ita ut ad æstatem proximè accedens quantitate minor sit, & in qualitate frigidior, & humidior.

Æstate cibi refrigerantes, atque humectantes conveniunt, & pauca eorum quantitas assumenda; potus verò copiosior esse debet: quia caliditas ab aëre æstivo corpora nostra alterante refrigerantibus, atque humectantibus cibis, ac multo potu corrigenda est, in cuius subsidium natura provida fructuum, atque olerum copiam nobis suppeditat: cum autem calor natus tunc temporis debilior sit, pauciora alimenta ingerenda sunt, ut faciliùs concoqui valeant.

Tandem Autumno paulo pleniori, calidiori ac sicciore victu utendum, quàm in æstate: sed in principio ab eo, qui æstati conveniens est, parum declinet; in fine vero ad hyemalem magis accedat; mutatio autem hæc & variatio in victu sensum est celebranda, ut ei natura faciliùs assuecat; quæ doctrina in omnibus temporibus observanda est; cum in principio aliquid participant de tempore antecedenti, & in fine accedant aliquantulum ad tempus quod subsequitur in temperie.

Sed tempus iam instat, ut ad particularia, & magis usualia alimenta accedamus, describendo eorum facultates, iuxta ea, quæ Antiqui scripserunt. In quo opere potius narratores, quàm

Scriptores, aut speculatores, erimus; & primò erit sermo de Pane.

CAPUT IV.

De Pane.

POSTquam generalia præcepta circa alimentorum usum proposuimus, jam peculiaria, & utiliora ad præcipuos, & magis usitatos cibos spectantia, breviter exponere aggredimur, omittentibus cibaria, quæ non ita communia sunt: ne opus hoc nimium crescat; & quia apud Auctores, qui de alimentorum facultatibus ex professo scripserunt, fusè exarata inveniuntur. Et quidem à Pane exordium sumimus, tanquam primario nutritionis fundamento; ad cuius bonitatem, necesse est quod ex purissima tritici farina conficiatur; optimi autem tritici conditiones Matthiolus super Dioscoridem docet, nempe quod sit fractu contumax, densum, grave, in colore aureum, lucidum, mundum, maturum, & ex terra pingui ortum; ex cuius purissima farina depurata scilicet, aut separata fufuracea omni materia, panis conficitur, qui dicitur *Siligineus*, & est omnium maximè nutriens, quamvis ex farina, quæ fufur habet admixtam conficiatur panis, qui minoris est nutrimenti, tamen ventrem subducit, propter vim detergendi, quæ in fufure residet.

Uterius panis optimus debet esse fermentatus, quia pastum viscidum, & lentum per admixtionem fermenti inciditur, & attenuatur, atque in ampliore magnitudinem intumescit, unde fit panis levissimus, & oculus vulgò nominatus: nam si fermento careat omnino, aut non habeat sufficientem illius quantitatem permixtam difficilè coquitur, validas parit obstructions, & ventriculum gravat: altera conditio optimi panis est, ut sit bene concoctus, alioquin ventriculum gravat; & insuper sale sit conditus, necesse est, ut attenuet crassam, & viscidam illius substantiam; & ut minùs obstruat, modica tamen salis quantitas debet esse in pane, ne nimis exsiccet corpora nostra.

Oportet autem quod panis sit recens, hoc est, quod à viginti quatuor horis antea sit coctus; vetus autem durus est, ac siccus, & difficilè coquitur, ventriculum gravat, & alvum cohibet; si verò devoretur nuper è furno extractus lentorem adhuc retinet, vehementer inflat, & viscera obstruit, & si adhuc è furno caleat empyreuma retinet, quod perturbat spiritus, & calori naturali nocet; in fine mensæ omnibus hominibus, præcipuè qui ventriculum habent humidiorum crustam panis comedere, optimum est; os enim ventriculi constringit, & coctionem juvat, dummodo exusta non sit panis crusta. Advertere tamen oportet, quod licet panis præ ceteris alimentis optimè nutriat, si tamen in nimia quantitate sumatur, insignem nocentem affert: nam per suam glutinosam substantiam non coquitur sufficienter, & venis Mesenterij hæret, & obstructions gravissimas creat.

CAPUT V.

*De Hordeo, Avena, fabis, ciceribus,
& lentibus.*

SOLUM in presenti ad nostrum attinet institutum agere de cibis, seu esculentis, qui in statu sanitatis communiter sunt in usu; cum cibaria, & modus cibandi, quæ ægrotantibus competunt, non sit huius loci, sed potius ad tractatum de ratione victus pertineat, de quo in hoc tomo specialiter egimus; unde & ex his, quæ in hoc opusculo de qualitibus, & facultatibus alimentorum in particulari dicta fuerint, convenientem modum cibandi, & cibaria opportuna, pro ægrotantibus poterit quis discere; si præcepta generalia de victus ratione his adjungat; sic ad hordei virtutes propero, quod primo ordine est adductum.

Est igitur, hordeum frigidum, & siccum in primo gradu, & eius cortex exterior siccior est medullâ interiori, utraque tamen habet vim abstergendi, sed magis cortex; interdum ob inopiam tritici Pauperes panem construunt ex hordeacea farina, qui frigidior est, & alimentum minus firmum, & stabile suppeditat: item ex hordeo decocto usque ad intumescentiam, fit pthiasa, pistato hordeo, & ipsius lactè extracto, additis seminibus Melonis, & cucurbitæ, quæ valde utilis est, & auxiliaris pro febribus ardentibus; necnon etiam per extenuatis, aut tabidis: Vtteriùs ex hordeo decorticato, & triturato fit alimentum, quod vulgo dicitur *farro*, extenuatis, & tabidis utilissimum, sive cum iure præparatum, sive cum lactè amigdalarum dul. quod etiam hæcticis valde confert, corpus temperando, reficiendo, & impinguando.

Avena interdum hominibus tanquam alimentum medicamentosum deservit, si ipsam decorticemus, & in aqua decoquamus, addendo lac amigdalarum, & saccharum; fit enim hac ratione idoneum ferculum, quod avenatum vocatur, levius quidem hordeato, quapropter faciliùs coquitur; urinas insuper movet ob substantiæ tenuitatem, cuius temperamentum ad calidum inclinat.

Fabæ frigido, & siccio temperamento præditæ sunt, virides tamen humidiores sunt, quam aridæ, quæ solum à Plebeis, & vilioris fortunæ hominibus usurpantur; virides tamen à delicatioribus, & Divitibus hominibus devorantur, tum citra elixationem, tum etiam elixæ cum jusculo; quomodocumque verò præparentur, difficile coquuntur, & distribuuntur, crassosque & flatulosos succos generant, ventrem inflant, spirandi difficultatem augent, alvum adstringunt, & insuper, hepar, lienem, venasque mesaraicas obstruunt, vapores etiam plurimos ad cerebrum transmittunt, unde visum hebetant, & turbulenta insomnia inducunt.

Licet tamen fabæ ut alimenta assumpta prædicta afferant mala, ex ipsis plura medicamenta utilia conficiuntur; & quidem ex corticibus fabarum recentibus, aqua destillatur, calculosis utilissima, renes etenim abstergit, & mundificat, & ea ratione calculorum generationem prohibet, & his, qui calida renum intemperie laborant

utilis valde est; quia frigida & humida. Exterius etiam farina fabarum utiliter admovetur in testium inflammatione.

De ciceribus agit Gal. lib. 1. de alim. facult. cap. 22. de quibus sic loquitur: est autem cicer edulium, non minùs quam faba flatulentum, sed valentiùs nutrit, quam illa, ad venerem autem incitat, creditumque etiam est semen generare; calida enim sunt, & modicè siccæ; inest præterea ciceribus facultas abstergendi major, quam fabis, adeo ut quidam ex ipsis calculos in renibus constantes, manifestè comminuant; jusculum cicerum habet facultatem abstergendi, aperiendi, provocandi urinas, & menstrua; & ad hos usus nigra præcipuè cicera commendantur, & plures jusculum parant ad cienda menstrua ex ciceribus nigris, radicibus petroselini, & croco, quod per triduum exhibent, instante, aut incipiente menstruo.

Lentes omnium leguminum pessimæ, frigido, & siccio temperamento gaudentes, difficile coquuntur; succum terrestrem, & melancholicum generant, ideoque qui largiùs lentibus utuntur, in Elephantiasim, & caneros incurrunt. Galeno dictante. 1. de alim. facult. cap. 18. de lentibus, ubi de ipsis tenet, quod inculpatum & integrum visum hebetant, & menstruas purgationes cohibent; & muliebri profluvio utiles sunt. Insuper jecoris obstructions gignunt, viscerisque hujus, & lienis etiam inflammationes augent; necnon etiam scirrhusos tumores utriusque exacerbant. Hæc Galenus cit. loco; Vtteriùs somnia excitant tumultuosa, & capiti, nervis, & pulmōni nocent, alvum adstringunt, & prima eius decoctio in aqua ipsum solvit; quapropter in variolis, & morbidis, secunda decoctio pro potu administratur, quia ventrem, & interna viscera sua adstrictione roborat.

CAPUT VI.

De oleribus usualibus.

LACTUCA frigida est, & humida, paucum sanguinem generat, sed meliorem cæteris oleribus; lac generat, alvum emollit, somnum conciliat, ventriculi ardorem extinguit; humorum acrimoniam refrenat; biliosis hominibus, sanguineis, & juvenibus prodest, præsertim ætatis tempore; & si Dioscoridi credamus crebrior illius usus oculorum claritati officit.

Rogabis: si pluribus placet, succum lactucæ epotum quantitate trium, aut quatuor unciarum interimere, more reliquorum venenorum frigidorum; cur si tanta copia lactucæ edatur quæ eandem succi copiam corpori præstet, nullam infert noxam, ut quotidianum experimentum manifestat? Plures satisfacere conantur quæsito proposito, dicendo: quod lactuca integra diutiùs manet in ventriculo, & sic frigiditas illius longiori coctione emendatur, & sic frigiditatis intensæ actio impeditur: succus vero solus lactucæ citiùs penitiora loca pervadit, & visceribus præcipuis communicatur, ac proinde officit, aut interimjt more venenorum. Alij ad condimentorum correctionem refugiunt quibus lactuca præparatur, sale, scilicet, oleo, aceto, aut saccharo

Saccaro quibus domatur nimia eius frigiditas, & impeditur ipsius actionis violentia de quo non à est dubium. Nobis tamen videtur succum lactucae habere proprium correctivum in partibus crassis eiusdem; quemadmodum saliva viperæ in carne ipsius, ex qua conficitur Theriaca; ex quo fit quod quando integra lactuca non interficiat more aliorum venenorum frigidorum, secus verò quando eius succus solus bibitur.

Brassica diversitatem habet partium, aliæ quidem succulentæ dicuntur, aliæ verò terrestres; pars succulenta est calida ordine primo, & nitrosa; terrestres, verò frigida, & sicca; proindeque adstringentem vim habet, & alvum supprimit; succus verò, aut decoctio prima Brassicæ alvum movet. Insuper brassica est pravi nutrimenti, neque probum succum generat, sed potius vitiosum, & graveolentem; ut ex primo decocto testificat experientia, quod effusum graviter olet; illud tamen habet peculiare, ut si ante alios cibos edatur ebrietatem arceat; at cibo summo sumpta crapulam discutit, & vini noxam restringit. Vtcrius est concoctionis difficilis, & succum crassum, & melancholicum generat, halitiosa etiam valdè est, ideoque crassis ad caput missis vaporibus mentem turbat, somnumque causat turbulentum.

Præterea morbis Pulmonis aliquantulum confert, præsertim Astmaticis, & aliis pulmonum vitis, ad quos Loch. de caulibus commendatur, & succus caulium rubrorum cum saccaro utiliter eisdem affectibus propinatur.

Beta ad Brassicæ naturam accedit, & satis commune edulium est hominibus cuiusvis conditionis; illius succus nitrosa qualitate gaudet, absterforia, & acri, & sic alvum stimulat, & ad calidum, & siccum temperamentum vergit; corpus verò Beta frigidum, & siccum est, & terrestre, & ventrem constipat.

Spinachia refrigerat, & humectat ordine ferè secundo, substantiam habet aquosam, ideoque citò descendit, & alvum movet; parum alit, flatu generat, & nauseam parit, nisi aromatibus condiantur; ac denique nimiam copiam serosæ substantiæ producit; tamen asperam arteriam lenit, & tussis est medela.

Endivia refrigerat, aperit, & abstergit, & inter olera maximi est usus, tum cruda, tum etiam cocta: confert eximie calido, debili, & obstructo jecori, ventricum etiam debilem, & biliosum juvat; sanguinem purificat, scabiem sanat, sitim sedat, appetitum conciliat, ictericos juvat.

Cichorium easdem vires obtinet, quas endivia, sed multò efficaciore propter amaritudinem, ratione cuius magis aperit, & abstergit.

Acetosa frigida, & sicca est in secundo gradu; facultatem habet incisoriã, aperit etiam, modicè adstringit, parum nutrit, viscerum calidam intemperiem emendat, sitim sedat, appetentiam excitat, venenis resistit, & bilis acrimoniam retundit.

Borrago in activis qualitatibus est temperata, in passivis autem humida in primo gradu; sanguinem purificat, & humori melancholico adversatur.


Portulaca frigida est in tertio gradu, & humida in secundo, parum alit; sanguinem in frigidat, & incrassat; bilis acrimoniam, & fervorem reprimit, sitim sedat, appetitum excitat, lumbri-

cos interimit; visum hebetat, & actus venereos infringit; quod omnibus plantis refrigeranti- bus commune est si copiosè edantur.

Petroselinum calidum, & siccum est in secundo gradu: aperit, Scurinas movet, menses provocat, flatu discutit, & colicis doloribus plurimum opitulatur.

Nasturtium calidum, & siccum est ordine tertio, aperit, attenuat, incidit, & arenulas expellit, & propterea renibus, & vesicæ confert, & lienosis prodest.

Pimpinella refrigerat mediocriter, adstringit, & exsiccatur, sapida est, ac bene odorata, cordialis etiam, & hilaritatem inducit, & in vino frequenter maceratur, in Apocematibus merito debet habere locum pro febribus malignis; ob eius vim adstrictoriam; proptereaque ad omnes ventris fluores, & sanguinis profluvia utiliter usurpatur: insuper leve pimpinellæ decoctum citò disenteriam medetur; item ad Pulmonum ulcera sananda utiliter propinatur aqua eius stilatitia, in qua conserva antiqua rosarum dissoluta sit, & colata; idem præstat pulvis ipsius frequenter exhibitus cum aqua plantaginis.



CAPVT VII.

De Radicibus esculentibus Vſualibus.

RAPÆ, & Napi eiusdem sunt naturæ teste Dioscoride lib. 2. cap. proprio, & solum differunt ratione figuræ: nam rapa est orbicularis, seu rotunda, Napis verò longam habet figuram; calida est utriusque natura in secundo ordine, & humida in primo; exiguam præbent alimentum, succum generant mediocriter crassum; valdè flatuosæ sunt huiusmodi radices; insuper lac, & semen augent, veneris stimulos incitant, urinas movent, fauces, & pulmonem leniunt, humorem melancholicum contemperant, & ad febrem quartanam commendantur, ipsique auxiliantur: decoctum Raphani utile este podagricis, & Pernionibus, & contra mortifera venena est remedium, & præcipuè semen pulverizatum, hoc præstat.

Pastinaca calida est, & sicca ordine secundo, crassum ac melancholicum præbet alimentum, difficilè coquitur, diuretica est, ideoque menses movet, & in venerem stimulat.

Raphanus calidus est ordine tertio, & siccus in secundo inter Raphanos, acriores sunt calidiores; paucum, & vitiosum præbent alimentum, seu nutrimentum, & pro condimentis, aut obsoniis magis eduntur, ad excitandum appetitum, difficilè coquitur Raphanus, flatu generat, & ructus olidos parit, gravitatem capitis causat, vaporibus ipsum replentibus; menses, & urinas provocat, Arenulas renum deturbar, lienosis prodest, aperiendo, incidendo, & attenuando, vomitum concitat eius decoctum, & seminis; oculis nocet propter halitus acres, & mordaces; cortex Raphani utilis est ad hydropicos, & si cum oximelite devoretur, vehementius concitat vomitum, & cum melle applicata in formam emplastri restituit capillos à tinea de perditos; ratione partium aliquarum subtilium, quibus pollent; si in fine mensæ sumantur conducunt ad celeriore distributionem; Certum ta-

men est minimè juvare concoctionem, cum potius ipsi difficilè coquantur, ut dictum est à Dioscorid. & à Doctore Laguna in comm. capite proprio. Vbi vituperat valdè vulgarem hominum opinionem asserentem Raphanum juvare ciborum concoctionem, cujus contrarium planè, & acerrimè deffendit.

Allium calefacit, & exsiccat ferè ordine quarto, alvum & urinam movet, menses evocat, flatus parit, & oculis nocet, ventriculi concoctionem adjuvat, quando frigida intemperie laborat, si aliquot bulbi integri, pillularum instat, manè devorentur: Ulteriùs viscerum obstructions appetit, crassos, & lentos humores incidit, & abstergit, vocem clariorem reddit, lumbricos enecat; venenis resistit, & bronchia pulmonis ab eorum infartu liberat; denique causticam vim habet, si enim exterius ad moveatur cutem exulcerat. Idem præstant Cæpa, & Sinapi; si autem interiùs devorentur viscera minimè erodunt; rationem quærit Galenus 3. de temperamentis cap. 3. ipse tamen dubiolo satisfacit, ex eo quod coquantur in ventriculo, & aliis partibus, & in eodem loco non manent, sed per partes disperguntur, & præcipuè, quia multis cibis & potibus permiscetur. Hæc Galenus.

Cæpa calefacit, & exsiccat ordine quarto, acris valdè est, atque mordax, longa acrior est, quàm rotunda; & rubra quàm alba; sicca, quàm viridis; cruda quàm cocta, paucum, & pravum nutrimentum præbet, flatulentos gignit spiritus, oculis nocet, somnia causat turbulenta, gingivis est adversa ob ejus acrimoniam, incidit, attenuat, aperit, & menses movet. Cæterùm licet vires alimentosæ cæpæ pravæ sint; Medicamentosæ facultates insunt in ipsa, valdè utiles, ad extirpandos plures morbos, & primo Cæpæ sub cineribus coctæ, & cum butyro comestæ tussientibus, & Astmaticis prosunt; idem præstant beneficium cum jusculo carniùm elixæ. Item aqua caparum destilata per balneum Mariæ cum saccharo calculosis valdè est utilis, & similiter si manè comedantur, aceto priùs intinctæ. Item si in orbiculos scindantur, & in aqua per noctem macerentur, talis aqua Pueris exhibita; lumbricos potenter enecat; exterius etiam admotæ, supprellam usinam promovent. Rursus si sub cineribus coquantur, & in mortario marmoreo cum pistillo ligneo contundantur, addita butiri recentis æquali copia, seu portione; dolores hæmorrhoidum sedant, & tumentes emolliunt hæmorrhoidas, ac breviter discutiant.

Porrum similem cum cæpis habet naturam, & temperiem, eisdemque facultates, sed paulò remissiores; illud tamen habet peculiare juxta Hipp. dicta 1. de morb. mulier, quod utile sit ad juvandam conceptionem, non solùm intus assumptum, sed etiam exterius admotum, per fomenta, semicupia, & cataplasmata, supra uteri regionem impolita, hoc tamen præstat vi absterforia qua pollet, ratione cuius uterum expurgat à mucosis humoribus, qui seminis retentionem, & ætuationem prohibent.

CAPVT VIII.

De fructibus esculentis vsualibus.

POMA omnia refrigerant, & humectant, sed acidiora frigidiora sunt, & alvum adstringunt; dulcia verò sunt magis temperata & alvum laxant: cruda difficilè coquantur, cocta vero non item, cardiacam vim obtinent, præsertim redolentia, atque ideo melancholicis utilia, quod inde constat, ex sirupis, qui in officinis habentur pro melancholicis destinatis; sic sirupus de Pomis Regis Sapor, & Sirupus de Pomis redolentibus; in quibus virtus laxandi ex eo dignoscitur, quod illis, quibus alvus adstricta est, poma cocta describuntur per horam ante cibum usurpanda.

Pirorum variæ sunt species, & varia pro ipsis assignantur temperamenta; insipida, frigida, & humida sunt. Accida austera, & acerbæ, frigida, & sicca; dulcia ad aliquem calorem inclinant; omnia adstringendi vim habent: sed majorem austera, & acerva, minorem dulcia, minimam insipida, cocta crudis utiliora sunt, & ventriculo magis amica.

Cidonia terrestrem habent naturam, valdè adstringunt, refrigerant, & siccant in gradu secundo: vomitum & alvi fluxum curant, venenis resistunt, ventriculi coctionem juvant, in fine mensæ ingesta: quia orificium illius claudunt.

Pruna recentia, refrigerant, humectant, alvum emolliunt, & parum nutriunt, facilè corruptuntur, & largior earum usus febres putridas, dyarreas, & dysenterias parit, præsertim si non satis matura comedantur, reprobantur in ventriculo frigido, & humido, & multa pituita referto, & in Senibus; conveniunt autem juvenibus, biliosis, & sanguineis, maximè inæstuosa aëris constitutione. Siccata ventriculo salubriora sunt nec ita facilè corruptuntur: ventrem insuper subducunt in aqua cum saccharo decocta.

Mala persicca frigida, & humida sunt ordine secundo, pravum generant succum, & facilè corruptibilem: quapropter Gal. 2. de alim. facult. cap. 19. monet post alios cibos non esse comedenda, quippe corruptuntur in superficie nantia; fumenda ergo sunt, ante fercula alia, sic facile egeruntur, & reliquis cibis viam muniunt, at si in ultima mensa edantur, unâ secum alia corruptunt; cæterùm prava eorum qualitas vino, & sale emendatur, aut si coquantur supra cineres, & saccharo conspergantur. Illud autem commune est omnibus fructibus frigidis, & humidis, & facile corruptibilibus, ut in prima mensa, seu ante reliquos cibos, edantur; aliter enim alios corruptunt, supra innatantes, ut dictum est.

Cerasa cum prunis maxime conveniunt, tum ratione temperiei, tum etiam ratione facultatum; ex duabus speciebus acida magis refrigerant, & difficilè corruptuntur; dulcia verò magis corruptibilia sunt. Galenus tamen lib. 2. de alim. facult. cap. 12. facultatem adstringentem illis concessit.

Ficus recentes in activis qualitatibus temperata in passivis humidæ sunt, satis laudabilem succum

succum generant, si perfectam maturationem adeptæ sint; si verò satis maturæ non fuerint, tunc pravam, & corrosivum succum generant, & disenterias, & putridas febres causant, etsi primâ mensa edantur, faciliè in ventrem descendunt, ipsum laxant, & abstergendi vim obtinent. Ficus sicca, quæ carica dicuntur vulgariter; calidæ sunt primo ordine, & attenuandi, atque abstergendi facultatem habent, vires foveant, alvum subducunt, renes mundificant, frigidis pulmonum vitis opitulatur; hepatis, & lienis obstructions referant; Largiùs ingestæ sitim excitant, sanguinem impurum, & putredini obnoxium generant, & ex earum crebro usu pediculorum proventus, & scabies exoritur. Tamen Authores non infimæ notæ virtutem, seu facultatem resistendi venenis ipsis concedunt.

De Vvis agit Gal. 2. de alim. fac. cap. 9. & inter autumnales fructus principatum obtinent; sunt plurimi nutrimenti, plus quàm reliqui fructus, modo ad perfectam maturationem pervenerint: optimi, & plurimi esse nutrimenti comprobatur Galenus exemplo eorum, qui vineas custodiunt, qui corpulenti ad modum evadere solent; licet caro ab uvis genita non sit ita firma, & densa, sicut illa, quæ ex carnibus generatur; Vvæ quæ in calidis regionibus adolefcunt gratam habent dulcedinem, & corpus reficiunt, & humectant; præcipuè utiles sunt Pueris propter magnam temperamenti similitudinem; ita ut nonnullos hæctica febre laborantes, solo Vvarum usu restitutos fuisse testentur plures Authores, quas in omnibus partibus, cum pane copiosè comedebant; At Vvæ, quæ in regionibus frigidis implantantur, ad maturitatem perfectam non perveniunt; acidæ sunt, & acerbæ, & sanitati adversæ: qui debiles sunt, uvæ debent edere denudatas à pelle, ne ventriculum gravent, nunquam tamen devorari debent calidæ à solaribus radiis. Cæterùm uvæ pensiles inter cibos refrigerantes enumerantur, quia perdunt partes calidiores, & per temporis diurnitatem resolvuntur.

Vvæ passivæ calidiores sunt, & ætuosæ ab Hippoc. dicuntur, & ad bilem generandam aptissima, quemadmodum omnia dulcia alimenta in corporibus biliosis: nam in frigidis temperaturis, & hominibus temperatis optimi sunt nutrimenti: ex Vvis passis præstantiores sunt pingues, & tenuibus folliculis vestitæ; & hac ratione plenius nutriunt; alvum laxant, & abstergunt, sed aliquantulum minùs quàm carica; magis tamen ventriculum juvant, Pectori. Renibus, & vesicæ plurimum profunt; tandem cum hepate familiaritatem habent: quapropter electuarium de passulis, pro hepatis corroboracione dispensatur communiter.

Amygdalæ dulces moderatè calidæ sunt; & pingues; atque oleosam humiditatem habent; attenuant, detergunt, urinas movent, & pulmones ab infarctu liberant; bronchiarumque asperitates leniunt, copiosè nutriunt, & alimentum euchimum, sed crassum præbent, genituram augent, somnum conciliant, quia saliosa sunt, sed difficilè coquantur propter substantiæ crassitiem.

Nuclei pinci, ad naturam amigdarum maximè accedunt sunt calidi, & humidi, & crassum succum generant, ac difficilè coquantur; lac,

& semen argenti, ac Venereos stimulos irritant, detergunt, humectant, reficiunt, & impingunt; & denique tussitentibus phthisicis, & tabescentibus conferunt.

Nuces avellanæ ad pineotum, & amigdarum temperiem accedunt, sed difficilè coquantur, & ventriculum gravant, largiùs ingestæ cibis supernant, & vomitum, flatus, capitique dolores excitant; Nephriticis conferunt, antepastum esitæ, & à calculo præservant.

Nuces juglandes calidæ, & sicca sunt, parum nutriunt, & difficilè coquantur, ventriculo nocent, bilem generant, capitis dolorem inferunt, pulmone noxiæ sunt; Lumbricos expellunt, virides cum saccharo conditæ, cortice priori detracto stomachum, & cor roborant; sicca vero venenis resistunt; Neque citra rationem adducitur illud vulgare axioma. Post pisces, nuce esse comedendas; quippe piscium natura frigida, & humida, & à nucibus corrigitur, etsi forsitan in piscibus aliqua relucet malignitas, ob loci cænositatem, in quo forsitan generantur; à nucibus corrigitur.

Castanæ in activis qualitatibus ad calidam temperiem vergunt, in passivis autem sicca sunt; satis copiosum præbent nutrimentum, sed difficilè coquantur, succum generant crassum, flatus excitant, alvum adstringunt; elixæ cum fœniculo minus flatuosæ sunt, quàm assæ, quæ illico ventriculum inflant.

Melones frigidi, & humidi sunt, sitim sedant, urinas movent, faciliè corrumpuntur, & corrupti naturam veneni induunt, & choleram morbum, & febrem malignam interdum excitare solent, eorum noxa aliqua tenuis impeditur si multo sale corrigantur; in prima mensa modica quantitate sumantur, ut meliùs coquantur, & faciliùs ad intestina descendant, & vinum merum superbibatur, & cibi optimi succi postea ingerantur. Nec valet si aliquis dicat vinum post Melonis devorationem nocere: ex eo quod pravam illius succum citiùs deferat ad penitiora corporis, ubi majorem inferunt molestiam: nam si vinum sit generosum, & copiosè bibatur omnem Melonum malitiam emendat, & juvat coctionem.

Cucumeres sunt frigidi, & humidi ferè in tertio gradu, pravam succum corpori ministrant, & faciliè putrescibilem, ex quo febres malignæ, diarrhæa, & disenteria faciliè generantur.

Cucurbita, frigida, & humida est in gradu secundo, parum alit, succum gignit improbum, cucumeribus tamen salubriorem, & in jusculis æstuante cælo commodè usurpatur; quia bilis fervorem contemperat.

Cinara calida est in gradu secundo, sicca in primo, flatus generat, venerem stimulat, caput gravat, & cum durefcit, vocatur à Galeno edulium cacochimium, & succum generat melancholicum in genere.

•••••

CAPVT IX.

De Carnibus in genere.

EX Vvis carnibus Vvecina præstantior est, & usitatissima omni ætati, complexioni, & temporis convenientissima, temperata

perata est; aut saltem moderatè calida, & humida; utimur ipsa tum assa, tum elixa, & utroque modo utilissima est, præcipuè si optimo pastu sit nutrita.

Caro ovilla mali succi est, & excrementitii, difficilè coquitur, ob substantiam viscidam, & lentam, qua pollet, propter partus frequentiam,

Agnina caro valdè humida est, mucosa, & pituitosa, eam non approbat Galenus lib. de attenuante victu cap. 8. Intelligendus tamen est de Agnis nuper natis; nam adultiores optimum præstant alimentum, & facilè coquantur, & præsertim utilis est naturæ debiliori, & his, qui parum exercentur.

Caro hædina humida etiam est, sed minùs Agnina, moderatè nutrit, sanguinem gignit tenuem, & humidum; alvum emollit, & melior est assa, quàm elixa, sicut Agnina caro.

Caro bovina calida est, & humida absolute considerata: quippe omnis caro tale habet temperamentum, utpote ex sanguine genita, comparatione tamen facta cum aliis animalibus, sicca est, & dura, concoctu difficilis, & alvum sistit, sanguinem melancholicum creat; firmum tamen est nutrimentum si optimè coquatur; ideò robustis corporibus, & valido exercitio utentibus, utilis est.

Vitulina caro in qualitatibus activis est temperata; in passivis humida, boni succi, concoctu facilis; sanis atque ægrotantibus conveniens & maximè utilis naturis delicatioribus, & mollioribus, quàm robustioribus.

Suilla caro in activis qualitatibus temperata est, in passivis humida, quàm Galenus humanæ carni assimilavit, si optimè coquatur, & potentissimum est alimentum, & magni nutrimenti, crassum, & lentum habet succum, ideoque nutrimentum præstat firmum, & durable, quod dissipari facilè nequit.

Porcellorum caro præhumida est, & mucosa, plurimumque gignit pituita, est magis excrementitia, quàm suilla, quia humidior; minùs autem nutrit alimentum quod præbet facilè distribuitur, & dissipatur, propter substantiæ tenuitatem.

Leporina caro sicca est dura, & crassa sanguinemque melancholicum generat, quod de vestro animali est certum, quippe lepusculorum caro delicatissima est.

Cuniculorum caro ad leporinam proximè accedit, in eo tamen differunt, quod cuniculi mediæ ætatis, reliquis præstantiores sunt, vetusti autem duriores, & sicciores; cæterùm nuper nati mucosiores sunt, sylvestres domesticis præferuntur; sunt enim minùs humidi, & excrementitii, quàm domestici, qui pinguiore, & corpulentiores sunt; sed longè inferiores in sapore, & salubritate.

✠

CAPUT X.

De Alimentis qua in Animalibus continentur.

SANGUIS calidus est, & humidus, difficilè coquitur, & plura generat excrementa, porridum in venis est, facilè in substantiam corporis convertitur, tamen postquam ab illis ductus est, calorem, & spiritus amittit, ideoque concrefcit, & in pravam degenerat substantiam.

Medulla calida est & humida, optimè nutrit, si benè coquatur, in nimia quantitate assumpta ventriculum relaxat, & nauseam parit.

Lac integrum in activis qualitatibus temperatum est, ad frigidum aliquantulum vergens; in passivis verò humidum ratione pinguis, & aquosæ substantiæ; at ratione caseosæ substantiæ, emplasticum, & incrassans; Absterforium ratione partis serosæ; ratione autem butyrosæ substantiæ temperatorum, & mitigatorium.

Lactis optimi electio est ut sit candidum, clarum, purum, atque sincerum, dulce omnique amaritudinis, acrimoniæ, aciditatis & falsedinis expers; item sit suaveolens, aut saltem boni odoris exiguum quid expirans: Insuper in consistentiâ, sit moderatum, hoc est, neque nimis crassum, & caseosum, neque nimis tenue, & serosum; sibi ipsi continuum, & ungui instilatum coherens, & non diffuens, recens mulctum, & ab animalibus benè pasto.

His prædictis conditionibus omnium ferè alimentorum lac erit præstantissimum, facilè enim coquitur; etiam si Valles. 5. aphor. in expositione illius celebris, etsi communis sententiæ Hippoc. 64. *Lac capite dolentibus malum*, &c. in expositione expresse teneat, lac esse concoctionis non omninò facilis; quod capere non possum; quippe est alimentum omninò depuratum à fœcibus, & frequenter propinatur ægrotantibus, tabidis, hæticis, & debilibus, quibus est proportionatum alimentum; si autem non esset facilis coctionis non ita esset; solum tamen tenet eius opinio in eo sensu, quod inter alimenta non est lac, quod faciliùs coquitur, non verò quia sit difficilis coctionis absolute, sed comparatione facta cum aliis tenuioribus, aut delicatioribus alimentis; quod ingenue fateor; tamen cum coctum est bene, & satis, multum nutrit, corpus roborat, & impinguat; alvum emollit, ventriculum, & intestina inflat; in ventriculo pituitoso, aut frigido accersit, in bilioso, & calido nidorem contrahit; corrigitur tamen saccharo aut melle. Lac autem vitiosum nocentissimum est, cuius effectus refert Galenus 3. de alim. fac. cap. 15. videas per otium.

Inter lactis differentias pro personarum alimonia, lac vaccinū omnium est crassissimum, & pinguisissimum; quippe caseosæ substantiæ habet plurimū, serosæ autem (si cum aliis comparatur) minimum; quapropter magis nutrit, & minùs alvum subducit, difficiliùs coquitur, citiùs in ventriculo coagularur, tardiùs descendit, difficiliùs distribuitur obstructionibus generandis magis est idoneum. Lac caprinum mediæ est consistentiæ, sicut & ovillum, quod Caprillo crassius est, quippe habet plus casei, & minùs feri, ideoque minùs deiecit, & valentiùs nutrit. Asininum hac omnium tenuissimum est, & maxime serosum, & propterea magis subductorium.

Butyrum calidum, & humidum est in primo, magis tamen humidum, quàm calidum, vetustum calidius est, & tenuius, recens fere temperatum est in activis qualitatibus, nutrit, impinguat, ventrem laxat, & tussi obnoxiiis confert.

Cremor lactis butyro similis est, sed in eo differunt, quod butyrum arte extrahitur, cremor verò sponte supernatat, vaporosum est, & crassum, Recocta (vulgò requefon) recenti caseo similis est, sit serosa lactis parte per ebullitionem extracta; minùs stomacho nocet, quàm caseus recenter pressus, calidis confert defluxionibus, situm se-

dat, somnum conciliat, ventriculo frigido nocet; vetusta, & indurata, parum nutrit, flatus generat, & alvum sistit.

Cafeus omnis non habet eandem naturam; & temperiem, sed variat pro diversitate animalium, ex quibus desumitur, & ratione ætatis, odoris, & saporis: Sic cafeus vaccinus multum alit, sed difficile coquitur: ovillus minus crassam habet substantiam, facilius coquitur, & parcius alit, quam vaccinus; tamen melius alimentum præbet. Caprinus utroque est deterior, sed ob acrimoniam facilius expellitur.

Antiquus Cafeus calidus est, & quò antiquior eò calidior, & acrior, & sicciior, & juxta Av. opinionem in gradu tertio, malè coquitur, & distribuitur, succum pravum generat, alvum adstringit, & in atram bilem vertitur, & calculis gignendis aptissimus est. Recens verò cafeus, & nuper coagulatus & mollis, frigidus, & humidus est, duro, & sicco cafeo magis flatuosus ob humiditatem, minus autem siticulosus, & minus ventrem sistit, bene nutrit, difficilis est concoctionis, ad calidum pronus, & ad obstructions generandas. Cafeus putridus, & foetidus omnium pessimus; at pinguis, & butyratus optimus, oculatus, & macer pravus; quippe omni ferè butyro privatus est.

CAPVT XI.

De Cibis Volatilibus.

GALLINARUM caro in activis qualitatibus temperata est, in passivis humida, boni succi, coctu facilis, & multi nutrimenti, seminis copiam auget, dummodo sit Gallina juvenis, quæ nondum pepererit; Veteres macræ glorientes, & incubantes damnantur ab omnibus.

Caponum, & Pullorum Gallinaceorum caro ejusdem est naturæ, & temperiei cum carne Gallinarum juvenularum, in eo tamen differunt, quod pulli tenuiorè substantiam habentes, minus alit, & minus solidâ substantiam præbent. Pulli Columbini inter laudatissima alimenta numerantur, optimè coquantur, succum generant mediocrem in crassitie, & tenuitate. Gallorum caro durior est, & calidior, & difficile coquitur.

Anserum caro calida est, & humida, crassa, & concoctu difficilis, & excrementitia; obstruit viscera, & pravum succum generat, pulli juniores insalubres sunt, utpote mucoribus & carne excrementitia pleni.

Perdices inter alata alimenta principatum obtinent; carnem habent sapidissimam; præsertim juniores, bonum, & laudabilem generant sanguinem, copiosum, & excrementis vacuum, memoriam augent, & semen multiplicat, veneremque instimulant, & continuo earum usu venerea lues extirpatur.

Palumbæ, Turtures, Coturnices, & Turdi; Reliquæque montanæ Aviculæ, secundum a Perdibus locum obtinent; optimum succum generant, bene nutriunt, & paucam excrementorum, copiam obtinent: hujus opinionis est Averroës; licet Gal. Plinius & Avic. Videantur contrarium sensisse, quando tenent, qui frequenter aluntur Coturnicibus, spasmo est obnoxios: hoc enim solum potest verum tenere, in sensu ab ipso Gal. exposito, nempe ex eo, quod Coturnices helleborum pro continuo pastu habeant; tamen cum

Regionibus nostris helleborus raro adolescat; imò continuo vescantur Coturnices optimis herbis, & Cerealibus; fit inde ut ex ipsis sanguis optimus, & uberrimum alimentum generetur.

CAPVT XII.

De Ovis.

INTER ova, quæ ex variis Animalibus petuntur, sola gallinacea, sunt in quotidiano usu, quæ ex duplici constant substantia Vitello scilicet, & albumine, quarum quælibet diversam temperiem habet, quippe Vitellus calidus est, & humidus moderatè, optimum præbet alimentum, sanguini simile, & in eum facile convertitur, & excrementis est immunis. Albumen verò frigidum est, & moderatè siccum, crassum generat sanguinem, difficile coquitur, & adstringentem vim obtinet.

Ova optima eligenda sunt, quæ sint candida, longa & nova, & quantò magis recentia, tantò meliora, antiqua vero non ita optima, & quantò magis antiqua tantò deteriora. Diverso modo præparantur, & per diversam præparationem bonitatem aut malitiam participant: Ova tremula ad corporis alimoniam sunt magis accommodata, & magis alunt, quam sorbilia. Gal. Auth. tremula verò dicuntur, quæ in aqua modicè elixa, eatenus ut in manu detenta tremere videantur, præparantur, sine putamine. Ova sorbilia, quæ in aqua cum putamine eò usque elixa sunt, ut sorberi valeant, minus nutriunt, quam tremula, propter substantiæ tenuitatem; facilius autem subducuntur, & alvum emolliunt; præsertim manè jejuno ventriculo sumpta, vocem reddunt claram; partum faciunt, & venenis in peste adversantur, commodè administrantur sorbilia, & tremula ova, convalescentibus, senibus, infantibus, phthisicis, & quibuscumque qui debiles sunt propter quamlibet causam. Cæterum ova longiori elixatione indurata difficile coquantur, succum generant crassum, & alvum adstringunt; assa sub cineribus magis adstringunt, & deteriorem, & crassiorè præstant alimoniam, quippe ignis vim magis recipiunt, & ob id nativam humiditatem magis deperdunt, quam si per elixationem indurentur. Ova frixa omnium pessima sunt, ægrè coquantur; lente permeant, & pravum atque crassum succum gignunt, & humores sibi admixtos in corruptelam perducunt, quod verum tenet de ovis ad integram duritiam frixis.

CAPVT XIII.

De Piscibus.

PISCES in genere, frigido, & humido temperamento præditi sunt alij plus, alij minus, & quoad substantiam plurimum evariant; quidam enim sunt concoctu faciles, & laudabilem succum generant; quidam verò difficile coquantur; & excrementorum plurimam copiam generant. Maxime præstantur Pisces Saxatiles, qui in Saxosis aquis delitescunt, & limpidissimis; facile enim coquantur, & sanguinem generant.

nerant, neque nimis tenuem, neque nimis crassum. Pisces, qui in limosis, sordidis, graviterque olentibus aquis degunt, insaluberrimi sunt. Insuper etiam, qui in Paludibus, stagnis, fluminibus parvis, atque stagnantibus, aut canosis, & turbidis, excrementis, & sordibus inquinatis.

Item Squamosi Pisces & carnes teneram, & friabilem habentes, salubriores sunt iis, qui squamulis carent, quoniam habent substantiam siccioram, minimè lentam & mucosam, seu humidioram. Denique Pisces in alto mari degentes, quam qui ab undis agitantur & motu nimio & continuo, sicciores redduntur.

CAPUT XIV.

De Condimentis.

CINNAMOMUM calidum est in tertio, & siccum in secundo gradu, urinas movet, mentes provocat, visum acuit, attenuat, incidit, digerit, coctionem juvat, flatu discutit, partes corroborat.

Caryophilli sunt calidi, & sicci tertio ordine, peculiarem habent amicitiam cum cerebro, corde, ventriculo, & utero, cerebrum enim roborant, distillationum materiam absumunt, memoriam firmant, spiritus vitales reficiunt, sincopè arcunt, ventriculi coctionem juvant, nausam tollunt, flatu discutiunt; uterum denique recreant, illiusque affectus leniunt, & venerem instimulant.

Piper calidum est, & siccum ordine tertio, quod figura longum est, est minùs siccum, album calidius est, & acrius nigro; ventriculi coctionem juvat, appetentiam movet, flatu discutit, tussi, & pectoris vitii medetur, partum adjuvat, & oculorum caliginem discutit.

Nux muscata calefacit, & exsiccatur in gradu secundo, adstringit, & ventriculum roborat, flatu discutit, oris halitum commendat, alvi fluxum cohibet; frigidis cerebri, nervorum, & uteri affectibus medetur.

Crocus calefacit in secundo gradu, siccatur in primo, leniter adstringit, coctionem adjuvat; urinam movet, venerem instimulat, cordialis est, & venenis opponitur; putredinem coercet, tussientibus, asthmaticis, phthisicis, & pleuriticis mirabiliter subvenit, & viscera deobstruit, menses denique retentos, foetum & secundinas potenter educit; in magna quantitate assumptus, mortem inferre valet, caput saltim lædit, & mentem perturbat.

Sal calidum est ordine 2. siccum in 3. abstergit, digerit, adstringit, condensat, putredinem arcet, appetitum excitat, ventriculi coctionem juvat, omnibus eduliis gratum saporem conciliat; nimia quantitate devoratum calculum gignit, pruritus parit, scabiem inducit, aciem oculorum obtundit, genituram minuit, biliosis, & melancholicis nocet.

Oleum recens, & dulce ex maturis olivis expressum calidum est, & humidum, emollit, laxat, lenit, acrimoniam omnem contemperat, lumbricos enecat, & venenis resistit.

Saccarum calidum est & siccum in gradu primo, putredinem arcet, stomachum juvat, abstergit, & ejus pituitam eluit; attamen si ventriculus bile inquinatus fuerit nocebit; Renibus, & vesica

confert, arenulas, & pituitam mucosam abstergendo, pectus lenit, & mundificat, alvum laxat, optimè nutrit; nimio usu obstructions generat, ut alia dulcia, quia facilè rapiuntur ab hepate; dentibus est inimicum, quos denigrat, & ad cariem perducit, atque ideo post illius esum, os colluendum est.

Mel calidum & siccum est in gradu 2. abstergit, alvum movet, urinam provocat, tussi medetur, putredinem arcet, utile est senibus, & hominibus omnibus, qui frigidum habent temperamentum, & hiemali tempestate; nocet autem juvenibus, biliosis, & tempore æstivo; Insuper calculosis, asthmaticis, aliisque pulmonum affectibus obnoxiiis maximè conducit, purum nutrimentum, & liberum ab excrementis exhibet.

CAPUT XV.

De Potu, & Materia Potulenta.

AQUA simplex frigida est, & humida, omnium verò optima, quæ limpida, & clara est, pura, & minimè cœnosa, & ab omnibus, quæ innatare solent excrementis immunis, saporis, & odoris expers, tenuis, & levis, quæ citò distribuitur, citò calefit, & refrigeratur. Ceterum ut de levitate aquarum judicium certum faciamus; sumantur duo lintea ejusdem ponderis, & deinde in aquis diversis humectentur, ac postmodum ad solem exsiccantur, si alterum priùs exsiccetur, melior erit aqua in qua illud humectatum fuerit: Insuper postquam ambo exsiccata fuerint; iterum ponderentur, & si unum altero levius sit, melior erit aqua, in quam demersum fuerit.

Hipp. lib. de aëre, loc. & aq. alias proponit conditiones, quas optima, & laudabilior aqua debet habere, ut scilicet versus ortum solis, præcipuè æstivum scaturiat; altera conditio est, ut per terram mundam, minimèque lutosam, vel argillosam, sed per arenas, & lapillos fluat, item quod hyeme sit calidior, æstate verò frigidior; hoc enim significat ex profundis terræ visceribus eam scaturire, & ita apparet propter Antiparistasim; Contra vero aquæ, quæ ad Septentrionem, aut occidentem oriuntur, & solem aversum habent, deteriores sunt, utpote crudæ, graves, & tardè permeantes; omnes autem istæ conditiones de aquis fontanis intelligendæ sunt, quibus si primæ quas retulimus adjungantur, videtur aquas fontanas primum locum obtinere.

Multa tamen afferri possunt Authorum testimonia, & argumenta quæ aquam pluvialem præferant. Primum Hipp. lib. de aëre loc. & aq. ubi extollit aquam pluvialem, eo quod levis, dulcis, limpida & tenuis sit, ex eo quod à sole tenuissimum trahitur, & levissimum Averr. in Canticis, tenet aquam pluviam optimam esse, fontanâ, ac fluviali longè excellentiorem; suffragatur Celsus lib. 2. cap. 18. per sequentia Verba, *levissima*, inquit, *pluvialis est, deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo, post hæc nive, aut glacie, gravior his ex lacu, gravissima ex palude.* Sequitur Aëtius, tetrab. 1. ser. 3. cap. 165. sic ait. *Aqua pluvialis omnium levissima censetur, & facile transmutatur.*

Rationibus etiam suaderetur hæc assertio ab experientia desumptis: siquidem aqua pluvialis ad stateram omnium levissima est, promptissime calefit, & refrigeratur, hypocondria non gravat, sed facile permeat: Insuper nullam in colore, sapore, & odore insignem qualitatem obtinet, & denique hujus aquæ excellentiam ostendunt majorem, olera, & omne stirpium genus, quæ imbrium de pluvio, melius quam irrigatione nutriuntur, & crescunt, imò & legumina omnia in ea melius, & facilius elixantur; & quid quæso est aliud pluvialis aqua, quam vapor tenuissimus sua levitate sursum delatus qui postea in frigidatus ab aëre, seu influenza cælesti descendit in formam aquæ conversus, totum quod eius tenuitatem & levitatem majores clarissime testificat; ita ut iure optimo inter omnes aquas consecatur excellentior. Fatemur tamen libenter in aqua pluviali, difficile omnes condiciones adductas inveniri, nam si à tegulis non abluatur diligenter, sed sordibus inquinatis excipiatur, vel in cisterna non bene mundata servetur, & tempore minus apto colligatur; tunc quidem plurimum de bonitate amittet, hoc autem accidentale valde est: nam adducta doctrina de aqua pluviali purissima, & cum omnibus requisitis servata verum tenet, alias fontana aqua erit eligenda.

Neque obstat aquam pluvialem facile putrescere; quippe alterationis, & mutationis proclivitas, virtuti magis, quam vitio adscribenda est. Consonat Galen. 1. de Aliment. fac. ubi tenet ea, quæ facile coquantur, facile item alterari, & corrumpi, non ergo arguit malitiam in aqua pluviali, si prona est ad corruptionem, neque id quod de aqua pluviali dicit Galenus, de sua adstrictione, est verum: Nam ea cum tenuissima sit, minimè est per se adstringens, sed solum per accidens talis dici potest, iuxta Avmentem, ex eo quod mox distribuitur, & ad vias urinæ penetrat, ex quo fit, ut faces per defectum humiditatis, sicciore reddantur, & alvus hac ratione adstringatur.

Dices: nivem, & grandinem generari ex materia pluviae, & tamen aquas ex his eliquatas merito ab omnibus reprobari: ergo & aqua pluvialis debet reprobari, eo quod habeat eandem naturam cum aqua eliquata ex nive, & grandine. Respondent communiter Authores: equam nivalem, & glaciale vitiolissimam esse, eo quod per congelationem omnes tenuissimæ partes exprimantur; quod in pluviali aqua non accidit, & sic inter omnes habet primum locum, si immunis sit ab externis causis, quæ ipsam inquinare valeant: quippe habet omnes condiciones requisitas supra relatas pro aquæ excellentia. Debet tamen colligi verno tempore, & minimè in æstate, quæ facillimè putrescit, propter exhalationes, quæ sulphuris naturam participant, & quia ex materia putrida stagnorum, & lacunarum vapores elevantur, ex quibus pluvia fit ex tempore; quare selectior erit aqua pluvialis tempore veris, & hyemis collecta, quippe in his temporibus, nullum adest periculum ex adductis.

Cæterum quia in nostra ætate, & maximè in nostra regione maximè invaluit potus aquæ nive refrigeratæ. Placuit controvertere, an sit utilis, aut nocivus, & quidem pro utraque parte rationes militantes breviter proponam, ut

Henriquez Laureæ Medica Tom. III.

inde quid securius exercendum sit, eligam.

Pro parte negante utilitatem in potu aquæ nive refrigeratæ, stat Hippocrates 11. sect. 2. aphor. text. 51. ubi hæc habet, *plurimum, & repente evacuare, vel calefacere, vel refrigerare periculosum*. Ex quo inferunt, quod cum in tempore æstivo, in quo frequenter utimur aquâ nive refrigerata sit corpus calidissimum periculosum valde erit, illud repente alterare aquâ nive reefferata. Hoc ipsum confirmat quotidiana experientia, eorum, qui ex huiusmodi potu in gravissimos morbos præcipitati sunt, quippe cruditates ventriculi, & ingentissimas obstructions creat, nec non etiam calorem nativum extinguit.

Ex altera verò parte plures extollunt summis laudibus, usum aquæ nive refrigeratæ præcipuè tempore æstivo pluribus rationibus: prima sit, quod calor noster natus, duobus validissimis hostibus oppugnatur, à frigore extingente ipsum, & calore dissipante: sed tempore æstivo ab æstuante aëre corpora nostra exsolvuntur, hæc autem exolutio frigidæ potu impeditur, & ab ipso natura recreatur, ut experientia testatur: ergo tempore æstivo, & corporibus adustis utilis est potus aquæ nive refrigeratæ.

Secundò validatur hæc assertio: nam commune est omnibus hominibus appetere frigidum potum ad extinguendam sitim, quæ nihil est aliud quam appetitus frigidi, & humidus ad atemperandum viscerum calorem, ipsumque liberandum à resolutione, quam continuò patimur ab insito calore, à quo fit mors naturalis, tanquam à causa inevitabili, attenuando partes, ut tractatu de ætatibus docuimus Tomo nostro primo: sed tempore præcipuè æstivo, magna sit humidi radicalis dissipatio à calore viscerum intensissimo: ergo illo tempore utilis est valde potus aquæ nive refrigeratæ, qui ardorem compescit, & viscera roborat, & omnino impedit resolutionem, & suffocationem caliditatis nativæ, & humidi radicalis.

Tandem potum nive refrigeratum maximè tempore æstatis plurimum conferre infinitorum hominum testimonio constat, qui se à plurimis incommodis potu nive refrigerato liberatos fuisse testantur; & in nostra Hispania pro certo habetur, ab eo tempore, quo huiusmodi potus invaluit, minùs grassari æstatis tempore febres ardentes, continuas, & malignas, quæ antea maximè infestabant; signum quidem testificans utilitatem potus aquæ nive refrigeratæ in siccitatis ardoribus, quos Hippocrates in epidemiis depingit, quandoquidem mentionem facit defebribus sudatoriis, colliquantibus.

Nos tamen in hac re maturè considerantes circumstantias temporis, complexionum, ætatum. Asserimus aquam nive refrigeratam utilem valde esse in regione, & tempestate calidissima, item in juvenili ætate, & tandem in illis, qui calidiori, & bilioso temperamento sunt constituti, & præcipuè si viscera omnia habeant robusta, & assueti sint potui nive refrigerato, tunc quidem habet omnes prerogativas, quas adduximus pro parte validante usum aquæ nive refrigeratæ. Porro illis, qui in Senili ætate, aut Puerili constituti sunt, & debilia habent viscera, aut obstructa, aut pituitosa, sive melancholico temperamento præditi sunt; & insuper illis, qui otiosam vitam degunt, & plurimos

habent excrementitios humores, & plurimo coitu utuntur, his omnibus plurimum nocet potus nive refrigeratus; ut probant Sectatores huius opinionis, quare in hominibus quibus prædictæ circumstantiæ non concurrunt, satius erit instituere potum, ut Antiquitus refrigerabatur ante inventionem nivis; apponendo ipsum in locis subterraneis, & Amphoris aquæ, aut vino plenis in puteum dimissis, ita tamen ut aquam non attingant, tunc enim sufficientem gradum frigiditatis tempore æstivo acquirit potus, ut non noceat, & ut fugiamus calumniam, quam præstat potus calidus resolvendo, & dissipando caliditatem nativam.

At tempore hyemali licet ventres natura calidissimi sint, nihilominus quia frigiditate aëris inspirati, & attracti per porositates, plurima excrementa frigida & pituitosa generantur; minime probatur potus nive refrigeratus, qui licet nemini non vacandus sit gustui, pluribus & ferè omnibus est noxius, nisi sit aliqua peculiaris natura nimis adusta, aut consuetæ nimis, cui utilis interdum censeatur, ad extinguendum, & compescendum ardorem ustivum: in quo casu nõ erit abs re potum nive alteratum permittere.

Vinum genericè, & absolute consideratum, in activis qualitatibus calidum est; in passivis autem siccum; calorem nostrum fovet, corroborat, spiritus auget, vires reficit, concoctiones juvat, pituitam attenuat, bilem per urinas

expurgat, & omnium excrementorum expulsionem promovet.

Vina ætate media victui sanorum & ægrotantium accommodatissima sunt, quippe tunc temporis optime defæcata sunt, & in calore mediocria; vini enim calor minus potens est in novo; magis in ætate media, & maxime in annofo, seu Antiquissimo; & licet varia vinorum genera variis naturis, ac temperiebus, magis vel minus oportuna sint, in univèrsum tamen, optimi vini, & omnibus propemodum hominibus convenientissimi conditiones sunt, ut saporem habeat inter dulcem, & austum, medium, ut sit odoratum, & fragrans, sit clarum, & non-nihil fulvum, nõ sit nimis tenue, aut crassum, sed ad tenuitatem magis accedat, neque nimis potens, neque nimis debile.

Nova vina vitanda, illa, scilicet, quæ mustaceam dulcedinem servant; debiliora enim sunt, excrementosa, difficilis coctionis, & alimenti distributionem non adjuvant, viscera obstruunt, & flatu generant, & calculum, præcipuè quæ dulcia sunt & non bene defæcata, sed turbida apparent; Vina autem austera, calorem habent debiliorem, diutius morantur in vasis, & vim habent adstringentem sed de his plura invenies apud Authores, quare immorandum non est, ne sermo noster fastidiosus appareat. Et hæc sufficiant pro alimentorum in particulari descriptione.





TRACTATUS
DE VICTUS RATIONE
IN MORBIS ACUTIS,
DE CRISIBUS, ET DIEBUS DECRETORIIS.

Ex Manuscriptis Eximij Doctoris Francisci Henriquez.

P R O O E M I U M.

QUANTA erga hunc auctorem sit mihi benevolentia, hinc, facile disces, quod nec labori, nec sumptibus parcens anxie, & diligentia non parva Tractatum hunc investigaverim; & jam reperto Thesauro non parum tinea corrupto, codicibusque inordinatis (ea enim, solet esse possidentis ignorantia) quæ potuerunt aliquantulum legi scribenda dedi, quæ verò non sine magno labore (ut conjectare poteris) mihi arripui resumenda, aut transferenda, timenti ne forsitan iners labor transcribentis pigritia, quæ solent isti, & huius census cæteri, aliqua exemplari non correspondentia imponeret. Tu pro me Deo optimo Maximo ut ores opto, atque rogo, & hoc meo in quærendo labore frui. Vale.



SECTIO I.

De ratione Victus absolutè:

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit, quod Hippocrates docet in his libris, Qui de victus ratione inscribuntur.

TAM in his libris, ad sanitatem, quam in aliis ad acutos morbos in principio docent Hip. plures de diæta scripsisse non tamè complete, neque ideo esse post habendos, quia saltem conati fuere rem difficilem, sic nos rem difficilem aggredimur, non tamen post habendi sumus, etsi eam non consequamur, sic ait Hipp. 1. de diæta. Ad sanitatem multi quidem scribere, nullis autè rectè novit quidnam fuerit ipsis scribendum, immeritò ullus aliquis ipsos reprehendet, propterea quod invenire non potuerunt, immò laudandi potiùs omnes quod *investigare conati*. Quærimus ergo quid intendat Hipp. in his libris, propter quæ verba duo sunt enodanda, quid intendit, & quid sit quod intendit.

Circa primum, videtur non solum intendere agere de ratione victus, sed de rebus aliis; quod sic probatur. Nam docere dicendum est, quod ex ejus

doctrina constat docere: sed constat non solum de victus ratione agere in morbis & sanitate, sed etiam de curatione plurium morborum: & de qualitatibus plurium medicamentorum, ergo non solum victus rationem docet, sed plura alia; ac per consequens plura quam victus rationem intendit docere: constat antecedens ex ipsa littera text.

Nihilominus intendere Hipp. docere victus rationem in morbis acut. per hos libros est expressa doctrina omnium authorum præcipuè Gal. tam in commen. dictorum librorum, quam 1. aph. comm. 11. & 2. de fracturis & 3. de locis affectis, & pluribus aliis locis: & probatur. Nam etsi verum sit, ut in argumento antecedenti constat Hipp. tractare de pluribus præter victus rationem, hoc tamen incidenter, & ad explicacionem maiorem fecisse est manifestum, ut ex Gal. locis citatis constat.

Sed Dices si libri isti agerent de ratione victus, non citarentur ab autoribus jam sub isto nomine, jam sub aliis. Ergo non solum tractant libri isti de victus ratione, sed de aliis rebus quibus inscribuntur.

Respondetur libros hos post mortem Hipp. sine titulo inventos esse, ratione cuius jam sub hoc jam sub illo nomine ab Authoribus habentur ut voluit Ant. Mussa in comm. quod dedit manifestum Gal. 2. de victus ratione comment. 45. per hæc verba. Sæpiùs existimavi librum hunc post mortem Hipp. esse publicatum, non secus enim, quam hoc pacto facta esse videtur inordinata sermonum compositio: nam quæ ab Hippocr. inveniebantur exempla hæc in lib. ad fidem universalem

versalem scripta sunt, alia quidem in facie, alia in tergo &c. quibus verbis fundamentum dedit nostra Responsio.

Difficultas tamen est quid sit victus ratio, & quid per victus rationem intelligendum est. Est enim, victus ratio idem quod dieta, quid tamen dieta significet, dubitatur: circa quod Valles. & super hos lib. & 1. meth. cap. 2. & 3. intelligit per dietam moderationem omnium rerum non naturalium, quod probat ex his quae Hypp. tractat, & ratio idem ostendere videtur: nam & auxiliis & moderatione rerum non naturalium utitur Medicus circa aegrotantes, quod per victum & auxilia intelligit Valles. dum victu, & auxiliis omnem curationem perfici ait 1. meth. sed relictis auxiliis omnium aliarum rerum casus est necessarius: ergo pervictus rationem communis rerum usus est intelligendus.

Nihilominus etsi dictis in libris plura tangat Hypp. Victus ratio, seu dieta solum moderationem cibi, & potus seu debitum eorum usum significat; ut recte super hos libros adnotavit Antonius Musca, & idem Hyp. in omnibus his libris nil ex professo docet de aliis rebus non naturalibus praeter cibum, & potum: nil enim agit de somno, aut vigilia, nihil de motu, aut quiete: ergo solum agit de victu & potu ex professo, sed victus ratio includit modum cibandi, administrationem debito tempore factam: nos ergo eius vestigia insequentes de victus & potus recta administratione operam dabimus tam per morbos, quam per salutem.

Non dubito per victus rationem omnem methodum procedendi circa conservationem, seu consecutionem salutis seclusis auxiliis, quae proprie talia sunt posse significari, & hac ratione procedere Vall. quod sequens 5. alim. & 3. epid. & cap. 85. artis Medic. per victus rationem usum omnium rerum non naturalium intelligit, non tamen id in rigore significat victus ratio, idem communiter practici curationem cuiusque morbi incipientes, victus rationem adducunt modum cibandi adducunt, & hac ratione etiam Galen. librum de attenuante alimenti scripsit, quo methodum attenuandi alimentum dedit.

Sed dices quomodo Hyp. de victus ratione in morbis acutis agens; tractat de aqua intercute, & de pleuritide? Respondetur quidquid sit de auctoritate huius libri agere Hypp. de victus ratione acutorum morborum, & eorum qui ex decidentia tales fiunt, seu ex illis resultant, & sic nil mirum quod de aliquibus agat, qui non sunt simpliciter acuti, egit tamen ex professo de victu acutorum, quia ex hac doctrina aliorum morborum manifesta erat cibandi methodus.

Q V A E S T I O II.

Quid, & quotuplex sit alimentum.

QUIOREM partem huius quaestiois explanatam dedi Tractatu de alimentorum facultatibus, ubi ex professo probavi alimentum esse quidquid nostram substantiam valet reparare, nil in hominis corpore faciens: quod est dicere illud omni rigore rationem habere alimenti, quod valet nutrire, seu commutari in substantiam aliti, illud non immutans; quod

debet intelligi non immutans praecise per id quod ad esse alimenti requirit.

Sed dices alimentum est in reparationem naturae, seu substantiae resolutae: sed quamvis alimentum qualitatibus aliquibus valeat agere, non amittit esse convertibile in substantiam aliti, ergo recte salvabitur ratio alimenti per hoc quod habeat substantiam reparare, quamvis agere valeat: quia ratione 3. de temp. Gal. adducens differentias eorum quae intra nos agant, & patiantur, inquit, quartam speciem esse eorum, quae agunt aliquid, & patiuntur, & tandem vincuntur a nobis & similia fiunt, quae alimenta sunt, cum ipsa solum perfecte similia fiant, ut recte in comment. adnotavit Vall. ergo recte comparitur ratio alimenti cum hoc quod est posse alterare vivens, etsi hoc non sit de ratione alimenti, ac per consequens non recte definitur alimentum per hoc quod est reparare naturam sine eo quod alteret.

Respondetur rationem alimenti solum salvari penes eo quod in nostram naturam sit convertibile; nam omnia alimenta ex se debent esse temperata referente Gal. 4. de simpl. med. fac. cap. 14. ergo potius debent pati alterationem viventis alterantis medio calore in excessu, quam ipsum vivens alterare: si vero (ut iudico) aliquantulum ipsum vivens alterant, hoc quatenus aliquantulum medicamenta sunt faciunt, non vero quatenus alimenta.

Ex dictis patet, quod etsi coniungi possit in unica entitate alimenti & medicamenti ratio, propter quod quartam speciem mixtorum agentium, & patientium, ita ut tandem assimilentur, adduxit Galenus; verum, & proprium alimentum erit, quod talis naturae est quod valeat nutrire, sine eo quod agat, quia quantum de activitate habuerit, tantum de dispositione ut convertatur deficiet: tamen quia dispositio quae valet agere non bene comparitur cum illa quae ad esse alimenti requiritur; requiritur enim similitudo, quae cum qualitatibus agentibus non est, tum quia eo gradu quo agit minorem reddit agentis convertentis virtutem. Idem verum alimentum dicitur ab Hypp. 1. 6. de aliment. quod jam..... gluten, quia in ipso reperitur reparare substantiam non alterando; dicitur veluti alimentum, quod dispositum est ut in nostram substantiam transeat; futurum alimentum, quod alterationes aliquas recipere debet ut in nostram substantiam transmutetur, ut quidquid in venis continetur: ergo ratio alimenti ut talis salvatur penes eo quod nostram naturam valeat reparare ipsam non alterando. His verbis docet manifeste Gal. verum alimentum dici illam ultimam humiditatem quam ex Avic. tota concedit schola, gluten scilicet, cum dicat eam esse quae jam nutrit: & veluti alimentum quod est tale, id est, quod dispositiones, seu qualitates habet, veluti quod agglutinatum est, ut constet 3. & 2. humiditatem Avic. appellari veluti alimenta, & consequenter futurum alimentum quidquid ante hoc est, quod omne, praeter verum alimentum homo nimè alimentum appellat, & hac ratione etiam edulia extra talia sunt; quod non alia de causa est, nisi quia alimenta extra ad hoc ut convertantur est necessum ut propriam formam amittant, & alias viales formas acquirant, ut propria alimenta dicantur.

Circa secundum quod inquitur quaestio, scilicet

cet, quotuplex sit alimentum: dividitur primò in verum alimentum, quasi alimentum, & futurum alimentum, quod jam immediatè antè explanavimus: 2. posset dividi alimentum in tota sua latitudine prout abstrahit à tribus dictis, ratione qualitatum diversarum quas habet, ita ut differat, aut ratione qualitatum activarum, aut ratione qualitatum passivarum: & magis materialiter ratione diversarum formarum: hoc ultimum constat: quia cum ratio alimenti sit id quod est convertibile in substantiam aliti, & ad hoc nil forma procedens faciat ad diversitatem substantiæ acquirendæ, hinc est quòd materialiter valdè se habeat ad constitutionem differentiarum alimenti diversitas formarum, quia solùm quatenus signat diversas esse materias se habet, quæ ratione sunt alimentorum differentiæ juxta diversitatem mixtorum in substantiam aliti convertibilem.

Divisio tamen alimentorū per qualitates activas magis propria est, quia licet has aut illas qualitates habere alimentum sit extrà rationem formalem ejus quatenus ratione earum substantia acquisita huius aut alterius qualitatis est, magis accedit ad rationem alimenti; & sic magis propria est divisio per tales qualitates præcipuè cum ad rationem alimentorum valdè varia sit, quæ ratione alimentum calidum, humidum, frigidum, & siccum, asperum, aut adstringens, &c. cum ad rationem medendi magis aptum sit. Ideo magis propria est divisio qualitatum, quàm formarum. (Paucis tamen lineis interpositis tinea corruptis proh. dolor. postquam, ut conjectare potui) dixisset qualitates passivas esse quæ nullum præstant agendi principium insequitur) talis naturæ sunt qualitates illæ quibus alimentum sit facilis aut difficilis concoctionis id est per quas facilè aut difficilè commutatur: tenue, aut crassum dicitur quia ad talem substantiam generandam conducit; multum aut parum nutriens, quia multum aut parum substantiæ producitur ex eo in ordine ad partes quas habet; boni aut mali succi, quia substantia quæ acquiritur est similis aut pravis qualitatibus affecta: quorum omnium exemplum sit ovum forbile, aut durum quos modos dividendi servavit Gal. per 3. libros de alim. facult. & lib. de cib. bon. & mal. suc. & prius Hipp. 2. de dieta sanorum & de diet. ægrot. de quibus nos tractatu de alim. facult. aliquid diximus, dicemus tamen infra quidquid ad nostrum attinet tractatum seclusà diversitate substantiæ sumptà à diversitate aut simplicitate alimentorum, quia nil aliud supra doctrinam dictam.

Supposita ergo cognitione qualitatum alimentorum diversas species constituentium ad tractatum de alimentorum facultatibus pertinentium: differentiæ alimentorum sunt desumendæ quoad victus rationem, seclusà convenientiâ aut disconvenientiâ inter qualitates dictas, quæ ratione alimentum est dividendum circa victus rationem, aut ratione quantitatis aut qualitatis aut in forma, si quidem victus ratio omnibus ægrotis variatur per additionem aut diminutionem: ratione qualitatis dupliciter dividitur, aut per qualitates activas, aut passivas, & sic procedit dividendo modum cibandi seu victus rationem.

His positis alimentum prout ad nostrum tra-

ctatum pertinet, ad victus scilicet ordinationem tam pro sanis, quam pro ægrotis seclusà ratione medicinali triplex est, crassum, tenue & mediocre, quòd est, quòd multum, parum aut moderate nutrit in ordine ad vivens, quam, divisionem didicimus ex Hip. 1. aph. in quo pluries victu tenui, aut pleniori esse utendum docet, ex quibus extremis victum medium debemus deducere, & consequenter aliud esse alimentum tenue, aliud plenum seu crassum, & aliud mediocre quod manifestavit Galenus super illa verba victus tenuis, atque admodum exquisitus, &c. sic prosequitur Martinus contraponendo victus inter se; differunt, enim inter se valdè victus tenuis, & plenus, in eius contrapositione constituentur per respectum extrinsecum, ut diximus, hoc est penes hoc quòd vires augeatur, conserventur, aut minuantur, quidquid sit de alimento exhibito, quia extrinsecum est ipsi alito, crassum verò & multum nutriens & eorum contraria per extrinsecas qualitates constituuntur, crassum ratione qualitatum quas habet ita ut substantiæ quæ generatur crassa sit, seu partium difficilis resolutionis, è contra verò tenue; alimentum autem multi aut parvi nutrimenti requirit partes omnes sui, ratione quantum multum aut parum substantiæ ducatur, seu resulter, id est quòd substantia resultans correspondeat pluribus, aut paucioribus partibus ejus, ita ut quando omnes, aut plures partes alimenti in substantiâ mutantur, multi nutrimenti est, pauci verò quando parvæ, & nullo respectu habito ad subiectum quod nutritur; hoc est, ad substantiam quæ resultat seu ad vires quas reparat, cujus contrarium in alimento pleno, aut tenui dictum est: & sic ad nos de hoc alimento agere spectat in præfenti, cum aliæ differentiæ ad tractatum de aliment. facult. pertineant, agimus, enim, de victu sanorum aut ægrotantium quibus ratione virium dumtaxat alimentum exhibetur, ut diximus.

Dices, sicut Gal. & cum eo interpretes omnes cum de pleno, aut tenui victu agunt exempla determinata adducunt, dicentes Melicratum victum esse tenuissimum, partium ptyane succum victum tenuem, seu mediocre, sed si victus tenuis, & plenus constituerentur per respectum ad subiectum non posset dici determinatum alimentum quod tenue, aut plenum diceretur, ergo non constituntur per respectum ad extrinsecum; patet nam quodlibet potest diversis adaptari substantiis ac per consequens si ipsum tale esset ex se, per qualitates intrinsecas tale esset.

Resp. Gal. & Auth. non adducere alimenta quibus debeatur hæc aut illa nominatio, sed, aducere v. g. alimenta quæ etsi per extrinsecum talia sint, cum ex se valeant parum reparare & ex parva reparatione sequatur non conservari vires sed diminui, hinc est quod determinetur alimentum tenuissimum, mediocre & crassum: quia talia alimenta ex se ad unum & ad aliud faciunt, non tamen in ratione talia sunt ex se, sed ratione effectus producti: idèd Galenus non loquitur determinatè, sed per effectus explicat talia alimenta: infra verò exemplum adducit respectu naturæ determinatæ: & certum est victum tenuem esse alimentum quod non valet tanto tempore vires conservare.

Victum hunc tenuem dividunt plures cum Gal. in tenuem absolutè, tenuissimum, & extre-

tremè tenuem quorum quilibet in generali ratione victus vires minuētis convenit; differunt tamen quatenus tenuis absolutè est cibus aliquis, seu cibandi ratio, cum exhibitione alicuius parum alentis, non valdè debilitantis; tenuissimus vero cibus est cibandi ratio aliquo exhibitio minus alente, & ex hac parte magis debilitat ut est melicratum; tenuis in extremo cibandi ratio per nullius exhibitionem, id est per inedia, quorum contrapositione mediocris dicitur oleacea ptyšana, & plenus piscis, & ovum totum quod comment. 4. expressè docuit Galenus.

Contra hanc receptam doctrinam duplex suscitatur dubium ab Author. primum cur Gal. victum tenuem in tria divisit membra, non ita plenum. Ad quod, postquā recentiore quemdam impugnavit, responderet, solutio tamen probabilior est non fecisse Gal. divisionem victus pleni, quia ex una altera deducebatur: vera tamen, & certa solutio est, & quæ majorem rei speculationem arguit. Hipp. egisse in illo loco de victu ægrotantium, ut ipse Gal. refert, & cum illis victus plenus non sit exhibendus communiter, sed, mediocris, aut tenuis, ut etiam refert Gal. hinc est quod tenuem dividat victum non tamen plenum, ut illius quo est utendum completa sit notitia.

Secundum dubium est cum victus ratio, seu alimentum sit divisum, & dividens rationem divisi participare debeat, quomodo victus tenuis in tria membra posita sit dividendus; cum victus extremè tenuis, seu tenuissimus exactè rationem alimenti seu victus non participet, siquidem inedia alimentum seu victus non est. Respondetur (nisi fallor) quod alimentum potest considerari dupliciter uno modo, ut res non naturalis est; alio modo pro usu cibandi, & si bene verum sit hanc non esse divisionem adæquatam, si sumatur prout res non naturalis est alimentum; si verò pro modo & ordine cibandi secus res se habet. Prosequitur Martinius; & colligitur ex ipsa litera textus in qua postquā dixit Gal. alimentum dici plenum, medium, & tenuè agendo de sanis sic ait, hunc igitur semper fugere oportet & cum verbum hoc sit referendum ad id quod est fugiendum, & dixerat alimentum: Ant. Muss. super hunc locum inquit esse legendum *hoc igitur*. Fallitur tamen; nam licet Gal. dicat alimentum plenum, &c. cum per alimentum plenum & tenuè sit intelligendum victus, seu cibandi modus, rectè inquit, hunc igitur semper fugere oportet, quasi diceret in sanis semper fugiendus sit victus tenuis, seu talis modus cibandi; ut inde constet non dividi in rigore alimentum, sed modum alendi, circa quod non dari alimentum in ordine ad vires, sed modus est cibandi, seu alendi. Tandem ultimo advertit quod quando dicimus victum tenuem vires minuere non est intelligendum ipsum alimentum per se vires minuere: sed alio modo dicitur, quem legere neque conjectari potui.

QVÆSTIO III.

Utrum variatio alimenti in forma debeat fieri per variationem speciei alimenti.

TITVLVS quæstionis est utrum alimentum plenum in tenue transeat per alterius alimenti mutationem; an verò tantum quantitate immutata, quod idem est ac quærere, an formæ alimenti mutatio sit idem ac quantitatis mutatio, per quod non est intelligendum an forma alimenti, seu ratio formalis eius sit idem cum quantitate; diversum valdè est unum ab alio; & hanc diversitatem explicat: sed legi non potest.

Ad quod supponendum est non posse dubitari specie alimenti mutata, posse manere eandem alimenti formam: hoc est enim immutari in forma tenuis, aut crassi, cuius manifesta est ratio: nam cum differentiæ hæc cõstituantur per hoc quod est augere vires aut secus, rectè poterit alimenti forma manere eius specie mutata, hoc est concessio alimento idem reparante solum ob alias indicationes diverso, ut siquis tali alimento egeat ut ovum detur sorbibile, poterit aliquid pulli loco ovi exhiberi: nisi forsan facultas debilis pro pullo non sufficiat, sufficiat tamen pro ovo: rectè ergo specie alimenti mutata eadem erit alimenti, seu alendi forma: dummodo alia indicatio non adest prohibens. Quod expressè docuit Galen. comment. 4. cit. agens de oleacea ptyšana, sic ait, non tamen propterea plenus qualis qui fit per ova, & alicam, & pisces, & alia huiusmodi; docet ergo plura alimenta specie diversa eandem habere alendi formam.

Sed non mutari alimentum si mutatur forma, & quod idem unum ac aliud non denotat, probatur 2. de vict. ratione text. 37. sic ait, additioni intendendum multò minus, nam subtrahere omnino sæpè numero expedit, quæ duæ sententiæ (retulerat enim antea aliam Mart.) ita pugnant sunt ut. A. A. valdè divagantes existant circa earum explanationem, quod non alia de causa est nisi idem intelligunt per formam, ac quantitatem victus, id est quia per quantitatis mutationem formam victus mutari iudicant; sed sic est quod si quantitatis mutatio non sit formæ victus mutatio non contrariantur istæ sententiæ: ergo per formæ mutationem non est intelligenda quantitatis mutatio: patet antecedens quia 5. aph. loquitur de varietate in forma & 2. acut. loquitur de variatione in quantitate.

In tota duratione non est exhibenda sæpè eadem alimenti quantitas, & debet dari eadem forma: ergo forma alimenti differt à quantitate: eius prioris syllogismi (alteram retulerat Auctor) minorem docet Hipp. 2. acut. text. 36. dicens conijcere autem oportet, & robur, & cuiusque morbi speciem; non in cibus solum verum etiam in potionibus, quibus verbis ut docet Gal. in comment. per speciem morbi instituitur forma victus quod non semper eadem cibi quantitas exhibeatur eiusdem alimenti in eadem morbi duratione ostendit ipse Hipp. 1. aph. text. 10. dicens: & in ipso consistendi tempore est parum

parum ante illud cibus subtrahendus, priùs verò uberiùs agendum; ergo mutatio quantitatis non est mutatio formæ, cum jubeat mutari quantitatem ratione temporis in unica, & eadem morbi specie à qua diversitas formæ victus instituitur, quæ cum non varietur, nec victus forma est varianda: (sed mihi videtur non calluisse verè quid in conclusione, quam probat, intendit, cum consequentiam contrariam eliciat.)

Hanc eandem partem fortiùs comprobat Mercatus ex eo quod cibus qui mediocri alimentum est, seu mediocrem constituit victus rationem non faciat victum plenum si augeatur in quantitate, nec victum tenuem si diminuat; ergo forma victus à quantitate differt: antecedens ostendit ex Hipp. lib. de veteri medicina &c. Et ratione suadet: nam victus talis instituitur in hoc morbo quia talis requiritur pro viribus quæ ad ipsum morbum sunt necessaria: sed in eodem morbo eadem virium intensio debet requiri, ergo in tota eius duratione non potest mutari hæc forma victus, aliàs non esset pro viribus requisitis ad talem morbum, & cum ex alia parte quantitatem mutari constet pro diversis temporibus morbi, sequitur formam & quantitatem victus differre.

Nihilominus vera sententia est quod licet forma victus à quantitate ipsa differat formaliter, rectè variatur forma quantitate eiusdem alimenti variatà, quæ sententia ita vera est, ut eam secundo miremur à tanto authore impugnari: est enim in primis expressa Hipp. & Gal. & consona rationi; ergo & tenenda; sic ait Hipp. 1. aph. text. 7. ubi morbus peracutus est statim extremos habet labores, & statim tenuissimo victu utendum est, ubi verò non tantum cibi indulgendum est quantum, &c. hoc idem docet text. 10. per hæc verba. Quibus statim morbus consistit his statim tenuis victus adhibendus, quibus verò posterius debet consistere his & in ipso consistendi tempore, & parum ante ipsum, cibus subtrahendus, priùs verò uberiùs agendum, ut æger sufficiat, quod est dicere victum tenuem esse adhibendum, cum morbus consistit & hoc fieri per subtractionem cibi in tempore consistentiæ, & parum ante illud, priùs verò non ita tenuem victum esse exhibendum, hoc fieri docet per uberiorem cibi exhibitionem. Nec valet quod dicit Mercat. loqui scilicet Hipp. de mutatione quantitatis, non de mutatione formæ cibi. Non valet; nam Hip. agit de victu qui convenit morbis acutis: & hunc ait tenuem esse exhibendum dum etiã in statu, & adducens modum attenuandi, inquit, per subtractionem cibi in ipso statu, & ante ipsum; in principio verò plus cibi esse dandum. Quòd hoc quòd alit sit pro mutatione in forma victus patet) rationem legere non potui nec quæ illa sit cum nondum Tractatus huius limina pertigerim scio) cuius placitis Iacob. de forlivo Ant. Mus. & Vgo. Senens. in comment. dicti loci, & Vall. primo Methodi cap. 6.

Cuius doctrinæ est manifesta ratio, nam victus tenuis, medius, & plenus definitur à Gal. per hoc quod diminutionem, aut conservationem, aut augmentum virium faciat, sic ait comment. 4. cit. & est quidem augere potens alimentum quod plenum vocatur, conservans verò quod modicum existit, quod verò minuit tenue, sed unum & idem alimentum poterit hos effectus facere solum per augmentum, aut diminutionem

quantitatis eius, ergo victus forma per quantitatis variationem mutatur, major constat, minor fit experientia manifesta, ergo & consequentia.


Secundò: nam alimentum tale, seu sub tali forma exhibetur ratione virium requisitarum pro duratione morbi, idè 2. acut. text. 36. sic ait conijcere autem oportet, & robur, & morbi speciem non in cibus solum, verum in potionibus, quasi diceret ratione virium in ordine ad morbum cibum esse exhibendum, ut voluit Gal. in commentar. ex eo quod alito vires sufficientes pro morbi ablatione permaneant: sed non sunt necessaria vires in eadem intensio in toto tempore morbi, ergo forma victus est varianda ratione temporis morbi: (prosequitur auctor sed legi non potest.)

Cum hoc tamen non nego formam victus mutari pluries alimento mutato: qua ratione ipse Gal. comment. 4. cit. sequens Hip. 1. acut. omnimoda inedia utitur pro extremè tenui victu, melicrato pro tenuissimo, ptyfanæ succo pro tenui & sic de reliquis: quod assero est quod licet mutato alimento forma eius mutetur pluries; ut dum loco carnis ovum, aut ius exhibemus mutata quantitate mutatur cõmuniter; & hoc adhuc substantia, seu entitate alimenti mutata. Qua ratione, qui vaccina carne per salutem utuntur, arietinam vescuntur per morbos, & qui arietinam comedunt per salutem, ut in plurimum formam mutant usu Gallinarum, seu pullosum, in minori tamen quantitate, ut sic minus reparant vires, & minus reparatur ab alimento natura, quia facilioris conversionis, & minus excrementosum est, si autem quantitas non minueretur, potiùs plenior esset victus, cum plures partes in ipso essent.

Tandem quòd mutata quantitate alimenti eius forma debeat mutari deducitur ex Hypp. acut. text. 21. in quo expressè ait consuetum alimentum etsi deterius esse præbendum, qua ratione etiam intelligendus est ipse 2. aphorif. text. 38. (prosequitur deducens consequentias ex his auctoritatibus, sed non legitur.)

Pro solutione quæstionis advertendum est per quantitatem aliti non debere intelligi molem ipsius præcisè, nam hoc modo posset mutari quantitas non mutatà formam, & cõtra: ut cum loco arietinæ carnis daretur eadem olerum quantitas, forma mutaretur, & non mutaretur quantitas, & consequenter si dimidium carnis tribueretur, quam olerum, mutaretur quantitas, & non mutaretur forma. Est ergo intelligenda quantitas partium substantialium seu convertibilium, hoc est partium verè alimentum habentium, ita ut verè quantitas alimenti mutetur, ut etiam forma mutetur, qua ratione rectè forma mutatur, eiusdem alimenti quantitate mutata; sunt ergo alimenta quædam magnæ molis parvæ tamen substantiæ, ut herbæ, & olera quæ propria sunt pro forti facultate commutantur, parvâ nutritione, seu reparatione indigente, quod propriè per salutem habet locum; siquidem rarè per morbos utile potest esse id ex quo plura debent resultare excrementa: talia enim sunt partes quantitatis, quæ reparare non valent: contra verò fit in alimentis parvæ molis, & multæ substantiæ, seu multi nutrimenti, ut sunt ovorum vitella forbilia, & gallinarum caro propria pro ægrotis, ni aliquid accidens ratione medicamenti contrarium ex-

poscat, fames scilicet canina; verè nascitur diversificari alimentum quantitate majori aut minori, prout differt ab alimento diverso in forma ratione quantitatis, quia hoc respicit reparationem quam facit, illud verò molem.



QVÆTIO IV.

A quo indicetur alimentum & victus ratio.

FACULTAS petit cibum quem cohibet morbus: Morbus petit auxilium quod prohibet facultas, ut inquit Valles. 1. Meth. cap. 6. ex mente Gal. 1. de sanit. tuenda, & nono meth. & lib. de opt. secta, cap. 42. & 43. At quæ facultas petat aut renuat auxilia cognoscemus, si attendamus Gal. 1. de san. tuenda cap. 2. dicentem, corpus nostrum dissipatione resolvi necessariò, nisi ex alimentis nova reparetur substantia, sic ait. Nam cum tota animalis moles in perpetuo sit fluere, nisi similis altera substantia, pro ea quæ effluxerit restituta sit, evaporabitur certè atque dissipabitur univèrsa in sanis corporibus, ac multò magis in laborantibus. Constat ergo facultatem cibum desiderare ad sui conservationem, ad reparationem scilicet substantiæ resolutæ: Conservatur enim facultas rebus naturalibus conservatis. Et cum naturalis corruptio sit per resolutionem substantiæ, ut Gal. dixit, sic naturalis conservatio per repositionem ejus est, & ad hoc cibus. Ideo 9. Meth. facultatem non indicare immediatè alimentum diximus, sed sui conservationem, hancque fieri mediâ indicatione rerum naturalium: & cum ipsæ partes reparandæ sint necessariò, hinc est quòd facultas alimentum indicet, remedia tamen renuit. Nam ut cap. 43. de opt. secta docet Gal. omnia nocent; sic ait. Siquidem remedia cum imprimis omnia præter naturam sint, necessariò facultatem adhibita vexant. Patet ergo facultatem cibum indicare, auxilia prohibere, contra verò morbum.

Quo posito restat dicendum quomodo sit intelligendum. Nam in primis constat indicari victum à morbo, quando ipse morbus à defectu substantiæ causatur; & ita non solum à facultate indicatur. Antecedens probatur ex Hip. 10. Aph. tex. 22. dicente, morbos quos causat repletio curat inanitio, quos verò causat inanitio repletio curat. Aphor. 17. in quo alimentum esse exhibendum multum & sæpe ratione morbi, cum facultas valida est cum humorum corruptione; sic ait. *Quibus virtus valida est cum humorum corruptione, aut defectu, multum alimenti & multoties adhibere expedit, quia multis indiget affectio.* Ergo ratione ejus alimentum indicatur. Quod etiam attemperandi gratiâ indicari, in eodem comm. docet Gal. sive virtus sit fortis sive secus, in humorum corruptione: ergo non solum à facultate sed etiam à morbo alimentum indicatur. Quod infra in eodem comm. docet per hæc verba. At si vires validæ fuerint cum plethorica dispositione rarè pauca offeremus: nam etsi id quod cibus debet concoquere robustum habeamus; quia tamen dispositio multis non indiget, rationabile est quod pauca

offeramus. Vires verò aliquando alimentum prohibere constat; nam quando facultas debilis est cum humorum corruptione, parum & sæpe est exhibendum, ut in eodem comment. docet Gal. quia facultas non potest totum simul alimentum quo indiget affectio sustinere: sic ait. Si vires laborantis debiles fuerint, & ea quæ in corpore sit dispositio ex humorum corruptione, parum alimenti & sæpius talibus offeremus: parum quidem, quia virium imbecillitas non potest totam multitudinem alimenti sustinere: sæpius autem quoniam multis indiget dispositio defectus, siquidem exigit additionem; corruptio verò contemperationem formæ. Quibus verbis docet alimentum in diverso morbo & repletionem. Et docet similiter facultates prohibere alimentum quod indicatur à morbo est exhibendum, etsi multis indigeat dispositio: quia alitum non valet totam quantitatem requisitam sustinere. Quod patet quia non alia de causa auxilium petitur à morbo, & prohibetur à facultate, nisi quia non potest tolerare facultas damnum, quod ex ipso auxilio resultat. Et similiter alimentum indicatum à facultate prohibetur à morbo, quia ipse augetur aliquo modo ab alimento: sed etiam multo alimento petito à morbo debilitatur. & forsan suffocatur facultas debilis. Ergo ita prohibetur multum alimentum à facultate, sicut & auxilium, ac per consequens non indicatur ab ipsa semper.

Præterea probatur; Nam vires debent indicare victus rationem ad sui conservationem; sed victus ratio quæ inducit ad diminutionem virium, non potest facere ad virium conservationem: Ergo talis victus non potest indicari à facultate; præcipuè cum nullâ virtus possit in diâ conservari. Absurdum enim est rem naturalem quæ suam conservationem petit, id quo destruitur indicare.

Tertiò probatur. Si virtus indicat alimentum ad sui permanentiam quantum fuerit debilior, plus debet indicare ad sui restaurationem, quia quò plus deficit in qualitate naturali, tantò intensius requiritur medicamentum pro ipsa: Ergo quò debilior fuerit facultas, plus alimenti ad ejus restaurationem erit exhibendum. Sed sic est quod minùs alimenti indicatur facultate debili (ut verum docuimus) ergo non indicatur à facultate.

Quartò existente facultate forti cum morbo non est exhibendum multum alimentum, quia major noxa continuatur: Ergo facultate existente debili, si multum alimentum exhibeatur major noxa continuatur: ergo facultas debilis non indicat multum alimentum. Major est certa. Min. probatur: quia noxa quæ sequitur est aggravatio virtutis, humorum multiplicatio & virium quod ex reactione alimenti resultat: sed quando virtus debilis est, hæc accidentia magis urgent, quòd minùs valet agere facultas: Ergo major noxa sequitur ex multo alimento, virtute existente debili, quàm forti, ac per consequens minùs alimentum est exhibendum virtute existente debili.

Communis solutio est, alimentum ut tale à virtute indicari, quia ipsa suam conservationem petit, & alimento conservatur; & sic cum indicet id quo conservatur, alimentum indicat: cum verò alimentum ratione morbi exhibetur,

Quæst. IV. A quo indicatur aliment. &c. 133

non ut alimentum est, sed ut medicamentum exhibetur, & indicatur à morbo. Dum verò morbus alimentum petit, ad sui ablationem ipsum petit: & consequenter ut auxilium, non ut alimentum: quo modo esse intelligenda ea qua in primo argumento posita sunt pro contraria parte. Mer. fol. 50. Instit. Medic. Tamen contra hanc explanationem est manifesta ratio: nam alimentum tale est quod nostram substantiam reparare valet, per sui conversionem: sed alimentum ut tale indicatur à morbo: ergo non solum à viribus. Minor probatur: nam morbus in tantum indicat alimentum in quantum ipsum tollit morbum: sed morbus consistens in defectu partium seu inanitione tollitur ab alimento quatenus convertitur in substantiam aliti, seu reparat quod deficit: ergo alimentum ut alimentum indicatur à morbo.

Nec valet dicere alimentum ut indicatur à morbo esse medicamentum & naturam auxilii habere etsi talem naturam exercent prout convertibile est in substantiam aliti; quia à morbo indicatur ut auxilium ejus seu ad ejus ablationem, secus verò à facultate à qua non ut auxilium, sed ut simile & ut ipso conservetur & maneat indicatur. Hoc non valet nam medicamentum non solum dicitur id quod morbum tollit, sed etiam quidquid ad esse talis facit, quâ ratione ea quæ nostram naturalem temperiem conservant auxilia sunt & similia & non indicantur à morbo: sic ergo alimentum quod propter conservationem virium est, auxilium ejus poterit dici, ut alia quæ pro esse virium faciunt: qua ratione etiam Gal. 9. Meth. cap. 13. Vires conservari docuit, corrigendo quod inanium aut alteratum est: ergo, inquit. Vires unam rem semper indicant, utique sui custodiam. Quibus ergo rationibus servabit? Nempe potissima ratione ex eo quod de substantia inanium vel alteratam est corrigendo: secundo loco ex prohibendis his quæ ipsarum substantiam vacuare alterare possunt. Quibus verbis manifestè docuit Gal. sic conservari vires alimento supplente quod inanium est, aut aliis auxiliis quod alteratum est corrigentibus seu talem alterationem corrigentibus, & consequenter sicut indicat aliud auxilium, à facultate indicatur alimentum.

Præterea quia non indicatur alimentum à morbo ut auxilium, nisi quatenus per ipsum indicatur id quod secundum naturam debet esse; & deficiebat in reparatione seu conversione in substantiam: sed eodem modo indicatur à facultate, cum in tantum pro viribus faciat, in quantum ex conversione in substantia alimenta aliquid vitæ conservant. Ergo eodem modo indicatur ab utroque dixi in substantiam, quia medio spiritu & sanguine. Cum debita mensura partium, cum debito temperamento vires permanent, ut docet 11. Meth. Gal. cap. 1. & 12.

Mihi tamen videtur dicendum, quæstionem aut esse intelligendam de alimento ipso, aut de victus ratione: quod idem est ac dicere, quæstionem esse intelligendam præcisè de illo quod indicat, seu petit alimentum, aut de illo quod indicat seu petit modum utendi specialem alimenti, seu victus rationem. Circa primum adhuc alimentum ipsum dupliciter potest accipi, vel prout habet præcisè esse alimentum, id est; conducere in reparationem deperditi à causis inevi-

tabiliter alterantibus secundum ordinem naturæ, vel ut conducit in reparationem alicujus deperditi à causis evitabiliter alterantibus, seu extra ordinem naturæ. Altero enim modo secundum rationem alimenti habet indicari; id est, prout est convertibile in substantiam aliti: tamen hæc est differentia; quod alimentum prout habet reparare nostram substantiam à defectu proveniente à causis inevitabilibus, non solum formalitatem alimenti exerceret, verum etiam secundum rationem & finem propter quam fuit institutum & in tali casu. Cum verò alimentum prout conducit in reparationem alicujus deperditi à causis evitabilibus exhibetur; & secundum formalitatem alimenti conducit non propter finem & rationem propter quam fuit institutum alimentum. Et sic licet ut habet reparare substantiam concurrat & indicet, non secundum rationem omnem quâ alimentum est indicat, cum non sit propter finem naturalem alimenti; sed ut medicamentum ex hac parte indicatur.

Totum hoc fiet manifestum si attendamus rationes propter quas alimentum exhibetur, nam non alia de causa medicamentum calidum à frigido morbo indicari dicimus, nisi quia in ablationem illius frigidi morbi exhibetur: sed etiam alimentum exhibetur in ablationem defectus violenti, seu in reparationem substantiæ violenter resolutæ exhibetur: ergo indicatur à morbo ut medicamentum secundum rationem convertibilis. Quod constat quoties alimentum, quatenus calidum aut frigidum, aut alterius cujuslibet qualitatis exhibetur; nam tum ut medicamentum exhibetur, quatenus à morbo desideratur talis qualitas: qua ratione febricitantibus omnibus victum humidum competere docet Hippoc. 1. aphor. tex. 6. quia ut ipse inquit, lib. de Alim. in alimento medicina datur: ergo quando in morbum petentem reparationem exhibetur, etsi ut reparare valeat petatur, ut medicamentum indicatur.

His positis dicendum est, alimentum secundum rationem alimenti naturalis solum à facultate indicari, quia solum ipsa habet per acquisitionem partium & spirituum deficientium à causis inevitabilibus, conservari, aut augeri: & cum solum cibus has partes valeat restaurare per conversionem sui in ipsas substantias, hinc est quod vires sui conservationem petentes alimentum indicent. Quâ ratione loquutus fuit Gal. 1. acut. comm. 44. per hæc verba, nempe: *Morbus suæ affectionis indicat auxilia, virtutis vero custodia sola indicat alimoniam.* Quod verò non indicatur secundum hanc rationem à morbo manifestum est, quia secundum omnem rationem morbo non opponitur, & morbus sui contrarium indicat, & quia potius morbi causam pluries auget: Alimentum verò prout rationem medicamenti habet, id est sive prout calidum aut frigidum, sive prout reparare habet quod à causis violenter agentibus deficit, à morbo indicatur, quia tunc in ablationem morbi & ut auxilium indicatur. Quâ ratione etiam loquutus fuit 1. aphor. tex. 17. dum ait multum alimenti & pluries esse exhibendum cum facultas est fortis cum humorum corruptione, aut defectu quia multis indiget affectu.

Sed dices nostram solutionem coincidere cum communi dicente alimentum indicari à morbo

ut medicamentum, contra quam agebamus, & diximus præcisè ut alimentum ac eo modo ac indicatur à facultate indicari à morbo, cum ab illa indicetur ut habet converti in substantiæ reparationem, & ut tollit id quo virtus debilis erat, & eodem modo indicatur à morbo, ac per consequens verè non esse solutam difficultatem. Resp. diversum quid dici à nobis quàm antea dicebatur, quia dicimus alimentum indicari à facultate non solum ut habet reparare substantiam sed ut habet reparare quod à causis naturalibus & inevitabiliter alterantibus deficit, quo modo non indicatur à morbo, etsi indicetur ut convertibile in substantiam aliti, & sic non secundum omnem rationem alimenti, sed secundum rationem medicamenti; quia propter morbum est & propter causam omninò violentam: Alimentum verò non solum quia habet formalitatem reparandi à facultate, sed reparandi quod naturaliter & necessario resoluitur, & deficit.

Hoc intelligitur faciliùs si attendamus quod 9. meth. cap. 5. ex Gal. docuimus: diximus enim alimentum indicari à facultate mediatè; quia immediatè indicat sui custodiam, & cum hæc consequatur servatis his quæ ad conservationem facultatis faciunt, quæ sunt spiritus & partes ut docuit Gal. 11. meth. c. 1. & 12. meth. cap. 5. pro commutatione alimenti, in alitum secundum omnem rationem tale à facultate mediatè indicatur, à substantiis verò illo indigentibus immediatè: è contra verò alimentum quod ratione morbi indicatur, immediatè à morbo indicatur; quia morbus propter quem exhibetur alimentum, immediatè remedium indicat contrarium, & sic cum morbus sit partium defectus præter naturam, aut corruptio attemperationem aut positionem indicat immediatè, alimentum restaurans seu attemperans.

Sed dices: si alimentum non indicatur immediatè à facultate, sed ratione rerum conducibilem ad esse facultatis, sequitur quòd æqualiter indicet alimentum & auxilia facultas, ac per consequens quòd sicut indicat vitaliter quia indicat ad sui conservationem alimentum, æqualiter etiam dicitur indicare curatorie, quia indicat remedia; quod est contra rationem Medicorum, doctrinam sequentium Gal. 9. meth. cap. 3. in quo expressè docet non indicari vires curatorie sed vitaliter, sic ait. Nec ut valeamus, nec ut à morbis liberemur, ab ea primum quidquam desumimus, sed ut vivamus. Patet sequela, nam alimentum indicat quia ad conservationem partium facit, id est quia vires naturales indicant alimentum quo adquirant & maneant; sed etiam aliqua res naturales ex quarum conservatione pendet facultas indicant medicamenta seu auxilia ex se & immediatè: ergo æqualiter alimentum & medicamentum indicat. Minor patet: Nam non minus requiritur debita temperies, quàm spirituum & partium mensura, ut videri potest 11. meth. cap. 1. Sed ad debitam temperiem requiritur medicamentum: ergo æqualiter indicat utrumque facultas. Quà ratione 9. meth. c. 13. docuit vires servari corrigendo quod inanitum, aut alteratum est, ac per consequens ad adhibitionem remedii faciet virtus & curatorie indicabitur.

Resp. vires non indicari curatorie, quia ex se non determinant remedium, nec ad inventionem eius conducunt, est enim curatorie indicare,

ad inventionem remedij facere, virtus tamen sui custodiam indicat, remedium verò ab illo quod requiritur ad esse virtutis, indicatur; nam ratione eius, hoc aut illud exhibetur. Ergo virtus nec determinat ex se remedium, nec ad inventionem eius facit; etsi ipsum permittat aut secus, ac per consequens nec curatorie indicat, morbus verò & natura (per quæ, ea quæ naturalia & præter naturam sunt intelligimus) immediatè indicant simile, aut contrarium, & sic Curatorie indicant. Alimentum verò ut medicamentum à morbo indicatur; secundum completam rationem alimenti à partibus immediatè, prout eo comprehenditur spirituosæ, solida & carnosa pars à quibus virtus ex Gal. dependet. Dicimus tamen indicari à virtutibus specialiter, quia præcipuum fundamentum virium est ipsum alimentum, quò dictæ partes acquirunt temperamentum, non ita principale, cum non nisi per magnam intemperiem vires immutentur, & sic quando auxilia indicant per temperiem, potius morbum indicare constat quàm vires. hoc docuit Gal. c. 13. cit. per hæc verba. *Virtus ergo omnium prima est custodienda; servabitur si nec eius substantia inaniatur, nec tantà alteratione alteretur, ut ea corruptioni sit propinqua.* Quibus verbis manifestè docet non quamlibet intemperiem ad virtutis destructionem facere, maximè tamen inanitionem quamlibet: cum dicat servari virtutem si non inaniatur, nec taliter alteretur; ut substantia sit corruptioni propinqua: ut constet specialiter posse dici alimentum, etsi immediatè indicetur à virtute, quia ex conservatione partium pendet: non verò medicamenta; quia ea per quæ medicamenta sunt necessaria etsi ad vires faciant, non ita ut spiritus & sanguis, cum solum quando intensa sit alteratio viribus noceat, & tunc magis morbum indicare dicimus quam vires, quia tanta intemperies pro ipsa operari facit, omni aliâ ratione seclusâ, quod non tollit per accidens pro viribus facere. Ita ut auxilia omnia quæ pro morbo sunt, per accidens pro viribus faciant, quatenus vires servant, ablatis his quæ præter naturam sunt; sicut servatis viribus alimento, etiam alimētum pro morbo facere docuit Gal. saltem per accidens. Sic ait, cap. 13. Additum est illud primum, quia ex accedenti aliquando virtutis roboratio ad affectus curationem conducit.

Ex dictis etiam constabit vires ab alimento servari, quatenus servatur id à quo vires specialiter dependent, spiritus scilicet & partes, sicut enim ex alimento spiritus Et sanguis, sic ex sanguine partes, quibus vires conservari docuit Gal. 11. meth. c. 1. non ergo dubitari potest alimentum vires conservare, per conversionem seu immutationem sui in dictas substantias, ut inde etiam constet omnes facultates debere intelligi cum dicimus alimentum à facultate indicari propter sui conservationem: quia de omnibus verificatur à sanguine & spiritu pendere modo dicto, & consequenter omnes alimento indigere: etsi in ordine ad commutationem faciendam, & ad exhibitionem alimenti, seu ad modum cibandi: specialiter facultatis naturalis sit attendendum robur, aut debilitas.

Secundò dicendum est, quod si per alimentum sit intelligenda victus ratio seu modus utendi alimento, sive tanquam medicamentum accipitur, sive secundum rationem omnem alimēti,

ab uno indicatur cum ordine ad alterum. Quod est dicere quoad modum utendi indicari alimenta ut medicamentum à morbo cum ordine, seu respectu ad vires: Alimentum verò ut tale omnino à viribus indicatur cum ordine seu respectu ad morbum. Hanc conclusionem docuit Hip. 2. acut. text. 36. per hæc verba. *Conjicere autem oportet & robur, & morbi cuiusque modum, hominis item naturam, adhuc ægotantis in victu consuetudinem, non solum in cibo, verum etiam in potionibus.* Est ergo victus ratio instituenda talis, sive ut alimentum præcisè exhibeatur ut medicamentum, ratione indicantis cum ordine ad alterum prohibens, hoc est virium cum ordine ad morbum: vel ratione morbi cum ordine ad vires: quo fundamento loquutus fuit 1. Aphor. dum conjectare monet an æger sufficiat perdurare cum victu, usque ad statum, qua ratione tantum esse hanc doctrinam sustinendam voluit in Comm. Gal. & 9. meth. cap. 7. dicens; Aliquam morbi indicationem posthabendam esse respectu virium cum ipsæ extremè debiles sunt: Aliquando indicationem virium respectu morbi, quando ipsæ valent & morbus urget: Aliquando nullam, quando utriusque datur æqualis urgentia. Quem sequitur Avic. fen. 4. lib. 1. cap. 1. Mercat. & communiter Medici.

Huius conclusionis ratio manifesta est & desumitur ex doctrina ipsius Hip. & Avic. nam alimentum ut habet conservare vires, habet etiam morbum augere quod docuit Hip. 2. aphor. text. 1. dum dixit. Non pura corpora quanto magis nutrities eò magis lædes. & 7. Aphor. text. 61. dum dixit. Cibus ut sano robur sit laboranti morbus: quod in contextu docuit Gal. & 2. acut. contextu 44. & contextu 46. aliàs inquit Gal. Si igitur affectionem nullatenus offenderet alimonia nos virtuti attendentes ægros sicut sanos aleremus, sed quoniam noxa, ita ut ob id morbi affectionem, tanquam cibi prohibitionem contemplantur. Quod quidem Avicen. fen. 4. lib. c. 1. docuit. Habet ergo alimentum morbum augere, etiam si vires roborat, sed victus ratio debet esse talis ut quàm minimum lædat, & pro viribus valeat, ut dictis in locis ostendit Gal. Ergo victus ratio debet sumi ab indicante cum ordine seu attentione ad prohibens.

Uterius victus ratio datur, ut alimento vires conserventur seu valeant usque ad statum, id est ut possit vivens perdurare, donec morbus consistat, ut docuit Hip. 1. aphor. text. 9. sed non est æqualis distantia à principio usque ad statum in quodlibet morbo; ergo diversa victus ratio est instituenda in uno ac in alio, etiam si vires eiusdem naturæ sint in utroque casu: ac per consequens etiam si alimentum propter vires exhibeatur, morbi natura attendenda est ad debilitatem eius administrationem, cum ratione morbi plus aut minus est exhibendum. Idèò victum tenuem in morbis longis vituperat semper Hipp. non verò in omnibus acutis, ut constat 1. aphor. text. 4. Quod etiam videtur si alia verba textus respiciamus dicentia, victum tenuem esse periculosum in longis morbis, & in acutis in quibus non convenit. Per quæ ostendit aliquos esse acutos morbos in quibus non convenit victus tenuis exquisitè: sed cum hoc non possit intelligi ratione distantie seu durationis, sed ratione aliquorum accidentium propter quæ victus ad reparationem virium sic necessarius, manifestum

est non solum esse attendendum ad vires alimentum petentes & ad speciem morbi ratione cuius sit exhibendum magis aut minus, sed etiam ad morem ratione cuius victus ratio est instituenda: propter quod 2. acut. text. 36. inquit Hipp. *Conjicere autem oportet robur, & morbi speciem.* Legit Ioan. Bassæus. *Et robur & morbi modum:* quasi diceret, victus rationem esse instituendam ratione virium non solum attendendo ad morbum sed ad modum eius. Est enim omnibus notum, non solum ratione naturæ ipsius morbi victus rationem immutari, hoc est ratione acutiei, aut longitudinis, sed etiam ratione modi eius, ut si acciditibus aliquibus comitatur vires valdè resolventibus, aut secus. Quæ ratione Gall. 10. meth. cap. 13. febricitanti cum humore acri & mordaci alimentum exhibere jubet, propter resolutionem quæ arali causatur humore.

Quod dictum est de alimento seu modo exhibendi ipsum, ratione morbi etiam si indicetur à viribus, est intelligendum de alimento per modum medicamenti exhibito ratione virium, & à morbo indicato. Nam cum alimentum in tantum habeat utilitatem præstare, in quantum convertitur in substantiam aliti: etiam virtus est attendenda quando à morbo indicatur, quatenus ab ipsa debet alterari & converti, & sic virtus est respicienda: Aliàs alimento pro morbo exhibito, nec morbus auxilium recipiet, nec vires restaurationem, sed potius suffocabuntur. Idèò Gal. 1. aphor. Comm. docens qualis debeat esse victus virtute existente debili, cum humorum corruptione sic ait: Parum & sæpe esse exhibendum: Parum quia virium imbecillitas non potest totam cibi multitudinem sustinere, At sæpe, quoniam multis indiget affectio. Docuit ergo alimentum exhibendum esse si à morbo indicetur cum ordine ad facultatem. Quæ ratio etiam in eodem comment. multum & sæpe esse exhibendum docet, cum vires valent & humorum est corruptio.

Ex hoc deduces, quòd si alimentum, quod ex propria natura pro virium conservatione facit, dum ratione morbi exhibetur, exhibetur cum ordine & respectu ad facultatem; non minus facultatem ipsam esse respiciendam ad exhibitionem cuiuslibet medicamenti pro morbo conducentis, cum magis contra naturam sit & ipsam habeat labefactare, ut docuit Gal. cap. 14. de opt. secta. Idèò 9. meth. cap. 7. talem esse indicationem virium docuit, ut pluries pro ipsis operandum sit morbo posthabito; & consequenter cap. 13. virium primam indicationem appellat, quatenus sine ipsa nulla potest moliri curatio. Quod non est intelligendum ita esse respiciendas vires, ut pro ipsis sit operandum non attendendo ad morbum, sed tali modo ut si morbum respiciamus, primò vires conservare studeamus quales requiruntur, etsi morbus contrarium perat. Nam si in tali casu omnino posthaberetur morbus, & ad ipsum non attenderemus, forsan majus sequeretur incommodum, ex augmento ipsius quàm ex reparatione virium. Idèò in morbis non est utendum victu pleno, ut 10. aphor. comm. 4. docuit Gal. ac per consequens sæpe attendendum ad morbum, ut non ita operemur pro virtute, quod maxime morbus augeatur, & si convenit operari pro virtute indicatione morbi posthabita, id est non operando pro morbo: maxime tamen cum attentione ad ipsum.

Pro quaestione solutione, & ut veritas magis innotescat, explicandus difficilis Gal. locus ad argumentorum solutionem. Pro primò enim constat alimentum ut medicamentum indicari quando à morbo indicatur; cum exhibetur aut propter qualitates quas habet, contrarias ipsi morbo, aut quatenus replere potest quod deficit præter naturam, alimentum verò omnino tale est quod solum propter reparationem resoluti à causis non naturalibus exhibetur, & hoc modo nullatenus indicatur à morbo, sed solum à partibus naturalibus, mediàtè tamen à viribus, quatenus ipsæ principaliter alimento conservantur, remotè magis seu minus principaliter ab auxiliis.

Sed dices si alimentum potius habet augere morbum, quàm ratione ab ipso prohiberi ostensum est, cum Gal. 1. acut. comm. 44. quomodo ipsum alimentum indicari à morbo dixit. 1. apher. comm. 7. Ratio difficultatis est nota: nam cibus sano est robur, laboranti morbus, & corpora impura magis excrementis replentur, & ipsis augetur causa, & etiam à coctione natura distrahitur, & facultas repatitur, & propter plura alia, quæ ab Authoribus ut nota habentur. Quomodo ergo cibus à morbo peti potest? præcipuè cum dubitatio non sit de ipso, prout habet alterare ratione primarum aut secundarum qualitatum: Nam hoc modo jam non ut alimentum haberetur, cum non indicaretur ut convertibile.

Communis solutio est, peti & indicari ut medicamentum, & ut convertibile indicetur à morbis ab inanitione pendentibus; & sic indicari & peti in casibus à Gal. dictis & non alio modo. Sic ait comm. 17. cit. si facultas debilis fuerit cum humorum corruptione, vel defectu, parum & sæpe esse cibandum parum quia non sustinet facultas, sæpe quia multis indiget affectio. Defectus siquidem exigit additionem, & infra dum multum & sæpe exhiberi expedit, sic ait, si verò cum humorum defectu aut corruptione vires validæ fuerint &c. Et rursus, cum parum at rarò esse exhibendum docet, sic ait, si verò cum virium debilitate nec defectus aliquis fuerit nec corruptio, nec &c. Quibus verbis manifestè constat cibum indicari à morbo. Quando defectus est, id est ratione inanitionis de quo non poterat esse dubitatio. Cum verò aliis in locis cibum esse prohibendum docent authores, est quando morbi materiales sunt, quia & causa morbi augetur & distrahitur natura, & verificatur corpora alimento lædi, ipsumque esse morbum respectu ægrorantis.

Hæc tamen solutio nulla est, nam licet negari non possit alimentum ut medicamentum indicari à morbo, ex inanitione pendente. Gal. non solum hæc ratione alimentum indicari à morbo dixit: nam loco citato dum ratione affectus alimentum esse exhibendum docet: sic ait. Si corporis dispositio sit ex humorum corruptione aut defectu. Ergo non solum ratione defectus, sed etiam ratione corruptionis humorum indicatur alimentum à morbo. Idem reperit ter in ipso comm. 17. sic ait: Sæpe autem quia multis indiget affectio. Defectus siquidem exigit additionem, corruptio verò contemperamentum; quasi diceret, indiget multis affectio, quia ratione defectus additio est necessaria & ratione corruptionis attemperatio, totum quod alimentis fieri docet. Ergo non so-

lum ratione defectus sed ratione corruptionis alimentum indicatur à morbo ex doctrina Gal. quod explicant communiter Interpretes super apher. 17. & quod ex alia parte corpora à cibis prohibenda esse

Alii verò aliter difficultatem solvere conantur, inter quos Salmanticensis primarius, inquit, loqui Gal. de humoribus semiputridis attemperacione reducendis, propter quod sic scripsit Gal. multis indiget affectio, quia defectus exigit additionem, corruptio attemperacionem, quasi diceret esse alimentum ad temperandum. Quod non potest intelligi de corruptione perfecta cum hæc non esset per attemperacionem corrigenda, sed per humoris evacuationem, seu coctionem; ergo cum docet corruptionem alimentis attemperari, de corruptione correctionis capaci agit, non de corruptione perfecta. Egit quidem de hac corruptione Gal. 2. Apher. comm. 17. exemplo vini acidi seu ad aciditatem tendentis, illud reduci inquit, hoc minimè. Cum verò corpora lædi alimentis docet, de corpore loquitur habente humores verè & perfectè corruptos, qui cum non possint corrigi, potius alimentis augeantur, cum alimenta in naturam humoris peccantis transeant; ut in comment. docuit Galenus.

At hæc solutio invalida est, nam Gal. nihil de activitate alimentorum medicamentosa agit, nec alicujus alterius. Potius ut ipse repetit, postquam egit de debita quantitate, & qualitate cibi, de eius reiteratione agit Hipp. & in ordine ad hoc inquit Gal. pluries aut rarò esse exhibendum, in multa aut in pauca quantitate, ratione hujus aut alterius. Non ergo agit de modo corrigendi putredinem alimentorum. Nam si hoc intenderet, diceret quibus qualitatibus alimentorum attemperatio esset facienda. Sed nec de alimentis, nec de medicamentis verbum protulit, & inquit de modo exhibendi cibos, ergo non de curatione facienda per ipsos, & sic solum indicantia adducit, propter quæ plus aut minus est exhibendum, quidquid sit de qualitatibus correctivis.

Præterea: nam absolute inquit, quando humores sunt corrupti, pluribus indiget affectio, ergo non solum debet intelligi quando semiputridi sunt, sed quomodocumque corrupti, quod roboratur fortius, nam quando semiputridi sunt, non indiget multis affectio. Ergo non est intelligendum de humoribus semiputridis. Antecedens patet, quia quando semiputridi sunt non sunt incapaces conversionis in vivens, cum solum propter perfectam corruptionem tales reddantur, & semiputridi possint reduci medicamentis non gravantibus, habent enim alimenta etsi attemperant gravare: quia multum nutriens conjungitur cum humoribus reductis valentibus alere. Ergo erunt superflua alimenta attemperantia. Docet Gal. in eodem loco parum & rarò esse exhibendum, quando humores inculpati abundant, quia est alimentum quo partes nutriantur, sed idem erit humoribus corruptis & attemperatis, ergo non conveniet multum cibi: ac per consequens si multis eger affectio, sunt humores verè corrupti, propter quorum defectum alimentum est necessarium.

Ulterius nam etsi humores verè corrupti sunt, necessitas est plurimi alimenti, ergo non est intelligendus Gal. de humoribus semiputridis: Antec. patet nam alimentum est necessarium,

Quæst. IV. A quo indicatur aliment. &c. 137

rium, & ut restauretur quod deficit, & ut modo possibili putridum corrigatur; sed hæc necessitas existit adhuc major, cum humores verè putridi sunt, quia est necessitas reparandi illud corruptum, quod non potest corrigi: quæ necessitas non invenitur in semiputridis, quia possunt corrigi humores, & etiam alimentorum mixtione aliquantulum qualitates ex corruptione humorum corriguntur; nam saltem vapores seu fuligines acres attemperantur, & obtunduntur ut contingit in picrocolis; Ergo etiam si humores verè putridi sint, multis indiget affectio. Qua ratione in febribus malignis & pestilentibus servari magis qui audacius cibum assument, docet Gal. 3. epid. sect. 3. comm. 38. & Avic. fen. 1. lib. 4. Tract. 4. cap. 4.

Dixit enim Gal. defectum petere cibi additionem, corruptionem verò attemperacionem, non quia ratione attemperacionis tantum erat exhibendum alimentum humoribus corruptis; contrarium enim ostensum est, aut tunc sit in rigore defectus: sed quia aliquo modo corrigitur seu obtunditur vaporum corruptorum vis, & acrimonia per alimenta, ideo inquit additionem esse propter defectum, & attemperacionem propter corruptionem. Quasi diceret multis indiget affectio dum humores sunt corrupti: & propter defectum & propter attemperacionem, includit enim corruptio humorum quoad ipsorum finem necessitatem attemperacionis & ipsorum defectum.

Ant. Mulla hanc dubitationem proponit, 2. sect. aphor. com. 1. eam tamen non solvit etsi jam velit intelligi Gal. de alimentis à qualitatibus attemperantibus, jam de alimentis permixtionem corrigentibus seu impediens. Et cum ipse Gal. com. 1. dicat alimentum corrumpi & mutari in humores corruptos, dicit Ant. Mulla intelligendum de alimentis qui non possunt in humores corruptos mutari. At cum alimentum ex se convertibile sit, & quod est convertibile possit in pravam naturam disponi, non solvit adhuc, cur multum cibi petat corruptio, dicente Hipp. corpora multo &c.

Nobis tamen videtur rectè Gal. docere cum humorum defectu aut corruptione multis indigere affectioem, & multa esse habenda alimenta, aut scilicet si facultas robusta sit aut pro reparatione si debilis: & ratio est manifesta nam alimentum est necessarium, in reparationem partium seu substantiarum naturalium: sed quando affectio pendet ex defectu aut corruptione humorum est defectus substantiarum naturalium reparandus per alimenta; ergo multis indiget affectio, & hoc magis quando verè corrupti sunt. Quod non contrariatur Hipp. dicenti corpora alimento lædi, & morbum augeri; nam aliud est quod indicet affectio, & quod sit faciendum propter ipsam, aliud verò sequatur alimento exhibito. Non potest negari ab affectioem alimentum indicari & ipso causam morbi augeri. At major est utilitas quæ sequitur ex reparatione illius quod deficit, & virium, quia non erat substantia apta ad virium reparationem, quam damnum quod ex aliquo augmento causæ subsequitur, ideo alimentum exhibetur. Circa quod est attendenda virium vel morbi major urgentia, ut propter illam operemur, ut 9. meth. cap 7. docuit Gal. & dicemus.

Henriquez *Laurea Medica* Tom. III.

Sed dices Hipp. absolute dixisse corpora lædi alimento, ita ut sit major læsio quo major sit alimenti quantitas; Cum dicat. Quantò magis nutris tantò magis lædis. Ergo non potest dici esse majorem utilitatem quam damnum. Nam si ita esset non diceret absolute lædi magis corpora impura, quò magis nutriantur, cum aliquando non læderentur; siquidem major fuerit aliquando utilitas, ut in casibus à Gal. adductis. Resp. Hipp. non dixisse corpora lædi per alimenta absolute, potest enim corpus etsi impurum alimento aliquantulum refici, etsi aliquid ejus corrumpatur & poterit mordacitas corporum evitari seu attemperari ab alimento assumpto, quæ major utilitas sit, quam assumpto aliquo causari. . . . impura magis nutrias quam debeas tanto magis lædes, quantum id non est propter aliquem finem necessarium, & propter augmentum causæ. Quem modum dicendi sequutus fuit Iacob. de Forlivio. in comm. & Vgo Senens. & sic quando alimentum exhibetur multum in corruptione humoris, non est plus quam debetur, & consequenter nec læditur, corpus impurum indicat humorum defectus seu per corruptionem, seu per veram ablationem alimenti ad sui conservationem. Quod docet Avic. Fen. 3. lib. 1. doct. 2. cap. 7. Dicens corpus malos habens humores rem bonam largiter commendat.

Hujus doctrinæ fundamentum dedit Hipp. 2. aphor. text. 8. Gal. in comm. inquit enim si à morbis cibum assumens quis non corroboratur pluri alimento uti significatur. Quibus verbis significat læsionem venire per multitudinem alimenti, majorem quam expedit. Cujus rationem reddens ipse deinceps inquit. Non pura enim corpora quantò magis nutrias &c. Quasi diceret si non corroboratur qui à morbo cibum assumit, multo cibo utitur aut corpus evacuatione indiget. Et ratio est quia corpora impura quò magis nutriantur læduntur magis; id est nutritione majore quam requiritur læduntur. Est tamen intelligendum per nutritionem majorem alimentum in majore quantitate quam requiratur. Hoc docuit Gal. in comm. dicens. Dico legendas esse prædictas sententias rectè. Ergo afferit multum alimenti esse exhibendum ratione morbi, dum humores corrupti sunt, quia multis indiget affectio magna, corpora non læduntur magis quando non nutriuntur magis quam expedit; propter quòd, ut dicemus, victum plenum neutiquam convenire ægrotantibus docuit Galenus 1. aphor. comm. 4. ne causa morbi augetur, esset enim plus quam requiritur.

Dices ulterius cum Vega super Aphor. 17. ex mente Hipp. & Gal. quando morbus peracutus est, tenuissimo victu statim utendum est; sed in tali morbo non possunt non esse humores corrupti: Ergo non exhibendum multum & sæpè quando facultas fortis est cum humorum corruptione sed parum & rarò. Quod patet nam cibus est ut possit perdurare æger usque ad statum: sed quando facultas fortis est melius potest perdurare usque ad statum: Ergo parum est cibandum. Præcipue cum humorum corruptio coctionem seu correctionem exposcat, faciendam à natura: ad quam utilis erit victus attenuatio, ne natura à coctione distrahatur: Ergo parum & rarò est cibandum.

Si aliquis dicat in sanis facultate robusta existente, non esse cibandum victum tenuem ne corrumpatur, & sic nec in ægrotantibus cum facultate robusta cibus est attenuandus. Respondet Vega esse disparem rationem, quia cum in ægrotantibus facultas sit occupata circa coctionem humorum putridorum, cibus tenuis sufficit: in sanis verò cum solùm circa alimenta operetur facultas, nihil mirum quod ea corrumpatur quando tenuia sunt. Ex quo concludit contra Gal. facultate existente robusta cum humorum corruptione parum & rarò esse cibandum.

Respondetur tamen in morbis acutis tenuiter esse cibandum, quia talis victus sufficit ut facultas duret usque ad statum, in quo casu attendendum est ad morbum ratione cujus dum facultas sufficit non est exhibendum, at ipsa facultas perit ne morbus tum augeatur à quo imminet periculum. Cum quo conjungitur quòd in morbis acutis non est necessum humorum reperiri corruptionem, ut multum petat facultas & affectio, imò ut in plurimum contrarium. Et quamvis reperiatur humorum corruptio urget magis morbi acuti indicatio. Cum verò Gal. multum & sæpe cibare monet, est quando sine indicatione morbi evenit facultas fortis & humorum corruptio ut in pluribus intemperatis, aut malo corporis habitu affectis in quibus aut morbus longus, aut ipsius non datur urgentia, & facultas efficacius indicat: quo casu potiùs cibo roboratur ut contra corruptos humores agat, quamvis distrahitur facultas: quia aliàs cum non reparatur, ex humoribus corruptis ineptior ad coquendum manet. Propter quod Avic. hac doctrina utitur fen. 3. lib. 3. cit. dum largiter comedere consulit dum humores sunt corrupti.

Advertendum tamen est quod quando facultatem debilem aut fortem dicimus, quatuor conducere ad hanc, aut illam victus rationem. Principaliter est attendendum ad facultatem naturalem coquentem ventriculi, siquidem ipsa est quæ principaliter in alimento exhibito operatur & quæ magis patitur ab eo; quia tunc alimentam dissimile magis & minus correctum est, & sic specialiter pro quantitate cibi facit: etsi etiam indicatione aliarum facultatum operemur, quia una debili existente alias fortes esse difficile est: juxta illud Hipp. lib. de alim. Consensus unus, conspiratio una, &c. Quod docuit etiam 1. Aphor. text. 15. dum ratione roboris majoris ventriculi hyeme & vere cibos esse augendos scripsit, nullo aliarum facultatum adhibito respectu.

Reliqua argumenta commodam habent solutionem quæstione sequenti: interim dicimus ad secundum, victus rationem, cum includit specialem modum utendi alimentis non indicari à facultate præcisè, sed ab illa & morbo: dicimus enim à facultate cum ordine, aut respectu ad morbum alimentum exhiberi; & sic ex utroque resultat taliter esse exhibendum, id est tali forma seu tali specie. Inde nascitur sub tali forma aut specie non indicari à facultate præcisè, sed ab ipsa cum respectu ad morbum.


Ad Tertium dicimus facultatem debilem plus alimenti indicare, quam fortem, etsi per accidens, id est, in ordine ad consuetudinem parum exhibeatur; quia non potest simul multitudinem requisitam aliter sustinere facultas: exhibetur tamen sæpe, ut repetitione quod requiritur suppleatur, ex eodem Gal. Sic ait 2. acut. com.

ment. 36. nam imbecillitas sæpiùs quidem sed paulatim cibandum indicat, dicit enim debilis facultas defectum alicujus requisiti ad ipsam, petentis per alimentum restaurationem.

Sed dices Gal. comm. 17. citato docet quando facultas est debilis cum debita humorum proportionem, parum & rarò esse exhibendum alimentum: Ergo ratione facultatis debilis, non est exhibendum multum, adhuc per repetitionem: potest enim aliunde quàm per defectum partium potentium alimentum facultas debilitari, per intemperiem scilicet. Resp. facultatem debilem semper multum indicare, non tamen exhiberi, quando humores probi sunt, ipsis enim habet reparare quod deficit, sic parum alimenti sufficit.

Dices iterum etsi verum sit, posse conjungi facultatem debilem cum optima proportionem humorum, sine corruptione; ratione morbi maligni, seu intemperie difficiliùs, quomodo cum humorum corruptione aut defectu fortem concedat facultatem Galen. Respondetur Gal. facere omnes combinationes quæ possunt excogitari cultatis & humorum. Quidquid sit de earum possibilitate, ut constet quomodo semper alimentum exhibendum sit. Præterquam quòd quando dicitur adesse facultatem fortem, non est intelligendum esse fortem absolutè sed esse talem in ordine ad alimentum petitum à morbo.

Quartum argumentum solutum est jam; ad Quintum dicimus quod si multum alimentum simul exhibeatur facultate existente debili, quamvis à morbo indicetur esse major noxa, non tamen si multum exhibeatur ratione repetitionis, quia tunc cum facultate proportionatur. Dum verò facultas fortis est, non exhibetur multum, si morbus ipsum prohibeat, quia ipsa sufficit permanere in intensione requisita, usque ad morbi terminationem. Si verò non sufficeret multum exhiberetur, scilicet, quod non est plus quàm expediret, id est non esset utilitas superflua. Et sic propter ipsam est operandum, etsi aliqua noxa sequatur, secus tamen cum talis utilitatis non adest necessitas.



QVÆSTIO V.

A quo ultimò determinetur victus forma.

DICTUM est alimentum omnino tale, id est ut habet reparare nostram substantiam, à causis naturalibus resolutam, indicari à facultate, impediri verò à morbo: Alimentum autem prout habet reparare nostram substantiam à causis violenter agētibus resolutam indicari à morbo & aliquando à facultate, quando ipsa scilicet non sufficit pro quantitate indicata, hoc est seclusa ratione medicinali, secundum quam cum omnibus aliis medicamentis convenit. Solùm ergo dictum est de alimento prout indicat, secundum quod est convertibile in substantiã aliti, hoc est prout habet nostram substantiam reparare, sive à defectu naturali, sive à violento, & sic victus rationem seu formam ab his duobus desumi, juxta illud Hip. 2. acut. Conjicere autem oportet & robur & morbi speciem. Restat igitur pendere à quo ultimò victus forma determinetur. Quod

Quod est querere integrum principium determinativum variationis formæ victus in morbis reperte.

Circa hoc repetendum est victus formam variari ratione diversitatis morborum & roboris ut dictum est. Quod fecit manifestum Gal. comm. 36. cit. 2. acut. & 1. aphor. comm. 4. dicens. Victus formam non solum mutari ratione diversi status, ita ut plenus sit victus pro salute, mediocris pro chronicis, tenuis pro acutis; verum etiam pro diversitate morborum in acutie, aut longitudine & temporibus ejus, & pro facultatis robore & debilitate; sic ait. 2. acut. Nempe ut virtutis tum robore in tum debilitate, magis & minus valde discrepant, sic morbi quoque discrimina, differentiasque conjicere oportet, &c. debet ergo omnes virtutis & morborum mutationes considerari, ut juxta ipsas immutatio victus fiat.

Secundo advertendum est immutationem victus etiam multoties fieri aliquantulum, ratione consuetudinis & temperamenti aegrotantis, ut text. 36. cit. docuit Hipp. dicens. Conjicere oportet & robur & morbi speciem, hominis naturam & consuetudinem, quia ratione ejus plus aut minus exquisitum esse victum compertum est. Quod etiam 1. Aphor. text. 17. docuit dicens, Condonandum esse aliquid tempori, ætati, consuetudini, cum hoc novum sit in quolibet statu, ita ut parum sit pro illo qui paucis esse assuetus, multum pro illo qui multis: ut expresse etiam 1. acut. text. 22. difficultas solum stat de indicatione sumpta à morbo, aut viribus, aut differentiis ejus, ut notum sit quomodo medicus debeat procedere, circa debitam victus rationem seu administrationem.

Nobis dicendum est finem cibi ut cibus est, solum esse reparationem substantiæ. Qua ratione 2. de alim. fac. cap. 1. per hoc alimentum definiat Gal. ut sit virtutis reparatio, per reparationem partium alimento proportionato, pro parte deficientes; solidum pro solida, medium pro media, & tenue pro tenui, seu spirituoso, sive quia partes spirituosæ dentur, sive spiritus ipsi sint intelligendi, cum ad esse facultatis ita requirantur, ac si verè partes essent, ut videre est 11. meth. cap. 3. sic ait Gal. quoniam virium substantia tum ex spiritu tum ex carnosa specie, tum solidum ipsum completum ex his quæ similia sint moliri cuique suam custodiam convenit. Quibus verbis & sequentibus quod dictum est manifestum fecit, juxta illud Hipp. principium alimenti os, guttur, &c. Ex quo patebit famem sedare, non esse finem cibi; sed medium quod consequitur ad finem alimenti. Est ratio nota: nam fames medium est ad reparationem propter quam sumitur alimentum. Ergo sedatio famis est sedatio medij requisiti ad finem, ac per consequens erit id quod sequitur ad finem ultimum in intentione, etsi in executione prius fames tollatur, quam reparatio fiat. Quod est intelligendum de cibo ut verum alimentum. Dum verò cibus ut medicamentum assumitur ad sedandam famem caninam, non ut cibus, neque ut commutabilis sumitur, non enim sedatur talis fames per conversionem in substantiam, sed per corporaturam tollentem corrugationem violentam in fame canina repertam, & sic ut medicamentum exhibetur, non secundum cibi formalem rationem, etsi cibus eam propulsare debeamus; quia minus noxium erit cibus præbere

quam alia mixta in tanta mole quæ sufficiat ad auferendam corrugationem illam.

His suppositis videtur dicendum, cum alimentum ratione virium exhibeatur cum respectu ad motum, quod quo virtus magis patiatur (& contra & consequenter cum magis patiatur per morbos) seu passura est, plus alimenti sit exhibendum quam è contra, & consequenter cum magis patiatur per morbos quam per salutem, plus alimenti indicabit in statu morbofo quam erit exhibendum & in morbis ipsis prout magis patiatur, magis erit exhibendum: & consequenter cum in acutis morbis fere sæper accidentia sint fortiora & molesta magis, quam in longis morbis, plus alimenti in acutis est exhibendum. Ostendit antecedens & experientia & ratio. Constat quidem fortiora & molesta magis esse morbi acuti accidentia, quam longi, magisque affici facultatem, ut etiam ratio demonstrat: nam aliàs non deficeret brevius in morbo acuto vivens; deficit quidem quia accidentia ejus deteriora sunt, ratione cujus plus valent debilitare facultatem quam morbi longi accidentia. Ergo plus est cibandum in morbo acuto quam in longo. Hujus doctrinæ fundamentum invenimus, si respiciamus Gal. dicentem 11. meth. cap. 1. & 3. & 1. de san. tuenda. Alimentum esse ut facultas conservetur. Sic Hipp. 10. Aphor. victus rationem in ordinem ad reparationem facultatis scripsit: ergo quando ipsa magis est alteranda plus cibi est exhibendum. Ideo text. 4. periculosum appellat victum tenuem in longis & in acutis morbis. Pro quo facit communes Medicorum usus in cibatione convalescentium, & senum; ut docet Avic. fen. 3. lib. 1. doct. 3. cap. 2. in quibus parum & sæpe est cibandum, ut sufficiat repetitio pro multitudine cibi requisita à facultate ad sui restaurationem, quia totum simul non potest sustinere facultas, ut etiam 2. acut. comm. 36. docuit Gal. ergo quo acutior est morbus plus cibi est exhibendum. ... & consequenter plus est cibandum per morbum quam per sanitatem. Hancque eandem doctrinam videtur docere Hipp. etiam 1. acut. text. 2. per hæc verba. Qui bis cibum per consuetudinem sumunt, bis quoque eis ptisana exhibenda est, qui vero semel dumtaxat, his primo die semel dumtaxat det, facta tamen additione: quod si fieri potest bis quoque exhibeatur si res exposulaverit. Quibus verbis manifeste docet quantitatem tantum cibi esse exhibendam in morbis si res exposulaverit, quod est dicere si vires patiantur cum propter ipsas cibus sit. Cum quo consentit Gal. in comm. per hæc verba. Quod si semel tantum cibari consueverunt ptisanam dabis. Quod Hipp. probare maxime videtur 2. acut. text. 12. per hæc verba. Cum medicamentum ebibit, mox ptisana sorbitioni danda est, non minori pene quantitate quam consuevit. Ex quibus deducitur quod si adhuc medicamento exhibito ptisanam tribuit in quantitate consueta, per morbos non est minuendus cibus.

Quæstionis resolutio examinari petit, propter quid morbus prohibeat cibum quem desiderat facultas, ut inde constet quando permittit magis aut minus. Quod proprium locum habet de cibo omnino tali, seclusa quacumque ratione medicinali ejus: nam quatenus medicamentum est, loquendum est de ipso ut de reliquis alimentis, quæ utilia sunt prout constant aliquo

opposito ipsi morbo & sub ratione generali meth. medendi comprehenduntur quoad applicationem & modum utendi ipsis, habitâ virium commutatantium consideratione.

Circa hanc difficultatem Hipp. duobus modis lædi corpus per alimentum seu per victus rationem docet. 1. aphor. & per additionem, & per diminutionem: per hanc ut docet textu 4. per illam textu 7. & 8. quod tam per additionem quam per repetitionem esse intelligendū ex text. 17. constat. Quam doctrinam servavit 1. & 2. acut. citatis. Est tamen hæc differentia, quod alimento diminuto, diminuitur homo immediatè quoad vires, quatenus ipso debilitatur alimento, at augetur quoad morbum, id est aliquo mantenimento morbus robur accipit ut 1. co. 2. & 7. Aphor. & 1. & 2. acut. docuit ex professo, tamen lib. de veteri medic. etsi de victu ægotantium non agat, enumerat ibi accidentia quæ ex defectu aut augmento cibi adveniunt. Quorum alia debilitatem ostendunt, quæ ex augmento morbi procedunt, causam morbi esse significant.

Ex his duobus modis quibus corpus læditur per varietatem quantitatis requisitæ cibi, supposito quod diminutio ejus à viribus prohibeatur; quatenus ipsæ ad sui custodiam cibum indicant, solum ergo restat cur morbus cibum prohibeat, & consequenter faciat ut non detur quod à facultate indicatur. Gal. super aphorismos & libros Avic. citatos reddens rationem, inquit, esse & quia causa morbi augetur & quia distrahitur à coctione natura, & quia accidentia intensa sunt: ratione cujus sufficiens fundamentum est ut morbus prohibeat illud quo causa augetur, & ejus corruptio impeditur & natura debilitatur. Sic ait comm. 1. Aphor. 2. corrumpitur enim adveniens alimentum corpori malos humores habenti: & comm. 8. lib. 1. sic, aut morbus in suo vigore consistit victu tenuissimo cibandum est, tum propter casuum magnitudinem tum propter morbi coctionem, nec enim distrahere oportet naturam ad alteram coctionem. Idem dixit, comm. 7. ergo per dicta, morbus cibum prohibet ac per consequens cum operandum sit pro urgentiori altero non neglecto quando opposita occurrunt indicationes, ut docet Gal. 3. meth. cap. 9. & in statu morbofo jungatur virtus cibum petens & morbus ipsum prohibens, pro urgentiori est operandum altero non neglecto, id est cibus est exhibendus ut facultas petit cum ejus magis urget indicatio, est tamen prohibendus cum magis urget morbus, pro utroque tamen operandum cum ambo æqualiter urgent, ita ut aliquid cibi detur pro facultate & aliquid auferatur pro morbo, ut 9. meth. c. 7. docuit expresse. Quem sequitur Avic. fen. 4. lib. 1. c. 1. dicens. Oportet medicum esse sollicitum de eo quod magis suspectum est. Agebat de virtute & morbo in ordine ad victum.

Iam restat scire quomodo per cibum dicta mala eveniant, ut idem morbus cibum prohibeat: fiet tamen notum, si attendamus causam morbi augeri alimento, quatenus ut ipse Gal. docuit, ab ipsis humoribus putridis alteratur alimentum, & corrumpitur: & consequenter in similem qualitatem seu dispositionem transit. Nam cum putrido venit interitus seu corruptio agente calore externo, & hoc co-

etione humorum corruptorum in alimentum; hinc est quod alimentum corrumpatur. Ideo dixit 9. comment. text. 1. citato, augetur quantitas, qualitas verò servatur, id est, materia putrida augetur, ab alimento sub eadem dispositione putrida, quâ humores erant. Quod precipue habet locum quando alimentum in majori quantitate quam requiritur exhibetur, ut diximus. Semper hoc fit, magis tamen cum alimentum in quantitate improporionata est, quia non rectè à facultate regitur. Cum verò proportionatè datur plurimum ejus à facultate gubernatur, abstrahitur & commutatur in optimam substantiam, ut inde aliqua adveniat reparatio ut docuit Gal. comm. 7. citato: at tamen semper causa morbi augetur, etsi cibum prohibet morbus.

Quòd casuum seu accidentium tempus, hoc est tota morbi magnitudo sit inconueniens ad exhibendum cibum, inde est, quia tunc patitur facultas ab ipsis validè, sicque debilitari est necessum: non ergo expedit laborem addi labori, nam alimentum reparatur facultas, & quatenus dissimile in principio & quatenus causa morbi cum eo augetur. Et ex alia parte debilior, ut agat, resultat: & consequenter non valebit alimentum commutare, & patietur quidem potius quam roborabitur facultas alimento in tali casu: Non ergo est exhibendum dum magna adsunt symptomata. Ideo Hipp. primo de epidem. part. 3. text. 10. docet febres aliquando fortiores esse in principio donec tempore indicationis & ante ipsum remittant: aliquando remissè incipiebant, augebantur & fortiores fiebant usque in finem: aliquando verò remissè incipiebant, postea fortiores fiebant postea ante indicationem remittebant immediatè: inquiri oportet utrum victum ex horum consideratione offerre conduceret. Quasi diceret intensio accidentium certis temporibus accidit in morbis: consideratione ergo habita ad ipsam sic in cibus est procedendum: ac per consequens rectè cibum prohiberi in morbi vigore ratione magnitudinis accidentium docuit, ut constet etiam in morbis non procedentibus à materia cibum esse interdicens cum accidentia viget, quidquid dicat Conciliator.

Circa distractionem naturæ à coctione alimento exhibito major est dubitatio nam cum coctio à calore fiat & à facultate gradus vegetativi, quæ in quantum possunt operantur, & non ratione finis aut cum cognitione, sed tantum propter finem, quomodo possit distrahi à coctione natura: est enim certus gradus vegetativus & ejus facultates ideo naturales sunt, etsi vitales sint, quia in modo operandi agentibus naturalibus assimilantur; aliàs si ratione finis operarentur non plusquam expediret: quia pro ut expedit operantur: quomodo ergo alimento exhibito natura ab ejus coctione distrahitur? pauca quædam hîc legi non potuerunt.

Salmanticenses plures facultates naturales apponere conatum voluerunt circa id quod denovo applicatur, ratione cuius ab operari circa materiam morbi distraherentur: credere tamen in potentiis naturalibus distractionem veram & conatus applicationem absurdum est. Est enim proprium agentium naturalium in quantum possunt operari: Ex quorum similitudine facultates gradus vegetativi naturales dicuntur, nec

per operationem in una parte desinunt operari in alia, nisi ex alio capite defectus adveniat. Nec valet dicere esse æqualiter utilem hanc actionem in utraque parte & quando huic alimentum exhibetur utilius esse ipsum coquere. Non est ita quia actionem qua intendit suam assimilationem exercet circa utramque materiam, quam si non immutat per accidens est, & quia non est minus utile putridum corrigere quam bonum alimentum transmutare in ordine tamen ad actionem ipsum nullo discrimine operatur facultas, ut dicitur præcedere cognitionem, quod alienum est valde à facultate naturali.

Alii hunc modum dicendi impugnantes naturam à coctione materiæ morbi distrahi dicunt alimento exhibito, quia cum hoc utilius sit & aptius pro nutritione confluunt sanguis & spiritus in ventriculum pro coctione eius, & consequenter deficiunt pro coctione materiæ existentis in venis quod vocant distrahi à coctione. At hic author non satisfacit neque loquitur consequenter, cum his quæ in eodem tractatu scripsit: nam coctu, inquit, ratione irritationis majoris, à causa morbifica tum factæ moveri naturam ad coquendum magis, quia tum intensior est morbus & major irritatio, & consequenter propter hanc necessitatem sanguinem fluere ad partem in qua celebratur coctio, scripsit, quia impetu quodam habent operari facultates naturales.

Hunc modum dicendi colligit Salmanticensis ex Gal. 4. de natura pulsuum c. 2. in quo ait impetu quodam operari ratione irritationis facultatem, prout satis docet: & sic in statu impetu quodam operari coctricem colligitur: quod antea negaverat & merito, siquidem facultati naturali non est concedendus conatus, nec hoc voluit: Ergo potius oppositum docuit. Namque intendens ostendere conari facultatem vitalem dicit ut accidit in facultate animali, sic ait. Apertissime autem probo, facultatem ut quæ molestiam exhibent expellat, excitare seipsam, quod in animali cernis facultate, non tantum in vitali. Quibus verbis potius videtur docere suis facultatibus & non aliis convenire operari conatu, quia pro ratione finis operantur secus tamen naturales.

Ad rem igitur sic. Si hic author conatus concedit incidit in id quod impugnat, & ex alia parte concedit moveri impetu sanguinem, ratione irritationis factæ à causa, ad coctionem ejus. Et concedit moveri ad alimentum novum; totum quod dissonum est: Nam si irritatio causæ movet ut pro ipsa sanguis & spiritus fluant, sequeretur quòd quando irritatio magna est, etiam si alimentum exhibeatur non distrahatur à coctione natura, quod est contra Gal. Ergo & illud ex quo sequitur, pater sequela nam tum facultas operatur propter urgentiam; ergo quando fuerit major in causa, pro ipsa debet operari, ac per consequens aliquando non distraheretur alimento natura quod est falsum. Præter quàm quòd talis modus operandi non est concedendus facultati operanti quantum potest; alias non differret ab alia quæ pro ratione finis, aut cum cognitione operaretur, & consequenter non esset naturalis. Ad quod accedit facultatem ex Gal. non pati per consensum; quod non esset verum si à communicatione alterius penderet eius operari.

Sed dices. In nostra doctrina facultates natu-

rales sunt vitales, quia modum operandi habent supra agentia naturalia, id est, quia cum subordinatione facultatis ad facultatem operantur, una scilicet propter alteram: ergo non solum operantur propter finem, sed etiam pro ratione finis, cum pro ratione seu utilitate retinentis trahat trahens, & illa pro coctrice &c. Respondetur id verum esse non tamen istæ facultates operantur ut ipsis expedit, sed trahens trahit ut retineat: nonnulla hic legi non potuerunt.

Nobis ergo est dicendum naturam à materiæ morbificæ coctione distrahi alimento exhibito, quia necessum est in principio esse dissimile, & consequenter ab ipso patitur vivens, tum propter qualitates contrarias, tum propter excrementa quæ ex ipso debent resultare, tum quia multa materia magis augetur in vivens & magis resistit coctioni viventis, quàm pauca, & plus est materiæ coquendæ alimento exhibito quàm non exhibito, non solum in ventriculo sed in toto cum alimentum per totum distribuatur, & cum ex alia parte ita necessaria sit materiæ putridæ correctio, non est exhibendum aliquid quo finis ita principalis impediatur.

Neque facit contra hoc, quod alimentum, dum optimum sit potius in sanguinem transmutatum, remittere habebit qualitates humoris putridi, & sic potius valebit corrigere id quod à tali materia putrida alteratum erat, dum in venas communicetur & non impedit coctionem faciendam. Hoc non satisfacit nam etsi verum sit, non tollit talem materiam & eius excrementa, antequam in sanguinem commutetur alterare vivens, ultra alterationem causæ morbi, nec tollit plus esse vincendum quàm si non esset talis materia, & etiam resistere & agere contra vivens, etsi remissius quàm putridum. Rectè ergo stat naturam à coctione distrahi alimento exhibito, quatenus debilior resultat ad agendum contra causam per coctionem alimenti.

Cognita igitur ratione propter quam alimentum à morbo prohibeatur & petatur à facultate, ratione cujus ex utroque sit sumenda indicatio ad debitam victus rationem seu institutionem. Restat scire quomodo medicus valeat has indicationes rectè desumere. Et in primis constabit ex dictis quòd tam vires indicent plus alimenti per morbos quàm per salutem, cum debiliores sint & magis ipso egeant: quia verò nullum est prohibens per salutem, non solum id quod vires ad sui conservationem indicant exhibendum est, sed & illud quod ad earum valeat augmentum. Secus tamen per morbos ad sui reparationem plus indigent, quia cum contrarium indicans inveniatur, non totum quod indicant vires exhibendum, sed attendendum ad prohibens urgentiâ seclusâ, Ideo Gal. 1. Aphor. comm. 4. Alimentum quod vires auget sanis convenire tantum docet, secus verò ægrotis, etsi rarò aliquibus conveniat victus augens, hoc est plenus.

Circa explicationem hujus particulæ, etiam rarò convenire ægrotantibus victum plenum, communis doctrina est, non convenire eis alimentum vires augens, ne per additionem illius quod non est necessarium morbum augeamus. Ut docuit ipse Gal. loco cit. etsi rarò alimentum augens exhibeatur quia ratione morbi requiritur, ut in fractura ossis, transacta inflammatione ad generationem carnis, ut 6. meth. cap. 5. docuit

docuit ipse Galenus : quæ doctrina etsi teneat verum in re , non debet intelligi ut explicatur. Verum enim non est alimentum sanis convenire non ægrotis , nam ob rationem dictam verum quoque est aliquando exhiberi alimentum plenum , ut docuit Gal. in aliquibus morbis , non tamen hoc docet in hoc comm. 4. nam ibi tantum intendebat ostendere , quod alimentum ut tale conveniebat sanis & ægrotis , non agendo de alimento quod ut medicamentum exhibetur nam hoc esset adducere differentias alimenti , non sub ratione medicamenti quod erat præter intentum , & esset longa disceptatio etsi morbis dictis ratione medicamenti alimentum exhibetur , modo dicto. Gal. vero ut alimentum aliquando convenire ægrotantibus alimentum plenum docet. Hoc est quando vires taliter sunt labefactatæ , ut non possit æger perdurare ni augeantur : ac tum quidem non ratione morbi ; sed ratione virium præcisè alimentum exhibetur.

In ægrotis igitur victus non debet esse plenus ob dicta , an mediocris , an tenuissimus sit exhibendus , constabit si attendamus ipsum dari , qualis requiritur ut vivens possit defendi à morbo , id est , ut possit durare donec morbus consistat : nam cum vires necessariae sint ad conservationem viventis tanta requiritur earum duratio , quanta sufficiat ut morbus pertranseat , cujus ratio nota est : quia propter damnum quod ex alimento timetur , ipsum non exhibetur : major erit noxa ex defectu virium proveniens cum morbus vinci non possit viribus deficientibus ; est ergo alimentum prohibendum , non quatenus requiratur pro viribus absolute ; sed quatenus pro virium debilitate , donec morbus vincatur sufficiat. Idem Hipp. 1. aphor. tex. 9. conjectari autem oportet , an æger sufficiat cum victu perdurare donec morbus consistat. Quasi diceret talis victus est exhibendus ut æger sufficiat cum ipso perdurare , usque ad statum. Ut docuit 10. com. Gal. est enim quod supra hanc mensuram exhibetur nocivum ob morbi augmentum quod verò infra deterius ob defectum virium : & consequenter illud erit exhibendum alimentum , quod vires permanere faciat usque ad victoriam morbi. Nam hoc modo quod requiritur est , & quod lædat non exhibetur. Lædit quidem quidquid datur nisi utilitas virium major sit.

Sed dices virium indicatio omnium est prima , ut docuit Gal. 9. meth. cap. 13. ergo pro ipsa est operandum etsi morbus augeatur : patet quia augere vires semper est utile , ergo victus plenus semper offerendus adhuc in morbis. Resp. verum esse pro virtute esse operandum cum ipsius prævalet indicatio ; id est quando talis est virtus ut non sufficiat perdurare usque ad statum. Cum verò ipsa sine cibo perdurare sufficit , quidquid alimenti exhibetur præter necessitatem est , & cum periculo augendi morbum , & sic exhibendum non est , ne morbus augeatur sine utilitate aliqua.

Cum ergo victus ratio talis debeat esse ut sic sufficiat pro esse virium donec morbus vincatur , ex eo quod in tantum posthabenda sit noxa quæ ex alimento subsequitur , quantum est major necessitas reparationis virium , & in tantum attendendum est & respiciendum morbi augmentum ex alimento , in quantum vires reparandi nulla

datur necessitas , hinc fit tantum esse alimenti exhibendum , quantum pro esse virium donec vincatur morbus sufficiat : ac per consequens eò plus cibi exhibendum quò majoribus indiget viribus , & eò minus quo paucioribus. Quo fundamento Gal. 1. aphor. comm. 4. victum mediocre concedit in morbis longis , tenuem verò in acutis , & eò tenuiorem quò acutior est morbus. Quod ipsum ex Hipp. desumpsit : sic dicente Aphor. 7. Vbi morbus peracutus statim extremos habet labores , statim tenuissimo victu utendum est (desiderantur hic pauca quædam . . . & aliis omnibus quæ 1. Aphor. & 1. acut. & lib. de veter. Medicina adducit , manifestum est plenum victum sanis convenire , ægrotis verò non ita , sed tenuem aut mediocre , hunc in morbis longis , illum in acutis , magis aut minus , prout morbus feret , quem sequitur Gal. in comm. & Avic. fen. 4. lib. 11. cap. 1.

Ex his quæ ex suppositione adducit Gal. locis citatis , clarius tamen lib. de Dieta Hipp. in morbis acutis manifestum est , ultimum determinans victum esse celeritatem aut tarditatem motus morbi , cum ordine ad vires ita ut tenuior debeat esse ob celeritatem quò vigor morbi propinquior est , & minus tenuis quo tardior , juxta illud Hipp. 2. aphor. textu . . . Quibus statim morbus consistit his statim tenuis victus adhibendus est ; quibus verò posterius debet consistere , his & in ipso consistendi tempore & parum ante illud cibum subtrahendus , prius verò uberius agendum , ut æger sufficiat. Quibus verbis constat tantum cibi indulgendum esse magis , quò morbus mollior est , id est quò tardius habet ad statum pervenire. Est enim morbi acuti proprium deteriora accidentia statim habere , ut dixerat Aphor. 7. longi verò non ita.

Hujus conclusionis ratio est , quia alimentum ad permanentiam seu durationem virium exhibetur donec morbus consistat , sed quo major est distantia à principio , ad statum , plus debet permanere virtus , ergo quò longius est status , crassior debet esse victus , tenuior verò quò propinquius. Ac per consequens ratione tarditatis aut celeritatis motus morbi , tenuis aut crassus debet esse victus. Major est certa , minor patet ; nam quo major est distantia à principio ad statum , plus patitur virtus à morbo & accidentibus eius , quàm quò minor , siquidem plus agit causa multo tempore quàm paucò ; ergo virtus major necessaria est , quò magis debet durare pugna , id est quò magis distat status. Totum hoc notum fecit Gal. cap. 4. de Dieta Hipp. ut Medicus à primis diebus sciat quis morbus cito & quis tardi vigeat , & quæ hinc prædicent , virtutem laborantis consideret , & tanquam in quadam cogitationis suæ libra de utrisque ponderet , utrum si à principio tenuiter nutriatur laborans sufficere ad vigorem usque poterit : Docet ergo distinctè victus esse rationem desumendam ex celeritate aut tarditate motus morbi , cum ordine ad vires : ut hac ratione cognoscatur plus aut minus alimenti esse exhibendum ; ita ut plus exhibeatur quando distat magis status , minus verò cum longius abest.

Hac ratione etiam differt in celeritate aut acutis morbi , victus tenuis absolute , tenuissimus & extremè talis , sic dividit Gal. ut videre est 1. aphor. comment. 4. ita ut morbus qui ad quantum

Quæst. VI. Vtrum à princip. usque, &c. 143

quantum determinatur in ediam convenire doceat tanquam extremè tenuem victum. Conceditur verò tenuissimus his qui ad septimum terminantur: tenuem absolutè his qui ad 14. terminantur: Nam cum victus ratio conveniens sit quæ minus morbum augeat, & pro esse virium usque ad statum sufficiat, hinc est quod quando virtus valet, ut possit morbi tolerare accidentia, debita victus ratio sit, nihil alimenti offerre: nam omne quod requiritur consequitur omnimoda inedia. Quod rationabiliter poterit esse quando breviter speramus statum. Ideò Hipp. talem victum in morbis peracutis commendat & Galen. quando ad quartum terminantur, & sic de reliquis, ita ut cibum augeat prout magis protrahitur status.

Sed dices si æger qui ad quartum terminatum morbum habet debiliores vires habeat quàm alter qui ad septimum morbum habet terminatum; plus cibi indicabit quàm alter: ergo non absolutè ratione celerioris terminationis victus ratio est instituenda. Resp. nos non dixisse ratione tantum celeritatis aut tarditatis morbi motus absolutè determinari victum: sed cum ordine ad vires. Et sic talis est instituenda ratio victus qualem vires exoptulaverint pro duratione morbi: diximus tamen ex Hipp. & Gal. tenuiorem victum convenire quando morbus citius est terminatus, quàm quando tardius cæteris paribus, id est supposito subjecto temperato ex propria natura in quo una virium intensio est concedenda, ratione celeritatis aut tarditatis terminationis victus ratio est immutanda.

Dices ulterius alimentum seu victus ratio instituitur ut vires requisitæ usque ad victoriam naturæ supra morbum valeant, sed non minus est necessaria victus ratio in declinatione morbi ad expulsionem illius quando declinationem instituit, ergo non solum victus ratio est instituenda pro conservatione virium usque ad statum ut voluit Hipp. dum inquit. Conjectare autem oportet, &c. Sed etiam usque ad terminationem morbi. Major est certa, minor probatur; nam vires sunt necessariae ut vivens à morbo defendatur, & ut possit permanere sine exhibitione alimenti nocentis: sed non minus debet defendi à declinatione morbi, cum in ipsa accidentia reperiantur quæ valeant vires labefactare, resolutio scilicet spirituum quæ in declinatione accidit, in qua etiam morbus secundum causam poterit per alimentum augeri: ergo virtus est conservanda tam pro declinatione quàm pro aliis morbi temporibus; ac per consequens non solum victus ratio, est instituenda, ut vires permaneant usque ad statum sed etiam usque ad declinationem. Resp. dixisse Hipp. vires conservandas esse usque ad statum, nam virtus quæ valuit resistere morbo & accidentibus ejus usque ad statum, valebit necessario resistere usque ad declinationem, quia omnia tunc remissiora valde sunt. Ideo vivens non posse perire, vi declinationis morbi, docuit Gal. 8. de Crisibus cap. 5. ad quod accedit, non ita nocivum esse alimentum in declinatione ac in aliis temporibus; quia cum jam causa morbi coacta sit, non jam distrahitur natura, nec patitur ab accidentibus ut antea, nec ad corruptionem cibi est dispositio.

Ea quæ probabant plus cibi esse exhibendum in ægrotis quàm in sanis manent ex dictis soluta; est enim aliquid in ægrotis corruptio-

nem cibi impediens. Ad Hipp. 1. acut. dicimus consuluisset bis exhibere prisanam; quia cum pauci nutrimenti esset, loco carniū quibus utebantur ægrotantes per salutem, bis erat exhibenda, coctio sufficeret ad victum tenuem quem tunc instituere debebat. At enim cum nos etiam per morbos coctionibus cibamur, etsi in minori quantitate quia magis carnibus sumus assueti, vix debemus cibari his quibus se cibabant per salutem, nisi ob defectum virium quantum requisitum sit exhiberi non possit. Et hoc est quod inquit Hipp. dicens: Si res exoptulaverit, iuxta doctrinam datam in qua dicimus parum & sæpe esse exhibendum debili existenti virtute cum humorum defectu aut corruptione. Qua doctrina intelligitur quod docet 2. acut. text. 12. tribui quidem prisanam post medicamentum, & propter reparationem & ad obtundendam medicamenti acrimoniam, & veneficam naturam.

✠

QVÆSTIO VI.

Vtrum à Principio usque ad statum sit attenuandus victus.

SUB dubio quo inquit Quæstio morbus cibum prohibet: ergo quo ipse intensior est magis cibum prohibere valebit: & cum attenuatio ejus major, ex minori intensione prohibentis procedat, quò major fuerit morbi intensio major debet resultare attenuatio, & minor quò minor. Est enim morbus in principio & sine remissior, intensior in statu, ut 2. aphor. text. 30. docet Hipp. ergo à principio ad statum cibum est attenuandus. Manifestam fecit hanc doctrinam Hipp. 1. aphor. text. 10. per hæc verba. Quibus statim morbus consistat, statim tenuis victus adhibendus est; quibus verò posterius debet consistere. His & in ipso consistendi tempore & parum ante statum cibum subtrahendus est, prius verò uberius agendum, ut æger sufficiat; docet ergo manifestè cibum esse attenuandum à principio morbi, usque ad statum; quod de temporibus universalibus venit intelligendum: tum quia postea de particularibus agemus, tum quia ratio propter quam morbus cibum prohibet: ut docuit Gal. 1. aphor. comm. 8. est propter augmentum causæ & propter distractionem naturæ à coctione. Quæ potius habent locum circa tempora universalialia, quàm circa particularia, hic fuit aliquid oblitteratum.

Propter hoc placitum ulterius nunquam victus attenuatio in summo vigore conceditur ab Hipp. ne natura coctione distrahitur, ut docuit Gal. comm. 8. citato. Sed hoc inconveniens viget magis quo minus morbus accedit ad statum & recedit à principio: ergo à principio ad statum attenuandus est victus. Major est certa, minor probatur. Nam tum timenda magis est distractio naturæ à coctione, quando ipsam elicit, aut elicitura est. Sed ipsam conficit aut effectura est in augmento & statu: ergo tum facienda est major attenuatio. Ostendit minorem hujus syllogismi. Gal. 1. aphor. comm. 12. & Avicen. fin. 3. lib. 4. cap. 4. docentes, augmentum esse quando apparent signa manifestæ coctionis, statum verò cum perfectæ coctionis sunt signa: ergo ipsis temporibus

temporibus magis attenuandus est victus.

Hanc veritatem turbare videtur id quod docet Hipp. acut. text. 21. usque ad 25. in quibus docet in principio pleuritidis, neque multam, neque crassam prisanam esse exhibendam, dum verò os madescit augendam esse quantitatem; & tantum plus esse augendam quò major fuerit expurgatio: ergo non est extenuandus victus à principio usque ad statum; sed potius contrario modo esse faciendum docet Hipp. Quam doctrinam servavit Gal. 6. meth. cap. 5. in cura fracturæ ossis & 12. meth. in cura febris syncopalis, ortæ ex tenuitate humorum. Quos sequutus fuit Avic. fen. 1. lib. 3. tract. 3. cap. 3. in cura frenitidis, & fen. 7. cap. 11. in cura anginae: & quod magis est. fen. 1. lib. 4. tract. 1. c. 4. in cura paralytis. fen. 1. lib. 4. tract. 2. cap. 55. 63. & 65. agens de curatione febris flegmaticæ, & quartanæ, tenuem victum adhibere docet in principio, magis quàm postea: non ergo semper à principio ad statum attenuandus est victus.

Non deficiunt pro hac parte validissimæ rationes: nam Primò cibus minuitur ne natura à coctione distrahatur, sed hæc distractio est timenda magis in principio, quando materia est cruda; siquidem plus est vincendum, & natura vehementius debet operari, quam quando jam aliquo modo victa est materia: ergo in principio attenuandus est victus, non ita in augmento aut statu. Secundò nam alimentum est in reparationem virium: sed in augmento & statu major est reparationis necessitas, quia magis patitur natura ab intensioe morbi & ab accidentibus ejus quàm in principio: ergo plus cibi exhibendum in augmento aut statu quàm in principio. Qua ratione 1. Aphor. comm. 9. Gal. ait. Cibum in statu consules. Tandem nam prius particulare accessionis prohibet magis cibum, quàm augmentum aut status, ut docet Hipp. 1. acut. text. 46. ergo prius universale idem habebit: ac per consequens non semper attenuandus est victus à principio ad statum.

Pro solutione quæstionis notat Salmanticensis quæstionem non esse de morbis causatis ab inanitate, cum ipsis semper alimentum desideretur, & solum cum ordine ad facultatem commutantem sit exhibendum parum, si non valet facultas, multum si valet, quod notabile admittendum non est: nam certum est nos non loqui de indicatione exhibendi alimentum rationem medicamenti habens, hoc enim generale est in quocumque remedio, siquidem tale est exhibendum, quale desideratur à morbo cum ordine ad facultatem. Est igitur quæstio de alimento quod præcisè secundum rationem omnem alimenti exhibetur, de qua exhibitione etiam non potest dubitari esse propter facultatem cum ordine ad morbum, ut Quæst. 4. dictum est. Quo supposito etiam in morbis ab inanitate procedentibus locum habet controversia ut ipse scripsit de morbis immaterialibus, quia accidentium intensio exhibitionem prohibet alimenti ex Gal. 1. aphor. comm. 8. & si ab inanitate procedat morbus à principio ad statum alimentum prohibet magis.

Notandum tamen est Certum esse nos loqui de indicatione sumpta ad victus rationem, solum ratione temporum morborum, nullo alio accedente; id est, quæstionem esse an præcisè attempta mutatione qua alteratur vivens, vi morbi &

ejus temporum sit attenuandus victus à principio ad statum: an verò aliter sit procedendum in morbis regularibus: nam si aliquid accidens superveniat, quod ordinem naturalem & regularem morbi tum perturbet, dubitari non potest etiam victus ratione mutari. Qua ratione 2. aph. comm. 9. Gal. sic ait. Aliquando in ipso vigore morbi, si casus aliquis intervenit nutrire cogimur, quod etiam est intelligendum modo comitato & comitante: nam si in instanti sit, ita ut unam habeat naturam & postea alteram, non potest esse regula cibandi fixa, sicut si ignotus existat morbus. Propter quod Avic. fen. 1. lib. 4. tract. 2. cap. 7. subtiliare regimen commendat donec febris cognoscatur, quia alimento deficiente magis accidentia humorum prævalent & morbus patescit: habet verò alimentum humorum & eorum vaporum acrimoniam & activitatem impedire seu excitare.


His suppositis communis sententia est quam adduxit Valles. comm. 8. cap. 2. victus rationem scilicet debere procedere attenuando à principio usque ad statum, in morbis regularibus, qui non consistant in fluxione: ita ut prius seu principio plus cibi dandum sit, minus in augmento & adhuc minus in statu: in morbis verò fluxionis minus in principio, magis in augmento, & adhuc magis in statu. Ideò Hipp. quem sequitur Gal. 1. aphor. dum attenuari victum consulit in statu & ante ipsum, prius verò liberius agendum, loquitur de morbis regularibus qui non consistunt in fluxione. Dum verò 1. acut. Hipp. Gal. 6. meth. & Avic. attenuari magis in principio quam in aliis temporibus docent, loquuntur de morbis fluxionum, aut quando magis manifestari morbum, seu attenuari ejus causam intendunt, ut sit in febre quartana, aut flegmatica: cujus ratio est manifesta: nam in morbis fluxionum eorum intensio seu incrementum prohibet victum quatenus per ipsum fluxio ipsa augetur, & cum talis fluxio & intensio timeatur magis in principio quàm postea. In morbis verò qui non constituuntur per fluxionem sed coctione sunt terminandi, si à materia procedunt tum cibus est attenuandus, cum materia coctionem elicit, ne ab ejus coctione natura distrahatur, ac per consequens magis in statu attenuandus est minusque in principio: totum quod 1. meth. cap. 6. & 9. repetit Vall. Quod etiam locum habet etiam à materia non pendeant morbi, cum ratione accidentium molestantium cibus attenuandus sit, & hæc magis urgeant in statu quàm in augmento, & in hoc magis quam in principio. Quod debet intelligi seclusa conditione ventriculi; aut seclusa satietate: nam hæc existente quotiescumque sit, cibus est minuendus, sive morbum causet sive coctionem impediat.

Ad argumenta Respondetur: & in primis ex dictis ad primam rationem constat solutio ad loca Hipp. Gal. & Avic. Ad primam rationem Resp. quod licet materia cruda sit in principio coctionem petens, cum nondum sit sensibiliter alterata à natura pro correctione; et si negari non possit alterari, non ita impeditur naturæ opus, ut quando jam coctionem esse apparet in augmento, aut in statu, & non in his temporibus, quia magis aliquo modo disposita est natura in principio: Aliàs si eodem modo se haberet, non magis esset coctio quàm antea, est quidem aut aliquid resolutum, aut aliquo alio modo alteratum,

alteratum, ut ita coctio appareat in augmento, & postea augente, natura perfecta sit in statu, quod non est in principio. Ad quod accedit, quòd cum cibus dandus sit quando minus lædat & in statu & in augmento, ultra coctionem sint accedentia majora, minus patitur natura in principio, & sic in ipso minus impediens reperitur quam in aliis temporibus; præcipuè cum pluries nondum operari cæperit facultas coctrix, usque ad ultimam partem principij, quia materia nondum fixa est, ut natura operetur.

Ad secundum dictum est quod licet plus cibi indicet facultas ad sui restaurationem, cum magis patitur, minus tunc exhibendum propter ipsam debilitatem, & quia debet supponi roborata sufficienter pro accidentibus illis à principio. Si verò debilitas urgeret, non cadit sub dubio cibus esse præbendum: esset tamen præter curam regularem, ut docuit Gal. 7. *aphor. comm. 9.*

Ad tertium arg. & ad Gal. 12. *meth.* constat solutio ex Quæstione sequenti.



QVÆSTIO VII.

Utrum status morbi indicet victus tenuitatem, magis propter coctionem, quam propter accidentium intensiorem.

Ic agitanda Quæstio, an sit distinctus morbi status quoad symptomata, ad statum quoad coctionem; quia hujus loci non querimus an magis per symptomata quam per coctionem status cibum prohibeat: Quod est querere, an victus attenuandus sit magis in statu morbi quoad symptomata, an in statu quoad coctionem, sive coincident, sive secus, juxta opinantium diversa placita: Nam cum plures non coincidere dicant, necessum est cognoscere usque ad quem statum sit attenuatio molienda, cum usque ad ipsum sit conjecturandum an æger sufficiat perdurare. Et adhuc quamvis coincidere dicamus, cum hoc tantum habeat locum in symptomatibus pathognomonicis per quæ plurima alia accidentia superveniunt quæ non sequuntur morbi naturam, & consequenter, nec cum coctione coincidunt, & omnium una est ratio prohibendi alimentum. Controversia est, an usque ad statum coctionis & symptomatum, cibus attenuandus sit, & æger sit conservandus, ita ut hac ratione adhuc alius sit status quoad coctionem, alius quoad symptomata. Qua ratione etiam Hippocrates 2. *Epid. part. 3. text. 10.* docuit alias esse febres quæ in principio ferociiores erant, & postea remittebant, alias quæ post aliquos dies, & alias quæ in statu.

Contra hanc quæstionem videtur communis sententia, quam Vall. 1. *meth. cap. 6.* attenuantem cibum debere esse usque ad statum coctionis; ita ut cum Hipp. doceat conjecturandum esse, an æger sufficiat perdurare usque ad statum, taliter ut status coctionis sit intelligendus, & sic in ipso attenuatio est facienda, & ante ipsum, prius verò uberiùs agendum ut æger sufficiat. Hanc sententiam quam insinuat Hipp. 1. *aphor.*

expostulat Gal. in coctione: nam postquam Hipp. dixit *tex. 7.* in morbis peracutis qui statim extremos habent labores, statim tenuissimo victu esse utendum; & *textu. 8.* in summo vigore utendum esse tenuissimo victu, Gal. explicans has sententias inquit esse utendum victu tenui, ne natura à coctione distrahatur. Ergo usque ad statum cibus est attenuandus.

Corroboratur hæc pars: nam alia natura quam plus cibi exhibendum est in principio minus postea est, quia plus restat morbi percurrendum à principio quam ab augmento, & ab hoc, quam ab statu, aut in ipso *comment. 8.* docuit Gal. sic ait, Nec enim, distrahere naturam ad alteram novam coctionem oportet, cum eo tempore, humorum coctioni fortiter vacet, & non ita multò post ipsos sit evictura; quæ ratione etiam crassius cibandum esse in morbis longis, tenuius in acutis docet *commentario 4.* sed à statu accidentium, si non coincidit cum coctione, restat plus, per curationem, tum quia, restat coctio, & materiæ expulsio, abstrahendum in principio, ita ut æger possit perdurare usque ad statum: ergo usque ad ipsum est attenuandus victus.

Tertio: nam etiam natura patitur & labefactatur in coctione, ergo vires habent respui usque ad ipsam. Quod confirmat Hipp. 2. *aphorif. textu 47.* dum inquit, *Dum pus conficitur, dolores ac febres accidunt:* ergo usque ad coctionem sunt conservandæ vires, ac per consequens usque ad ipsam est attenuandus victus, sed est cibandus in principio, ita ut æger possit perdurare, usque ad tempus coctionis, cum in ipsa & propter accidentia majora quæ eveniunt, & ut conficiatur opus ita requisitum non debet exhiberi alimentum.

Ita certam vindicavit hanc sententiam Vallesius, ut absolute proferat non esse alia tempora consideranda ad victus institutionem; dicit siquidem, etiam si morbus cibum prohibeat, non omnes ejus partes, prohibent; & quæ magis statum, minus augmentum, & adhuc minus præcipuæ, quia si hoc minus natura aggressa attentare, coctionem magis in augmento, & in statu magis, & consequenter solum ratione coctionis & cruditatis, tempora morborum distinguit; in quo sequitur manifestè Hipp. Gal. & Avic. doctrinam expressè affirmantium per ipsam coctionem & cruditatem, esse tempora morborum constituenda, sic, ait, Hipp. 2. *de vitus rat. text. 39.* Sed perquam modicè additioni studendum est, ablationi verò in totum intendere. sæpenumerò oportet, modò sufficere possit infirmus donec per vigorem morbus maturus fuerit: ergo usque ad maturitatem victus est attenuandus. Quo sensu credendum est loqui 1. *sect. aphorif.* in qua pluries usque ad statum, victum esse attenuandum docet, nullam distinctionem status faciès: quod videtur significare morborum tempora cum coctione causæ & temporibus ejus coincidere: qua ratione etiam in eodem 1. *acut.* ratione coctionis victum immutari docet in dolore pleuritico à *text. 20.* usque ad 25. Rectè ergo Vall. usque ad statum coctionis victum esse attenuandum docet, ita ut quoad hoc, tempora coincident.

Galenus verò clariùs hanc doctrinam aperuit, cum juxta ipsam intendit ad Hipp. 1. *aphorif.* usque ad statum cibum attenuare docentem, cum in

comment. 7. & 8. id fieri dicat ne materia coctione distrahatur, & hac ratione commentario 12. tempora morborum per coctionem & cruditatem distinxit, ut fecerat ex professo 1. de Crisibus, cap. 17. & deinceps, sic ait; Quod si non manifestum inspiciat coctionis signum, principium est ægritudinis, atque integrè ad augmentum morbus convertetur quando cæperit spære pauca coctione: cum verò exquisitè cocta fuerint & multa, & sine difficultatè educta, tunc status est tempus. Quam doctrinam transulit Avicenn. fen. 1. lib. 4. cap. 3. tempora morborum per apparitionem signorum coctionis & cruditaris distinguens: ergo ad statum coctionis attenuandus est victus: siquidem absolute docet Hipp. ad statum esse attenuandum, & solum ratione coctionis tempora distinguunt Authores.

Mercatus verò quæ sequitur Fernandez, & Salmanticensis, & inconsiderabilem iudicet coctionem apud Medicos, quatenus per ipsam de securitate aut periculo: de brevitate aut longitudine morbi iudicamus, nihilominus nullatenus victum esse attenuandum ad statum coctionis scripsit; sed usque ad statum symptomatum esse, seu accendentium; ita ut pro eorum ratione plenior sit cibus in principio, & tenuior in statu: & hoc modo vult intelligi Hippocratem quotiescunque victum esse attenuandum docet in statu & ante ipsum, prius verò uberius agendum. Probat priorem partem ex eo quod victus ratio debet institui talis ratione alicujus conducentis ad ipsam fixè & determinatè: sed coctio non potest determinare fixè victus rationem convenientem: ego ratio ejus non est instituenda. Major est certa. Minor prob. nam victus ratio debet esse plenior, aut tenuior, prout futurus fuerit status coctionis, aut tardius: sed non potest determinari de certitudine status coctionis, cum varietur & ratione materiæ decisæ, & ratione virium, & ratione accidentium debilitantium, seu impediendum coctionem, & ratione ipsius motus morbi; cum pluries accidat principium esse breve, longum verò augmentum: ergo coctio non potest determinare fixè victus rationem. Ad quod facit quod inquit Hipp. 1. acut. dum os madescit, quantitatem sorbitionis augere convenit: & infra: quanto major fuerit purgatio, tanto magis dare oportet: sed cum os madescit, & expurgatio augetur, iam augmentum & status est, ut ex Gal. & Avic. cum Hipp. docuimus. Ergo status coctionis non conducit ad tenuitatem victus, ac per consequens usque ad ipsam non est attenuandus.

Hoc supposito, cibus esse attenuandum usque ad statum symptomatum, inquit Merc. tum quia Hipp. 1. 1. aphorif. per totum, solum ratione symptomatum tempora distinguit in ordine ad victum: quod patet, nam textu 7. sic, ait, *Vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & tenuissimo victu vivendum est: ubi verò non, tantum cibi indulgendum est, quantum morbus extremis est mollior.* Quibus verbis ratione vehementiæ accidentium statum determinatè victum significat, ut constat, cum cibus esse augendum dicat, quod mollior est morbus, id est quod remissiora sunt accidentia: nam eorum ratione, mollior aut deterior debet dici morbus, quæ ratione ipse Hipp. circa initia & fines omnia imbecilliora, in vigore verò fortiora esse dixit 2. aph. tex. 30. ut constaret cur in vigore quiescendum sit à remediis

magnis, non in aliis temporibus: ergo ratione symptomatum est attenuandus victus ad statum. Quod probat etiam ratione: nam alimenti institutio pendet ex intensione virtutis in ordine ad morbum. Prob. Ratione accidentium victus magis immutatur quam ratione ipsius morbi, & alicuius alterius: ergo ratione eorum victus est instituendus, ac per consequens in ordine ad statum symptomatum est attenuandus.

Nobis tamen videtur dicendum, absolute verum esse cibum semper esse attenuandum usque ad statum symptomatum, quod est, attenuandum esse usque ad statum morbi, cum hi status necessarîo coincidere debeant; non tamen esse attenuandum usque ad statum coctionis in omnibus morbis: sed in illis qui ad unam criticam expulsionem totam materiam servant, in quibus omnes tres status dicti coincidunt. Hæc conclusio duas habet partes. Prima est, in omnibus morbis victum esse attenuandum semper usque ad statum symptomatum. Secunda, est in aliquibus esse attenuandum usque ad statum coctionis. Ex quo deducitur, quod status morbi & symptomatum coincidere solent; status verò morbi, coctionis & symptomatum coincidere in morbis servantibus materiam totam in unam criticam expulsionem, non in aliis, de quibus omnibus seorsim dicemus.

Priorem partem probavit doctè Merc. supra, nam, ut docet ipse Hippocrat. 1. aphorif. text. 11. in accessionibus abstinere oportet, cibum dare nocivum est: sed non alia de causa cibus est nocivus, nisi quia patitur tunc maximè natura ab accidentibus accessionis; ergo ratione accidentium attenuandus est victus, ac per consequens quoad statum symptomatum semper attenuandus est. 2. nam ut docuit 1. aphorif. comm. 8. cibus convenit tenuissimus in statu ratione accidentium tunc vigentium: ergo quoad ipsa est attenuandus victus. Idem constat 1. epidemi. part. 3. textu 11. in quo adhibens Hipp. febres vigentes in diversis temporibus dicit ratione talis vigoris victum esse offerendum: ergo quoad symptomata, est attenuandus status ad victum. Quod recepit Gal. 1. de crisib. cap. 3. in quo docens morborum dignoscendi tempora, morbum hunc esse per intensiorem aut remissionem accessionum expressè ait, ad hanc cognitionem victum esse instituendum: ergo victus quoad statum symptomatum est attenuandus.

Gal. autem lib. de diara, Hippocratis cap. hoc manifestum fecit: magis, inquit, non ex parte Hip. plenius esse cibandum in principio, tenuius in statu: Et reddens rationem sic ait; nam si futurum est ut æger ante vigorem dissolvatur, primis certè diebus victus resumi debet, ut possit postea æger dum vigor aderit, tenuiter cibari. Quod explicans immediatè, sic ait; non in omnibus dictum est in principio pinguius cibari oportere, sed in his in quibus futurum est ut virtus circa vigorem dissolvatur. Quibus verbis manifestè docet plenius esse cibandum in principio quando virtutem in vigore debilitari timemus, quod ab accidentibus evenit. Ergo quoad statum accidentium victus est attenuandus. Quod magis constabit si caput deinceps legatur.

Quod in aliquibus morbis, & non in omnibus usque ad statum coctionis sit attenuandus victus, fiet manifestum, si attendamus doctrinam

nam, quam per Valles. ex Hippocrat. Galen. & Avic. audivimus; diximus enim tempora morborum per coctionem & cruditatem materiæ distinguere, ita ut principium morbi sit quando materia simpliciter cruda existit; augmentum quando signa manifestæ coctionis, aut ei repugnantia apparent; status quando perfectæ coctionis sunt signa; sed in augmento morbi intensiora accidentia quam in principio, idcirco augmentum est, & in statu magis; ideo Hipp. in principio, & sine omnia imbecilliora; in vigore verò fortiora esse definivit 2. *aphor. textu* 30. ergo non solum quoad statum symptomatum, sed etiam quoad statum coctionis cibus est attenuandus, cum in hoc statu, accidentia sint cibus valde prohibentia.

Probatur etiam ratione: nam Gal. *comment. 8. aphor. 1.* victum tenuem convenire summo vigori docet, ne natura à coctione distrahatur, & per accidentium intensiorem coctio; ergo in statu quoad ipsam coctionem cibus est attenuandus. Major est certa, Minor probatur, tum ex Gal. expressè docente, tum ratione: de distractione naturæ, non est dubitandum, quod sit accidentium intensio. Major probatur ex Hipp. 2. *aphor. text. 47.* dicenti: *Dum pus conficitur, dolores & febres accidunt magis*; ergo in statu coctionis accidunt majora symptomata, ac per consequens ex utroque capite cibus trahendus est ad statum coctionis.

Sed dices, hæc argumenta probare in statu coctionis esse statum symptomatum & statum morbi: sic cum talia tempora coincidunt non in aliquibus morbis tantum, sed in omnibus, ad statum coctionis cibus est attenuandus, quod erit etiam ad statum accidentium, & hoc est contra coctionem dicentem non semper ad statum coctionis esse attenuandum cibus: ergo non est dicendum. Præterea quia licet tempora non coincidunt in utroque statu, datur ratio propter quam cibus non sit exhibendus: ergo non solum quoad statum accidentium, sed etiam quoad statum coctionis cibus est semper attenuandus. Antecedens patet: nam cibus est attenuandus & propter accidentia & propter coctionem, ut docuit Gal. *comm. 8. citato*; sed status coctionis habet unum impediens, & status symptomatum habet aliud: ergo usque ad statum cibus est attenuandus in omni morbo, quod etiam est contra conclusionem.

Pro solutione difficultatis, & roboratione conclusionis advertendum est in morbis reperiiri & materiam ipsam morbum causantem, & ipsum morbum, & accidentia morbum sequentia, ut docet Gal. *cap. 1. de differ. symptom.* quorum quod sicut debet considerari ut incipit, & augetur, & viget, & declinat, ut *lib. de temporibus morborum* docuit, ita ut etiam causæ dicant diversas mutationes, prout alteratio quæ operatur vivens contra ipsam non est sensibilis, sed causa manet esse talis ut erat, aut coctio manifestat, aut viget contra universalem materiam, aut tandem materia expellitur cum aliqua alteratione contra aliam parvam partem, morbus etiam in sua entitate mutatur modo dicto, sicut accidentia, ratione cujus omnia dicta seorsim possunt considerari, ut incipiunt, augetur, vigent, aut declinant, & sic cujuslibet possunt assignati seorsim diversa tempora, sive omnia coincidunt, sive secus; quorum omnium temporum fecit mentionem Gal. diversis in locis: temporum coctio-

nis & cruditatis, *lib. de crisib. temporum* entitatis morbi, *lib. de totius morbi temporibus*, temporum accidentium, 1. *aphorif.*

Secundò advertendum est tempora morbi, & symptomatum pathognomonicorum necessariò debere coincidere in omni morbo: nam cum tempora morbi constituentur penes hoc quòd morbus in sua entitate sit productus & existat sine incremento aliquo considerabili, & penes hoc quòd sensibilibiter crescat, aut declinet; & hæc mutationes solum ratione accidentium patefiant, quatenus sunt sine incremento considerabili, aut crescant, sensibilibiter vigent, aut declinant; hinc est quòd tempora accidentium & morbi coincidunt, necessaria & accidentia præcedant in ratione causandi eodem modo se habentia.

Tempora verò coctionis & cruditatis possunt coincidere cum his, & non coincidere: ad quod notandum quòd morbus aut servat materiam totam in unam criticam expulsionem, aut secus, ut ait Gal. 3. *de crisibus cap. 1.* si servat, coincidunt tempora coctionis cum temporibus aliis: si non servat, sed paulatim terminatur, non coincidunt. Prior pars probatur: nam si totam materiam servat in unam criticam expulsionem, tota materia causat morbum, quoad alterata materia mutatur morbus sensibilibiter, ita ut divisa tempora habeat, sicut & causa: ergo talia tempora coincidunt necessariò. Major est certa: Minor probatur; nam eo gradu, quo alteratur materia, crescunt accidentia morbi, ut docuit Hipp. *text. 47. cit.* & Gal. *in comm.* Ergo quòd major fuerit alteratio & coctio, majora erunt accidentia, & consequenter erit morbi & symptomatum incrementum & status, ita ut per diminutionem talis alterationis declinatio eveniat: sed per signa coctionis perfectæ manifestè augmentum & status causæ quoad coctionem constituitur, saltem quoad nos: ergo tempora coctionis cum aliis coincidunt, tota materia in unam expulsionem servatur: Quo sensu loquuntur Gal. Valles. & omnes Authores, cum cibus esse attenuandum docent absolute usque ad statum, intelligentes statum coctionis, quia cum eo status morbi & symptomatum necessariò coincidunt in morbis servantibus materiam in unam crism, ut videre est 1. *aphorif.* & 1. *artis curativa ad Glauconem, cap. 13.*

Dum verò tota materia morbi unam criticam expulsionem non servat, sed morbus paulatim terminatur, tempora morbi non debent coincidere, erit quidem possibilis status morbi & accidentium cum augmento, aut cum principio causæ quoad coctionem & cruditatem. Ratio certa est; nam potuit tota materia taliter morbum causare, ut cum cruda existit, omne faciendum faciat, tanquam agens naturale: & cum coctio incipit, plurimum ejus revolvatur, ratione cujus & simpliciter coctionis accidentia crescere debeant, cum non sit totius materiæ antea morbum facientis, sed minoris quantitatis, quia reliquum est resolutum; hinc est quòd potius morbus & eius accidentia remittant, quia ea quæ debent præcedere vi alterationis, non valent supplere quæ à majori mole resultabant: qua ratione Hippocrates 1. *acut. text. 28.* dolores & accidentia remitti docet in pleuritide, dum aliquid excreatur. Quia materia minor fuit. Sic ait: Cum itaque ple-

vitici aliquod notatu dignum excreare & expurgare cœperint, dolores ipsorum illicò sua sponte desinunt.

His positis, probatur secunda pars ulterius: nam quando morbus per unicam crîsum terminatur, habet accidentia intensiora à tota materia procedentia: remissiora verò quando paulatim terminatur per resolutionem aut excreationem materiæ, ut docuit *text. 28. citato*: Sed ratione intensioris accidentium cibus est attenuandus: ergo quando materia est cruda, cibus est attenuandus, quia cum resolvi & excreari incipit, fit coctio, hoc est in augmento, quoad coctionem, etsi quoad entitatem morbus declinet: quod confirmat ipse Hipp. *text. 23. & 25. antecedentibus*, docens cibum esse augendum dum madescit, ut & quò expurgatio fuerit major, quibus in temporibus augmentum & status coctionis est, contra doctrinam Gal. est tamen accidentium & morbi remissio, ut ipse Hippocrat. ubi reddens rationem docuit *textu 28. quo intelligitur rectè dixisse 1. epidem. part. 3.* febres alias ultimis diebus vigere, alias mediis, alias ultimis. Et hæc ratione victum esse instituendum: quasi diceret aliæ febres vigent quando materia est in principio, aliæ quando in augmento, & aliæ quando in statu, prout materia aut paulatim evanescit; aut in unicam criticam expulsionem servatur, ratione cujus in ordine ad hæc incrementa, cibus est præbendus: quo modo patet cibasse Gal. 1. 2. *metbo. cap. 6.* in febre synopali plus in augmento coctionis quàm in principio, quia erat vigor morbi & symptomatum, quando materia erat cruda per dicta: idè Hipp. *text. 22. aphorif. 1.* inquit, movere non cruda, neque in principiis; quod si non intelligeret de principio quoad symptomata, non diceret, neque in principiis, nam cruda solum in principio quoad coctionem dantur.

Manet ergo probatum aliquandousque ad statum coctionis cibus esse attenuandum, aliquando non; at verò usque ad statum accidentium. semper; & sic nihil valere primam objectionem. Ad secundam dicimus, quod licet in morbis qui paulatim terminantur, sit coctio, cum ratione materiæ evacuatae per resolutionem aut excreationem non causent accidentia ita intensa ac antea, non est tantum prohibens ac antea sic in crassum & victus & ad reparationem perditum per accidentium intensorem procedentem: & quia coctio non habet labefactare naturam si accidentia aliàs remissa sint, non tamen idè multum cibi est præbendum; sed plus quàm in statu, accidentium quia & materia magis correctæ est, non valebit ita alimentum corrumpere, & ex alia parte accidentia sunt remissiora, sic minus est quod impediatur; siquidem ipsa sunt quæ potius prohibent & per ea morbus cibus prohibet, magis quàm per aliud: cum verò Galenus, & per ea, & per coctionem cibus esse tollendum docet, in statu, loquitur de morbis regularibus, quia in illis omnia conjunguntur impedientia, scilicet & in ipsis habet veritatem sententia Valles. ac ut Hipp. docet *locis citatis*, per accidentia absolutè cibus non est prohibendus, & sic in ordine ad ipsa cibus est attenuandus.

Contra dicta plura sunt. Primò: morbus potest augeri aut auctâ materiâ, aut intensa putredine, materiâ existente crudâ, etiamsi ad unicam expulsionem tota servetur: ergo in

tali casu non coincidunt tempora coctionis & cruditatis cum temporibus morbi; siquidem erit quoad coctionem & cruditatem in augmento. Principium, & morbus & accidentia etunt, quoad entitatem in augmento. Secundò: in statu morborum salubrium est melior morbus, sed morbi salubres sunt qui servant materiam in unicam criticam expulsionem, malè ergo dictum est statum morbi coincidere cum statu symptomatum. Patet, quia si melior est quàm in principio morbus, accidentia debent esse remissiora. Majorem ostendit Galen. 2. *aphorif. text. 29.* per hæc verba: *Dispositio siquidem ex qua hæc generantur, quam & morbum nominamus, non omninò dum morbus consistit, est fortior, verum in his qui salvari debent multò melior quàm in principio.* Idem repetit *comment. 3.* ergo non coincidunt dicta tempora.

Etsi necessarium non sit ex professo de morborum temporibus agere passim (non est tamen ad augmentum) dicimus quod etiamsi verum sit quod proponit, primum argumentum, non est tamen ad augmentum pervenisse morbum donec materiam alteratam coctione videamus, aut cum signis repugnantibus, quia toto illo tempore antecedenti, una & eadem indicatione operatur Medicus diversa ab subsequente: dum verò solum morbum respicimus, non attendentes ad causam, nec ad id quod ipsa indicat, morbus est in augmento, aut in statu, etsi materia cruda maneat. Ad secundum dicimus Gal. non dicere morbum esse meliorem, quia remissior sit, aut remissiora habeat accidentia; contrarium voluit cum dicat hoc esse quando accidentia sunt fortiora. Dixit dispositionem esse meliorem quàm in principio, quia in statu necessaria est salus, materiâ correctâ; agebat enim de morbis salutaribus: sic ait *comm. 30.* ubi morbi consistunt, necesse est meliores esse in his qui debent sanitati restitui.

Sed dices contra ea quæ dicta sunt supra: Scriptum est in morbis fluxionum tenuius cibandum in principio quàm postea; sed in ipsis debent vigere accidentia magis in augmento, aut in statu, quàm in principio: ergo non est cibandum tenuius in principio; aut non erit universaliter verum cibus esse attenuandum usque ad statum symptomatum. Secundò: omnis febris habens accessiones, est morbus fluxionis: sed in febribus docet Gal. cibus esse attenuandum in statu: ergo in morbis fluxionis non est attenuandus cibus in principio. Major patet: nam accessiones fiunt in febribus, quia pars aliqua recipit humorem facientem accessiones ab alia, ut docet Gal. 2. *de different. febr. cap. ultimo*, sic ait, quæcumque per circuitus aliquos ægritudinum accessiones fiunt, ex membrorum dispositionibus ortum habent, quia scilicet membra aut mittunt, aut suscipiunt, generant, aut attrahunt superfuitates: ergo omnes habentes accessiones sunt morbi fluxionis.

Respondetur ad primum quòd cum cibus sit attenuandus in statu accidentium, & ratione fluxionis sit major impetus & consequenter vigeant ejus accidentia in principio magis quàm postea, cibus est attenuandus magis in principio fluxionum, quia est status quoad accidentia ejus: plus enim debet urgere accidentia fluxionis cum multum fluit, aut multum fluendum, quàm cum parum, hoc est in principio; etsi negari non possit

possit quod respectu morbi qui ex fluxione resultat, aliter sit procedendum, quia minus urget ipse morbus & accidentia ejus, cum parum fluxum est quam cum multum; & sic dum ratione fluxionis cibum attenuamus in principio non ratione morbi ab ipsa fluxione provenientis operamur, sed ratione fluxionis præcisè, etsi ex ipsa morbum talem esse procedat: ad quod accedit quòd fluxio etiam est cohibenda, & cibus qui non augeat fluxionem præbendus, quia morbus qui ex fluxione ortum habet, cibum prohibet, quia major fluxio, & magis fluenda est, & ratione cujus morbus qui continet urget magis quam quod minus fluit, & minus est fluendum.

Ad secundum dicimus in febribus non indicare fluxionem, quia parum est quod semper fluit, indicat quod accessionem particularem facit, parum est, & cum ipsum postea resolvatur, non indicat, ut quando fluxio tumorem facit, quia in hoc casu totum quod fluit cõiungitur & morbum causat: in febribus verò cum quòd fluit pro qualibet accessione parum sit & ipsa resolvatur, non indicat quòd fluit, indicat tamen morbus quòd resultat ratione humoris fluxi: quod cum non indicet ut fluit, sed ut manet, & morbum facit, ipse per se prohibet majora causare accidentia, cibum prohibet, hoc est in statu, si febribus usque ad statum symptomatum cibus est attenuandus, quòd erit usque ad statum accessionis, quando materiam in unicam criticam expulsionem servat, ut accedit regulariter; propter quod usque ad statum absolute cibum esse attenuandum proferunt Authores omnes, quia regulariter omnes status coincidunt, dum in unicam criticam expulsionem non servatur tota materia, sed paulatim morbus terminatur; non usque ad statum coctionis, sed usque ad statum symptomatum cibus est attenuandus, quia status omnes coincidunt, & facultas per symptomata labefactatur, non per coctionem, potiùs in tali casu jam morbus remittit, ut Hippocrates insinuat. Ex dictis constat verum tenere Balle in morbis regularibus servantibus materiam totam in unicam criticam expulsionem, non in aliis.

Dices ulterius: etiamsi tota materia servetur in unicam crisin, non idèd status morbi debet coincidere cum statu coctionis. Ergo. Antecedens patet: nam febres aliquæ interficiunt in principio, aliæ in statu, aliæ in declinatione particularis accessionis, ut docet Gal. 3. de cris. cap. 9. in principio, illæ quæ à crassa & multa materia pendent: ergo tales febres, etiamsi totam materiam in unicam crisin servent, vehementiores erunt in principio. Patet: omnis morbus interficit in deteriori ejus partes: sed tales febres interficiunt in principio ratione crassitiei & multitudinis materiæ suffocantis: ergo in principio erunt deteriora accidentia, ac per consequens non coincidunt omnia tempora. Respondetur quod licet tales febres interficiant in principio, non sequitur deteriorem partem earum esse in principio; esset verò deterior pars augmentum, aut status, si usque ad ipsum perduraret vivens, quia materia illa quæ tantum immutare valebat, si alteraretur, immutaret magis, & intensius & citius aliis, ut patet in omnibus morbis lethali-bus. Quòd si in principio interficiant, non se-

Henriquet Lauree Medica Tom. III.

queretur ipsas non fore deteriores in temporibus sequentibus, solum ostendunt suffocationem in principio valuisse interficere; quod potiùs ostendit melius interficere postea, non suffocatione, sed aliis accidentibus.

QVÆSTIO VIII.

Utrum deterius sit declinare ad tenuem quam ad crassum victum.

IRCA formam victus ægotantium, seu circa quantitatem formæ instituendæ, solum restat examinare quod proponitur. Cum igitur ostensum sit à quo victus indicetur, sive tenuis, sive crassus: & cum conjecturare valde sit, non solum alimenti, verum & cujuslibet remedij quantitatem definire, ut docet Gal. 1. acut. cap. 1. difficilè valde existit exquisitam victus rationem præscribere, propter quod semper timendum est versus eorum, aut alterius extremum declinare; & consequenter ob eandem rationem quid sit deterius querimus. Fecit hanc quæstionem difficilem Hippocrates 1. Aphor. 5. qui sic ait. *In tenui victu ægri delinquant, quo sit ut magis ladantur. Quicumque enim error committitur magnus, major in hoc sit quam in paulo pleniore victu. Propterea etiam sanis periculosus existit valde exquisitus victus & constitutus, quoniam errores gravius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus atque admodum exquisitus, eo qui sit paulo plenior, magis periculosus.* Quibus verbis manifestè videtur docere pejus esse declinare ad tenuem victum, quam ad crassum, cum toties hoc referatur.

Pro hac parte stat difficilis ratio: nam illud est majus peccatum, ex quo plurima, aut majora sequuntur incommoda: sed ex victu recedente per tenuitatem, majora incommoda sequerentur, vires scilicet debilitari; ex recessu per crassitiam potiùs vires augetur, etsi morbus augeatur: ergo majus peccatum est recedere per tenuitatem quam per crassitiam.

Ex alia verò parte stat etiam Hippocrates 2. acut. text. 39. qui sic ait: *Sed perquam modicè additioni excludendum est, ablationi verò in totum intendere sæpe numero prodest, modo sufficere possit firmus donec morbus mutaretur.* Quibus verbis utiliùs esse recedere versus tenuitatem quam versus crassitiam docet. Idem scripsit infra text. 52. in quo recensens errorem factum per tenuitatem, quando cibus erat necessarius, inquit hunc esse minorem. Quod confirmat Gal. in comment. ut videbimus. Ergo videtur Hipp. ipsum contrariari, & non minus Gal.

Ut hæc contrarietas & difficultas solvatur, diversimodè respondent Autores aliqui distinctione, qui respondent dicendo, aut peccatum esse in principio morbi, aut in statu: hoc est, aut peccatum esse quando morbus permittit cibum crassiorem, aut quando tenuiorem: Et dicunt quòd in principio majus peccatum est declinare ad tenuem, quia tollitur magis de requisito, quam ad crassum, quia tunc additur de illo quod permittit; secus verò in statu, majus peccatum est declinare ad crassum ob contrariam rationem. Qui modus dicendi eandem doctrinam

nam servat ac Vestraquellius qui *super Aphorism. 5. citat.* docet in ipso loqui Hippocratem de morbis longis in quibus majus est peccatum declinare ad tenuitatem, quia morbus longus plenior victum ratione virtutis petit, secus verò morbus acutus; & sic de isto loquitur *2. de victus ratione*, dū inquit, utiliùs esse declinare ad tenuitatē.

Cum hæc doctrina una sit, utrumque placitum eodem modo impugnat. Secundò, quia Hippocrates utramque sententiam absolute profert, agendo de morbis longis & acutis, ut constat *text. 4.* antea citato, in quo de omnibus agit, ut docet *in comment.* Gal. per hæc verba. *Minus emendabiles sunt noxæ præcedentes à peccato in crassitie victus, in morbis præcipue.* Ergo de omnibus morbis loquitur Hippocrates, & etiam de temporibus omnibus ejus; & consequenter tales dicendi modi non possunt coherere cum Hipp. quòd sine distinctione morborum & temporum ejus loquatur.

Secundò. Nam quod facit comparisonem unius erroris ad alterum, supponit esse æqualem recessum; ergo sive sit in principio, sive in statu; sive in morbis longis, sive in acutis, debuit esse æqualis recessus ab eo quod petit facultas pro tunc; ac per consequens nihil interest petere tenuem aut crassum victum, quia ab illo quod petit est recessus æqualis, aliàs nulla foret controversia: nam recessus inæquales essent, si ponamus majus peccatum esse in majori recessu. Nec tollit esse æqualem quemcumque recessum, quòd morbus petat hunc aut illum victum: siquidem non idèò versus illam differentiam habet majorem latitudinem: quòd si haberet majorem latitudinem, concedamus, dum dicimus, esse peccatum, seu errorem; nam dicimus esse ultra latitudinem requisitam, aliàs unus recessus esset error, & alius non.

Tertiò. Nam in quacumque comparatione cætera debent esse paria, excepto illo in quo fit comparatio, ut *1. de aliment. facult. c. 2.* docuit Gal. per hæc verba. *Oportet enim sepe ea de quibus agitur, ità accipere, ut quæ inter se comparantur in illis dumtaxat de quibus agitur multò desiderant.* Sed comparatio est de peccato in tenuitate aut crassitie victus: ergo debet paritas in cæteris in modo, in tempore, & in omnibus aliis, ac per consequens propositio absolute est intelligenda; ità ut sit majus peccatum unum aut alterum; cæteris paribus, contra doctrinam Hippocr. & Gal. non unum in uno morbo, & aliud in alio. Ex quo manet non rectè quæstionem de peccato in morbo acuto aut chronico intelligi per recessum in tenuitate aut crassitie: nam esset diversitas in alio, propter illud in quo fit comparatio.

Vallesius quem sequitur Salmanticensis *8. controvers. cap. 1.* majus peccatum judicat recedere à mediocritate cibi requisita per crassitiem, quàm per tenuitatem. Ad quod notat, quod cum victus ratio debita sit instituenda prout permittit morbus, & vires indigent, ut permaneant usque ad statum, contra doctrinam Hippocr. & Gal. *1. Aphor. & 2. acut.* dicentium, conjicere autem oportet, & robur, & morbi speciem seu modum, non tamen ita victus ratio debita instituenda, ut solum morbi accidentia respiciat, ut alimentum pro conservatione virium requisitarum pro ipsis exhibeatur, sed aliquantulum potius quod sufficiat non solum pro morbo & accidentibus ejus, verum etiam pro erroribus

qui succrescunt, & qui in morbis accidunt, sive ratione ipsius ægotantis, sive ratione Medici, aut assistentium, ità ut victus mediocris sit qui valeat vires requisitas pro tali morbo & accidentibus ejus, & pro erroribus communibus, per cujus excessum peccatum instituitur: Et tunc, inquit, majorem esse errorem recedere per crassitiem, quàm per tenuitatem, cum Hippoc. & Gal. quia noxas ex multo alimento non nisi per inedia tollunt; noxas verò ex diminutione alimenti alimento tollunt.

Hæc doctrina etsi quoad entitatem conclusionis vera sit, ut dicemus, non est admittenda, circa illud quod de victu mediocri pro viribus valentibus ad morbum & ad errores docet. Primò, quia talis victus mediocris à nullo ex Antiquis & Recentioribus institutus est gratis & sine fundamento. Præterea: nã aut victus mediocris est simpliciter requisitus in tali casu, aut nõ: si primò; ergo sicut recessus per augmentum & recessus remediū, ac per consequens nihil ad rem ratione errorum requiratur, erit tantum differentia ratione remedij, non ratione alius per quod requiritur. Si verò non est simpliciter requisitus victus qui datur pro erroribus, non exhibendus; nam datur aliquod per se & necessariò nocens quod contingens est utile esse: ulterius; nam tali casu recessus per tenuitatem nec esset peccatum, nec error, quia tolleretur quod non erat necessarium, & quæstio est de errore per recessum ab illo quod requiritur quis sit major, & sic debet supponi æqualis recessus, qui errorem instituerit.

Pro solutione quæstionis advertendum est non dubitari de recessu trahente ad extremum; nam hoc modo non magis quàm unum, alterum peccatum lethale est: siquidem tam per defectum virium, quàm per magnam alimenti ingestionem vivens deficit pluries; & citius advenit mors, multò exhibitò alimento, quàm incommoda à tenuitate; siquidem illo modo apoplexia & syncope pluries accidit, à quibus & mors subita: isto non semper mors, aut non subita, & sic de omni errore est dubitandum, qualis accidere solet ex imperfecta conjectura quæ ad nesciendam quantitatem cibi, & cujuslibet remedij alterius requiretur, qui parvus debet esse & æqualis, tam ex una quàm ex altera parte, de inæquali enim errore non est dubium.

His positis, vera sententia, est quam docuit Gal. ex Hippocrate *2. acut.* majus scilicet peccatum esse recedere in morbis per crassitiem quàm per tenuitatem, ut videre est *text. 39.* super illa verba, ciborum adjectioni intendendum multò minus, sic ait Gal. nempe quod exuperat noxas inemendabilis est; verum quod minus est, facile emendatur. Quibus verbis non solum placitum confirmatur, verum & ejus rationem reddit, dicens, deterius esse recedere per crassitiem, quia non ità facile est medicamentum ad recessum auferendum exhibere, ac est exhibere alimentum, quando ipsum deficit. Quod etiam *text. 51.* docuit Hipp. proponens errorem factum per exhibitionem alimenti, quando ipsius non datur necessitas, aut per ablationem alimenti, quando ipsum est necessarium: nam agens de ultimo sic ait: Periculis apertum erratum hoc, sed longè minus quàm alterum: ergo de sententia Hipp. & Gal. deterius est declinare ad crassum quàm ad tenuem victum.


Hujus doctrinæ ratio est quam *in comment. 39.* adducit

adducit Gal. nam illud peccatum majus est cuius remedium difficilius est, aut majori cum periculo exercetur; sed peccatum in crassitie difficilius remedium habet, quia ipsum majori cum periculo exercetur; quam peccatum per tenuitatem: ergo deterius est recedere à mediocritate per crassitiam quam per tenuitatem. Major est certa: nam error qui facile & absque periculo, corrigitur, levior est: Minor probatur, nam ea quæ resultant, ex peccato in crassitie per quam remedium indicatur, non nisi medicamento expurganti auferuntur, quod non nisi cum periculo exhibetur in morbis propter plures dispositiones quæ ad exhibitionem requiruntur, & difficulter cum morbis conjunguntur: debilitas verò quæ ex tenuitate cibi subsequitur facile alimento reparatur, quod non tot dispositionibus eget, ut exhibeatur, neque tanto cum periculo: ergo deterius est peccatum in crassitie quam in tenuitate. Hoc placitum confirmant ea quæ per sanitatem eveniunt, ad cuius similitudinem victum esse instituendum in morbis docet Hipp. 1. acut. textu 20. sed in sanis parvum aut nullum damnum experimur, per recessum, versus tenuitatem, magnum verò periculum versus crassitiam: ergo deterius est declinare ad crassum quam ad tenuem victum. Major constat loco citato. Minor est manifesta: ergo & consequentia.

Quæ pro contraria parte nihil probant contra nos: nam Hipp. aphorif. 5. non intendit docere quòd sit deterius declinare ad tenuem aut ad crassum victum, sed intendit docere quantum expedit non exhibere victum tenuem in morbis in quibus non convenit. Et cum hoc docuisset text. 4. in ejus confirmatione textu 5. inquit, esse majores errores qui fiunt quando tenuis est victus, quam quando crassus; quia facultas non potest eos tollere: quod non est dicere deterius esse declinare ad tenuem quam ad crassum victum; sed periculosiores esse errores in tenui victu ob rationem dictam. Ex quo deducitur contra Vall. malè dixisse victum mediocrem esse qui est & pro erroribus & pro modo: nam si hoc ita esset, qui uteretur victu requisito, cum victus esset pro erroribus, non graviores forent errores; haberet enim victum conservantem facultatem pro ipsis. Contra hanc doctrinam deterius esse declinare versus tenuitatem, quam versus crassitiam, conclusio est falsa: antecedens est præter naturam, Ille victus est deterior in quo ea quæ accidunt deteriora sunt: sed in virtute morbi errores qui accidunt sunt deteriores & molesti magis quam in crasso: ergo deterius declinare ad tenuem quam ad crassum victum. Probatur: quòd licet verum sit errores in victu tenui deteriores esse, & molestius tolerari, rectè dictum est deterius esse declinare ad crassum victum, quia aliud est dicere de eo quòd accidere potest in hoc aut illo statu, aliud verò qualis sit major error accessus aut recessus ad crassitiam, aut ad tenuitatem: de hoc dicimus deteriorem errorem esse recessum ad crassitiam, quia inemendabilis est, secus atamen de alio verè dicit Hipp. majores esse errores evenientes victu tenui, idest quando facultas est debilis, quòd non tollit talem debilitatem factilius emendari, & consequenter talem recessum minorem esse quam alterum. Ad quòd facit locum Hipp. de accidentibus, seu con-

tingentibus in victu tenui quæ non eveniant necessariò, sed contingenter accidunt, non constituunt talem recessum periculosum necessariò & ex se, sed accidentaliter, ex se tamen deterior est recessus ad crassitiam propter dicta.

Ad rationem: præterquam quòd licet deterius sit vires debilitari quam morbum augeri, cum facilius corrigatur unus recessus, quam alter, & id quòd ex uno subsequitur facilius emendatur quam alterum, in his est quòd majus peccatum & deterius sit declinare ad recessum morbum augmentem, quam ad alterum vires debilitantem; præterquam quòd ex augmento morbi, non possunt non etiam debilitari vires.



QVÆSTIO IX.

Utrum tempora indicent aliquam vitus speciem.



X dictis 9.8. multa pro solutione hujus Quæstionis constant. Diximus alimentum esse attenuandum in statu accidentium; & cum hæc intensiora semper sint in accessionibus ipsis, ut 1. aphorif. comm. 12. scripsit Gal. per hæc verba. Per accessionem oportet intelligere deterius tempus totius circuitus, quòd est à primo insultu usque ad tempus consistendi. Manifestum est tempora particularia specialiter cibum prohibere: sunt enim ipsa in qualibet particulari accessione; idèd particularia dicuntur tempora quæ particularis humoris portionem sitiunt, & quæ secant tempora universalialia: Ob quòd Hippocrat. 1. aphor. textu 11. sic ait, In accessionibus abstinere oportet: nam cibum dare nocivum est: quòd secutus in controversia Gal. repetit per hæc verba: Quando nec cum jam adsunt, nec ita multo post assutura sunt accessiones, cibus dandus est; sed cum declinant, aut cessant.

Ex dictis patet tempora particularia esse deteriorem occasionem cibandi, & consequenter tenuiorem victum esse exhibendum in ipsis. Dixi tenuiorem victum, cum enedia sit exquisitè tenuis victus, & nullum victum esse exhibendum in accessionibus dicit Hip. Tenuiorem victum in extremo indicare tempora particularia apparet, quatenus ex facultate alimentum petente, & ex parte morbi determinante tanquã prohibente, sumitur indicatio completa, hæc aut illa alimenti differètia, seu victus ratio instituitur, & inde constat cibum esse præbendū, si possibile fuerit, juxta regulas datas tempore intermissionis, ut docuit Gal. cap. 11. citato, ex doctrina Hipp. 2. acut. text. 39. hæc sunt verba. Cum ab aquatione forbitiones exhibere volueris, observa febrim accessiones, ut nec cum adsunt, nec cum venturæ sunt, eas ingeras, sed cum jam finitæ sunt, aut conquietæ. Et cum maximè ab initio distare videntur, ob quòd infra & 1. acut. dixerat cibum esse interdendum cum pedes frigidi sunt, præbendum verò cum calidi, quia illud accessiorem incipere significat, hoc declinationem. Dixit verò Gal. declinationem partem paroxysmi, seu accessionis, non esse, quia accidentia jam cessant, ut videre est 1. aphorif. comment. 12. citato.

Cum pluries accidat taliter accessiones repetere,

tere, ut non solum febris omninò non cesset, licèt & una accessio, parvâ aut nullâ interpolatione positâ, alia adveniat, restat adhuc scire quo tempore accessionis particularis cibus est præbendus, ut minori cum noxa procedamus: nam licèt vi accessionis cibus omninò sit interdicendus, cum ratione facultatis operandum sit, & hujus major sit urgentia, ita ut aliquid exhibendum alimenti, etsi tenue, quarimus quando sit præbendum, quod est querere, quæ tempora ex particularibus prohibent, & quæ minus. Circa quod videtur magis prohiberi sæper, principium particulare ac per consequens cibum esse prohibendum, quò magis à principio accessionis futuræ & præcedentis recedat, aut distet affectus. Quod ostendunt, Hipp. & Gal. *locis citatis*: sic ait Hipp. 4. *acut. textu* 34. neque cum adsunt, neque cum venturæ sunt accessionis, cibum ingeras, sed cum jam finitæ sunt, & cum maximè ab initio distare videntur. Et 1. *acut. textu* 46. per hæc verba; *Etenim pedibus frigere affectis, non solum à sorbitione, verum etiam à potione maximè abstinendum.* Hujus rationem reddit antea, ex eo quod frigiditas in pedibus signum propriæ accessionis est, sic ait *text.* 34. Siquidem refrigerati pedes magna ex parte, iam affuturam febris accessionem significant: ergo alterius accessionis tempus ad cibum principium est, ac per consequens ab ipso fugiendum semper. Propter quod etiam Gal. *comm.* 11. *aphorismi citati* sic scripsit: *Nec cum jam adsunt, nec cum eff. turæ sunt accessiones, cibum præbeamus.* Quam doctrinam accipiunt Ball. *lib. meth. cap.* 9. sic ait. *Ad cibum præbendum totam accessionem, si fieri potest, cavebimus, similiter usque ad inclinationem, quod si ne id quidem licèt, saltem accessionis vitabimus in circuitu & tres ante illud horas, nisi in quibus est fluxus acris ad os ventriculi.*

Pro hac parte stat etiam difficilis ratio: nam illa pars accessionis magis prohibet cibum quæ habet accidentia deteriora, & magis molestantia naturam, ratione cujus in accessionibus non est præbendus cibus: sed hæc sunt deteriora in principio: ergo. Minor probatur, nam in ipso suffocatur calor natus ob revocationem humoris ad intra, ut fatetur Avic. tempora morborum definiens *fen.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. Sed deterius accidēs ad cibum præbendum est suffocatio, cum vapores & fuligines, ex cibo eleventur, quæ ad suffocationem faciendam adjuvent: ergo deterior occasio ad cibum, principium particulare est.

Nobis tamen videtur dicendum, quod quando possumus, occasio ad cibum quærenda est, considerato statu præcedentis accessionis, & principio venturæ, ita ut quantum possibile fuerit, ab utroque recedamus: at cum accessionum repetitio talis est ut in ipsa accessione cibus sit præbendus, inspicere oportet partem affectam, & morem morbi, cum ventriculus aut hepar affigūtur, fugiendum est principium accessionis futuræ, ne materia suffocans jungatur cum cibo & gravetur: attamen primò materia pauca sit, & phlegmon deficiat, seu in partibus existat externis, non erit inutile cibum juxta principium exhibere. Quod totum ex professo docuit Gal. 11. *meth. cap. ult.* per hæc verba. Corpus ad nutrimentum præparat: opportuno tempore ex duplici conjecturato respectu, nempe summo præcedentis accessionis vigore, & futuræ principio. Et *infra* sic ait: siquidem ubi jecur, aut ven-

tricus phlegmone præhenditur, perniciosissimum est ante accessionem cibare, ubi hæc absunt, quibus infirma est virtus, validissimum agebat, quando non est alia commodior interpolationis occasio. Quod repetens, sic ait. Nam visceris phlegmone, aut succorum redundantia motus ad interiora in accessionibus pollet, nihil offendet paulò antè cibans: similiter si aut phlegmone aut redundantia subsit, cavenda est ante accessionem cibatio, ut res maximè noxia. Quibus verbis manifestè docet cum semper occasio cibi quærenda sit, considerato statu accessionis, & principio venturæ, ad statum esse accedendum, quando phlegmon est interius, aut magna est quantitas gravans: cum verò phlegmon deficit, & quantitas quæ retrocedit parva est, accedendum ad principium accessionis futuræ ob rationem dictam.

Uterius inquit Gal. in ipso *cap. ult.* 11. *meth.* quòd quando calor non est valdè intensus, est tamen cum siccitate valdè conjunctus, in ipso statu utendum est humectante cibo, secus attamen si calor intensus sit, sic ait: in summo vigore notabit an citra magnitudinem caloris siccus sit & calens, an citra in calorem ruens: priorem namque humectante victu madefacere quàm primò oportet: in secundo, dum plurimum caloris se remittat expectare: cujus dotis ratio est, quia quando calor non est intensus, non sunt accidentia prohibentia cibum, prohibetur etiam, ut dictum est, ratione intensificationis accidentium; & sic tunc in statu cibus potest exhiberi non vocando calor, ut utens seu intensus est, quod jam tangit non rationem genericam cibandi, sed methodum specialem; cum in tali casu cibus qui prohibetur in statu ratione humectationis quæ requiritur ut exhibeatur non præcisè ut cibus; qua ratione etiam in principio accessionum cibare consulit Galen. in Picrocolis, seu in his qui calidi & siccissimi sunt aut ex natura, aut ex morbo, ratione accidentis, seu dissipationis evenientis ex bilioso humore ad ventriculum fluente, ut patet 8. *meth. cap.* 2. in quo Gal. referens historiam cuiusdam febricitantis calidæ & siccæ naturæ, quem ad perniciem per inedia Medici traherant, donec ipso accedente, & cibum præbente, sanitati fuit æger restitutus.

Ex quo patet occasionem cibandi ex temporibus morbi specialiter desumi, quatenus cibus à facultate indicatus ratione temporum morborum augetur vel, minuitur, ita ut tenuior aut crassior exhibendus ratione temporum universalium, aut absolutè sit præbendus, aut attenuandus ratione temporum particularium: qua ratione 1. *aphor. com.* 8. Gal. sic ait. Hæc igitur tibi sit una indicatio ad victûs rationem transumpta ex morbi temporibus, ut constat, quod licèt alimentum à facultate indicetur, scriptum est victûs formam à temporibus morbi principaliter desumi, seu determinari, quatenus ipsum alimentum generali ratione indicatur, tenuius aut crassius exhibetur ratione temporum morbi, quod supra diximus esse seu indicare victûs formam seu rationem à facultate cum ordine ad morbum quando sub una alimenti ratione exhibetur, licèt ambo cum ordine ad facultates, quando ut medicamentum propinatur, juxta illud 2. *acut. text.* 36. ubi Hipp. inquit, conjicere autem oportet, & robur, & morbi modum, &c.

Ex hac doctrina deducitur facilè tempora omnia morborum, & morbum ipsum indicare victus rationem, & esse ut indicantia, ex eo quòd propter ipsum morbum & partes ejus atgetur, aut minuitur alimentum quod petit facultas: sed diminutio aut augmentatio illa non indicatur à facultate: ergo à morbo, seu ab eius temporibus: sed sic est quod per augmentum, aut diminutionem alimenti, constituitur forma victus in esse tenuis aut crassi: ergo forma victus à temporibus morbi seu à morbo ipso indicatur: qua ratione etiam virtutem erfi indicare remedia dicamus & ideo nec curatorie indicare, tamen in curatione non negamus, tum quia suam conservationem indicat, tum quia ad ipsam applicationem remediorum virtus est, non indicat remedia, & indicat tamen modum utendi ipsis, quatenus permittit, aut secus: sic nec morbus nec eius tempora alimenta indicant. Modum verò seu formam eorum quod est victus rationem indicare. Fiet hoc manifestum si videamus Hipp. 1. *aphorif. text. 11*. dicentem, *In accessionibus abstinere oportet, &c.* sed victus tenuissimus extrema est inedia: ergo ab accessionibus hoc est à morbo, & à temporibus eius inedia indicatur: ac per consequens victus forma cum quo non nego respectum seu ordinem quæ ad facultatem debet habere Medicus ut sumat talem indicationem; sed assero indicationis essentiã ab accessione inedia indicari, cum ordine ad facultatem, id est non existente aliquã debilitate speciali: propter quam cibus esset præbendus; nam tum jam non esset regulariter operari, sed coactè.

Sed dices: tunc inedia non exhiberi indicatione sumptã ab accessione; sed à facultate cibo non indigente; siquidem ob hoc non exhibetur tantum. Contra est, quia agens Hipp. de occasione cibandi, inquit esse abstinendum in accessionibus, non verò extra ipsas. Quod debet intelligi ceteris paribus in facultate: ergo inedia tunc ratione accessionis est cum cibus est præbendus accessione transacta, ut suprã ex Hippoc. docuimus. Ad quod facit facultatem adhuc debiliorem esse tempore accessionis, & sic magis alimento indigere: ergo quod attenuetur ab accessione est, non à facultate: quod patet: cum si facultas valeat, non sit alimentum exhibendum, nec ab ipso facultas patiat, causã morbi auctã. Cur Gal. quiesciendum esse in statu doceat, *cap. 40. de optima secta*, ratione facultatis, dicemus infra.

Contra hoc stat communis Medicorum consensus, affirmans tempora morborum nullatenus indicare victus rationem aut auxilia. Quod constat ex Gal. *lib. de optima secta, cap. 40.* docente ex professo morborum tempora non indicare. Probat hoc Gal. admonens assistentes prohibentes seu non permitentes aliquid operari erga infirmos: post quæ sic ait: quemadmodum istorum nullus quispiam rectè sentiens, propositum verò caverit, ita neque tempora, eò quòd auxiliis, aut cibus ut impediatur proposita esse affirmavimus. Gal. tempora nec cibum, nec auxilium indicari, quod de alimentis seorsim docet *cap. 43.* per hæc verba. Quam vim in exhibendis remediis facultas gerit, eadem in dandis cibus morbi tempora: sed constat facultatem non indicare remedia, sed potiùs prohibere: ergo morbi tempora non indicant alimenta. Contra quam doctrinam

locutus fuit *cap. 25.* dum hæc scripsit: *Deinceps nec morbi tempora utile indicare declaravimus:* ergo ex mente Galeni tempora morbi non indicant.

Hanc partem probant Authores rationibus ejusdem Gal. 1. quia, ut ipse inquit *cap. 40.* Assistentes prohibentes non dicimus indicari, sed morbi tempora prohibent operari: ergo non indicant. Secundò quia, ut docet *cap. 43.* 1. minui alimentum indicaretur ad incrementum morbi, & non à facultatis debilitate, sequeretur in convalescentibus multum cibi esse præbendum; sed in ipsis parum exhibemus ob debilem facultatem: ergo ab ipsa indicatur parum in statu, non verò à morbi tempore. Qua ratione etiam *cap. 40.* ob debilitatem facultatis quiescendum esse in statu, operandum verò in principio ob eius fortitudinem, contra mentem Hipp. 2. *aphor. text. 29.*

Tertiò sic arguit Gal. *cap. 43.* Si morbi principium cibum esse detrahendum indicat, in omni principio, & in tota eius duratione erit detrahendus, quod esset in vitelgine & similibus morbis. Quartò sic arguit: Si in statu cibus est minuendus ratione temporis, & in declinatione pulmonia quam in statu lititudinis: sed hoc est absurdum: ergo non est dicendum cibum paucum aut multum indicari à temporibus morbi.

Quintò sic arguit *cap. 45.* Quod indicat differentias alimenti, genus eius & indicat, ac per consequens neque quantitas, neque qualitas alimentorum à temporibus morbi indicatur: non est intelligendum per qualitates qualitas quæ valet agere alimentum; sed quam formã alimenti constituit, ut dictum est: nam de qualitatibus medicamentosis, non erat dubium à morbo indicari. Tandem arguit: nam morbi tempora indicant cibi quantitatem aut qualitatem, vel per sui ablationem, vel per sui conservationem: hoc non, quia non sunt conservanda; non illud, quia non contrariatur quantitas aut qualitas sub ratione alimenti temporibus morbi: ergo non indicatur ab ipsis. Quo argumento etiam probat Gal. nec remediorum differentias à temporibus morbi indicari: siquidem unum esset pluribus contrarium, quod est absurdum: Contrariaretur enim alimentum tale, aut tantum pluribus temporibus: sic Gal. ait, hac eadem ratione effecit ut ne remediorum differentias morborum tempora indicent.

Hoc dubium tetigimus super *librum 9. meth. cap. 15.* cibum diximus tempora morborum verè indicare curatorie, quatenus per ea deducit remedium conveniens, & prout partes morbi sunt, sui ablationem per sua contraria indicantes, & quatenus ratione mutationis causam etiam diversam insinuant remedia, vel tempora morbi pro causa mutatione constituentur. Concocta medicanda esse docet Hipp. atque movere, non cruda, sed per hæc constituitur principium, & per illa declinatio: ergo tempora verè indicant curatorie, cum & ut partes morbi sunt, & ut per mutationem causæ constituentur, diversum remedium indicent.

Pro hoc placito facit etiam quod id debemus dicere indicare in curatione ratione cujus immutatur, id quod est faciendum; sed ratione temporum morbi, id quod est faciendum immutatur: ergo tempora morbi in curatione indicant. Con-

firmatur : nam morbus indicat prout est ; sed semper est morbus, aut in principio, aut in alio tempore : ergo indicat aliquod tempus morbi. Nec valet si dicas non indicare tempora pro ratione temporum, sed pro ratione morbi : nam contra est, quia morbus indicat remedium æquale cum intensioe sui : sed ratione hujus aut illius temporis habet intensioem aut remissionem : ergo ratione eorum indicat, præcipue cum nulla alia entitas morbi reperiatu r indicans quàm entitas principii, aut augmenti &c. ac per consequens entitas temporum indicat remedium usum : qua ratione Gal. 9. *Meth. capit. 14.* scripsit, ex quatuor febris temporibus occasionem auxiliorum deduci.

Quoad victûs rationem clariùs 1. *aphor. comment. 8. citato*, in quo Gal. ex morbi temporibus indicationem ad victûs rationem sumi docet, ratione cujus minùs esse attenuandum alimentum in principio, magis in augmento, & magis in statu ex Hipp. scripsimus : ergo indicant victûs rationem. Pro quo facit id quod de remediis dictum est : ob morborum tempora victûs ratio immutatur : ergo & ipsa indicat : unde dicendum est non indicare victûs rationem id quod considerari est necessum, ut hæc aut illa victûs ratio constituatur ; ideo Vall. 1. *Method. cap. 6.* ostendens morbum & omnes eius partes, id est ejus tempora, cibum prohiberi, etsi inæqualiter, sic ait : Cibum dari sola facultas petit, tamen ejus quantitatem solum cum facultate indicat morbi tempus, non per se petens, sed per facultatem, & permittens : ergo non est negandum morbi tempora victûs ratione indicari.

Difficultas tantum stat quomodo intelligendus sit Gal. qui *lib. de optima secta*, contrarium videtur docere ; intelligetur facile si mentem ejus percalleamus : ipse enim, nec negat, nec potest negare ratione temporum morborum victûs rationem & remedium immutari potius, cum certum sit, indicatione sumpta ab ipsis, ita fieri, hoc fateatur esse fundamentum ; propter quod Methodici tempora indicare crediderunt, *c. 39. de optima secta*. negat tamen ipsa tempora indicare remedia aut alimenta tanquam potentia, quod de alimentis manifestum est : idè non indicare alimentum, certum est, quod non tollit tempora morborum victûs rationem indicare, quatenus facultate petente ratione temporum in hac aut illa exhibetur forma, & victûs ratio instituitur conveniens, quod indicatione sumpta ab ipso morbo & temporibus ejus, & aliàs facultate eodem modo se habente, victûs ratio erat immutanda, & non eadem extra accessionem, & in ipsa facultas, & sine sensibili immutatione pluries : ergo non ab ipsa diversitas illa indicatur in alimento, sed à morbo, etsi ipsa tantum alimentum petat, & morbus permittat, vel secus, ut constat Galenum, docere tempora morbi alimentum non indicare, indicare verò victûs rationem.

Circa remedia difficultas major est, circa quod 9. *meth. cap. 15.* diximus non posse Gal. sustineri si verè *lib. de optima secta*. negat remedia indicari à temporibus morbi : Quod si dicas intelligi de formalitate temporum, quatenus principium aut augmentum est formaliter, quia certum est principium ut tale non indicare petendo, indicat verò ut quid præter naturam, sui ablationem per contraria, ad quod per accidens se ha-

bet, esse principium aut augmentum ; non potest negari augmentum, ut augmentum, intensius remedium, & diversum petere & indicari quàm principium, cum remediis æqualibus debeat fieri curatio ; & ex alia parte diversitatem aliquam dicant hæc tempora aut in se, aut in causa, per quam constituunt, & sic diversum petunt remedium, ac per consequens indicare est dicendum, non solum remedia, verum eorum differentias, & modum utendi.

Verius tamen mihi videtur Gal. non conari docere ex professio tempora morborum non indicare absolute, sed intendens ipse docere non indicare alimentum, inquit : Victûs ratio, per quam crediderunt indicare Methodici, non probare quod indicent, & consequenter ob hanc rationem nec remedia indicant tempora, quod constat : nam postquam *cap. 39.* dixit Antiquos docuisse indicare tempora, quia non omnia erant apta ut cibus aut remedium exhiberetur, *cap. 40.* in quo absolute non indicare docet, assumptum probat ex eo quod prohibere non sit indicare, aliàs externum prohibens, indicans diceretur, & sic cum tempora prohibeant cibum, non debent dici indicantia. Quod etiam de remediis intelligit, cum doceat Hipp. incipientibus morbis esse operandum, vigentibus verò, quiesciendum, quod prohibere est vocat : non ergo indicantia proposita, id est postulantia, qua ratione indicatum postulatum appellat, *cap. 40.* & sic rectè concludit tempora non quia prohibentia debent dici indicantia cibi aut remediis, sed quia postulantia ; & cum morbus & ejus partes postulent auxilia, ut cuilibet notum est, & renuant alimentum, idè non indicare alimentum est dicendum, maxime verò remedia ; quod non tollit victûs rationem indicare, quatenus indicatio est sumpta à morbo & à partibus eius instituitur : qua ratione (etiam est sumpta à morbo) etiam indicare virtutem in curatione diximus, non quia ex se indicet remedia ut potens, sed quatenus indicatione ab ipsa facultate sumpta taliter applicatur, seu immutatur.

Hoc etiam erit notum si legamus *cap. 42.* in quo Gal. intendens docere facultatem non indicare remedia, sed cibum, inquit remedium non petere, sed prohibere, sic ait. Quoniam id quod requiritur prohibere, ne accipiatur facultas, valet ob id remediis propositum nequaquam est. Quibus verbis manifestè docet non rectè sequi indicare remedium, quia prohibeat facultas, quod non tollit indicare contra modum exhibendi, quia licet ipsum remedium facultas non postulet, taliter exhibendum esse, requirit, & petit : quod idem est intelligendum de temporibus in ordine ad morborum cibum. Probatur quod Gal. *cap. 43. sequenti*, ut assumptum probet, sic ait : *Quam vicem in exhibendis facultas gerit, eandem in dandis cibus morbi tempora, & ut ad remedia se habent eorum appetentes causas, ita ad alimentum facultas intendit* : ergo docet Galenus non sequi indicari aliquod quia prohibetur, sed quia petit.

Sed dices, *cap. 40. & 43. citatis*, Galenus docet diminutionem cibi ratione debilitatis facultatis esse non ratione accessionis seu incrementi morbi, ergo non indicat attenuatio à facultate & tempore morbi. Antecedens probatur : quia si incrementum faceret exiguum esse escam

in convalescentibus non esset exhibenda exigua; sed in ipsis exigua exhibetur: ergo non ab incremento indicatur diminutio cibi, ac per consequens non à temporibus indicatur victus ratio. Respondetur certum esse incrementum aut morbi tempus non esse adæquatum indicans cibi, aut victus rationis, sed quatenus existente facultate cibum petente morbi tempus indicat taliter esse exhibendum: quod non tollit à facultate tantum talem victum indicare, dum id petit; ac verò quod ab ipsa non indicetur, quando incremento existente, exhibetur talis victus, quia facultati forti existenti in augmento morbi (quod non implicat) victus tenuis exhibetur qui non exhiberetur, si morbus non esset: ergo non quia talis victus à facultate petatur, petit enim crassiores, sed quia ratione incrementi talis est exhibendus. Hippocrates verò & Gal. non negant à facultate & à morbo victus rationem indicari, ut constat 2. *acut. tex. 36.* asserunt tamen non indicari ab incremento alimentum, sed à facultate petente, quod est verum, quia ipsa alimentum petit, non morbus; quo solvitur secundum argumentum Gal.

Ad alia quæ posita sunt, respondetur ad Gal. dictum est ipsum non negare tempora morbi indicari inedia & remediorum usu, nec negare ipsa indicare victus rationem; negare verò tempora indicare alimentum, & negare id quod prohibet indicare, & sic ob hanc rationem tempora neque cibum, nec remedia indicare. Falluntur equidem qui intelligunt Gal. negare tempora indicare remedia, negat tamen rationem propter quam Antiqui indicare credebant sufficientem esse, cum prohibere, non sit petere, quod est indicare. Nos autem ostensum habemus prohibentia non indicare ea quæ prohibent, indicare verò ea quæ petunt, id est modum, seu rationem utendi, quæ petitur ex tali petente, & tali prohibente, ut inde deducamus talem rationem victus, seu utendi remediorum, convenire & indicari ex utroque conjuncto. Cum verò Gal. dixit *cap. 45.* hac eadem ratione efficit ut ne remediorum differentiam morborum tempora indicent, non docet remediorum differentiam non indicari à temporibus morbi, sed quod per illam rationem per quam probabat cibum non indicari ab accidentibus, probabatur nec remediorum differentias ab ipsis indicari, quod verum est, non unum pluribus potest contrariari, & sic ut unum alimentum tale aut tantum non poterat opponi pluribus, sic unum remedium non poterat pluribus opponi temporibus: hoc tamen non tollit per alias rationes constare tempora morborum, auxilia & eorum differentias indicare.

Sed dices: Si incrementum ut incrementum, petit aliquod remedium, aut aliquam victus rationem, non debere indicari ab alio: sed potest aliquis morbus in principio sui habere intensionem, ac alius morbus in augmento, & in tali casu indicabitur in principio idem remedium & alimentum, ac alius morbus in incremento: ergo non indicabat incrementum ut tale illud. Respondetur ex dictis, quod cum non sit adæquatum indicans victus incrementum, poterit ab alio indicari, quod idem intelligendum est absolute de remedio quoad intensionem: at verò si incrementum indicat remedium speciale prout specialem rationem habet, distantiam à principio, per intensionem non indicabitur nisi ab ipso.

Ad primam rationem, Respondetur indicantia dici illa quæ ex propria natura habent facere ad exhibitionem remedij vel cibi quomodolibet, non assistentes, quia valde per accidens ad hoc sunt. Galen. verò solum intendit probare prohibentia non dici postulantia, quod est verum: attamen ex hoc non sequitur non facere ad exhibitionem, sequitur verò non exposulare. Secundum argumentum solutum est supra. Ad tertium dicimus quod cum victus ratio instituitur ratione facultatis & morbi in ordine ad durationem usque ad statum, nihil mirum diversam victus rationem esse instituendam in principio unius morbi quam alterius: facit enim diversitas morbi valde ut victus instituitur, ita ut plusdandum sit in statu unius morbi, quam in declinatione alterius, ut docuit Hipp. 2. *acut. text. 36.* dum dixit, *Conjicere autem oportet & robur & morbi modum &c.* ut solvatur quartum argumentum.

Ad quintum, Respondetur verum esse indicare differentias alimenti ab illo quod genus indicat, tamen hoc non tollit etiam ratione alicujus conjuncti victus rationem indicari quatenus facultate tale poscente alimentum & morbo prohibente, resultat taliter exhiberi sub tali forma, quod est, sumpta indicatione ab utroque talem convenire victus rationem. Ad ultimum Resp. victus rationem non coindicari à morbo ipsam petente ut contrarium, nec ut similem per se, sed ut conveniens per accidens; quatenus pro conservatione facultatis est, à qua tanquam ab poscente per se indicat.

+

QVÆSTIO X.

Utrum sint alia indicantia victus rationem.

CUM facultatem alimentum indicare dictum sit, quatenus medio ipso ea conservatur rebus connaturalibus alimentum petentibus, non dubium alia prædicta alimentum indicare, imò si exactè loquendum est, plura prædicta alimentum indicant, prius quam ipsa facultas, id est magis immediatè & per se, diffusionem scilicet partium acquirendarum, sive quia deficient à causis inevitabilibus solventibus, ratione cuius alimentum exhibetur. Quo fundamento *quest. 4. de atate consuetudine*, diximus mutationem & restaurationem, ad acquirendam debitam magnitudinem, & restaurationem deperdit esse, ex Gal. 1. *de facultatibus naturalibus, cap. 7. & 1. aphor. comm. 15.* indicabit ergo alimentum per se & immediatè qui à partibus suam restaurationem seu acquisitionem petentibus, à diffusionem scilicet: docuit enim Gal. 11. *meth. cap. 1. & 3.* vires servare servatis partibus & spiritibus, rectam proportionem & mensuram, & sic alimentum à facultate indicari dicimus, quatenus facultas servatur seu acquiritur, servatis seu acquisitis per alimentum spiritibus & partibus. Quod etiam constat, 9. *meth. c. 13.* per hæc verba. Servabitur autem virtus, si neque ejus substantia inaniatur, neque tanta alteratione alteretur, ut corruptioni sit propinqua: ergo alimentum indicatur à facultate suam conservationem petente per

per conservationem partium restaurandarum cum alimento, ac per consequens à diffusionem partium, seu spirituum, aut à partibus ipsis alimentum indicatur, ut cum conservatio hæc pro conservatione virtutis sit, à virtute alimentum indicare dicimus, tanquam ab poscente, per quam omnes res naturales, intelligimus, cum ad invicem aliæ sint præter alias, & sic ab ipsis indicatur, & ab aliis prohibetur.

Difficultas igitur non est de indicantibus alimentum, sed de indicantibus victûs rationem, seu modo utendi alimento: Circa quod videtur nullatenus ab alio quam à facultate & morbo indicari, cum assistente petente & prohibente sufficiens fundamentum inveniatur, ut quale & quomodo alimentum sit exhibendum cognoscamus. Propter quod Vall. 1. meth. cap. 6. facultatem & morbum cibi quantitatem definire, docuit ex Gal. 1. aphor. & 2. acut. comm. 44. quod constat, nam victûs ratio instituitur talis qualis fuerit indicantis urgentia, si virium est major, adhuc morbo prohibente, cibus exhibetur, si morbi indicatio prævaleat, etsi vires cibum petant, non est exhibendus: cum verò utriusque æqualis indicatio, aliquid exhibemus, pro viribus, minus tamen quam ipsæ petunt: ergo victûs à morbo & facultate indicatur, non ab alio; præcipue cum tenuitas aut crassities victûs in ordinem ad hanc aut illam conservationem facultatis instituitur: ergo ab ipsa & morborum ratio sufficienter instituitur. Totam hanc doctrinam fecit manifestam Gal. 9. meth. cap. 7. quando ratione urgentiæ unius aut alterius cibum augendum, aut minuendum esse docet.

Nihilominus tamen non est dubitandum plura alia indicantia inveniri ad victûs rationem instituendam, quæ etsi non petant ex se alimentum, quatenus aut pro petente faciunt, aut prohibere magis aut minus habent victûs rationem indicare, ut de morbo & eius partibus diximus, talia sunt omnia indicantia à nobis 9. meth. c. 15. adducta, quæ in curatione indicari diximus, aër scilicet, temperamentum, consuetudo & quantitas, per quæ regio, cæli status, anni tempus intelliguntur, sicut & per morbum omnia præter naturam, ut per facultatem seu naturam, omnia naturalia. Hanc veritatem docuit Hipp. 1. acut. text. 36. per hæc verba: *Conjicere autem oportet & robur, & morbi modum, hominisque naturam, & in victu consuetudinem, non solum in cibis, verum & in potionibus.* Quibus verbis non solum facultatem & morbum considerari docet, verum & plura alia: in cujus comment. Galen. idem recipiens, sic ait: Nemo verò vitio verterit, si hoc in loco confundatur Hipp. scoporum multitudinem affatum circumseptum, ut cuilibet pateat, omnia scopus esse ad victûs rationem; agebat enim de ipsa, & 2. aphor. textu 17. idem ostendit Hipp. ubi sic ait: *Et quibus semel aut bis particulatim oporteat offerre, considerandum, condonandum aliquid tempori, ætati, & consuetudini,* quod totum à text. 13. ad 17. citatis, sigillatim edocuit, & recipit Gal. ergo indicantia sunt ad victûs rationem: cum quo valent ea quæ 2. acut. scripsit Hipp. à text. 21.

Hujus doctrinæ ratio est manifesta: nam in curatione indicari diximus omnia dicta, quia ipsis consideratis quid faciendum, aut quo modo remediis sit attenuandum significatur: sed idem constat de ipsis in ordine ad victum; ergo

omnia indicant ad ipsam. Major est nota; minor probatur: nam plus alimenti exhibendum est in hyeme, quam in æstate quantum plus caloris affundatur intra, calor major natus plus alimenti desiderat, tanquam efficacius coctionis instrumentum; idè qui crescit pluribus ægent fomitibus, quia plurimum habent calidi innati, ut docuit 2. aphor. text. 14. quod probat etiam de temperamento partis, seu ætatis, seu regionis, nî forsan ob hanc aut illam rationem retractione ad intra factâ caloris ob frigus externum, plus sit alimenti exhibendum: nam tunc per accidens frigus ad majorem calorem intra fecit; sicut è contrâ quando ad resolutionem conducit temporis seu aëris temperies, minus esse exhibendum indicat.

De consuetudine minor erat dubitatio; habet enim rationem naturæ, ut suo loco videre est, ut natura indicabit: sed hoc modo non solum victûs rationem, sed alimentum etiam indicare valebit: ergo ut omnia dicta victûs rationem indicant, quod tam de quantitate quam de repetitione esse intelligendum, docet Hipp. 1. aphor. & 2. acut. Partem affectam peculiariter ad victûs rationem facere, ita certum est, ut inquit Vall. 1. meth. cap. 7. ut à nullo dubitari possit minus cibi dandum esse quando ventriculus laborat, quam aliis partibus laborantibus. Patitur enim ab alimento ventriculus: ergo ipso laborante minus cibi exhibendum. Quod non ita accidit aliis partibus affectis. Sic similiter latius est cibandum, thorace laborante, quam aliis partibus, quia in illo casu duplicis facultatis actione indiget curatio morbi, coctricis inquam, & expellentis animalis pro duobus: ergo debet dari alimentum in aliis, solius facultatis, naturalis est opus, & sic minus alimenti esse tribuendum.

Cum verò ex dictis constet facultatem seu naturam cibum indicare multum, quod ipsa debilis est, ad sui restaurationem, etsi ob impotentiam commutandi repetitis vicibus exhibeatur; Minus tamen quando fortis est, nisi in ordine ad conservationem multum sit exhibendum; sicut etiam constat morbum alimentum prohibere manifestum est, omnia dicta ad alimentum exhibitionem, hoc est ad victûs rationem indicare diversimodè, indicat plus in hoc, minus in illo, casu & ratione accidentium, cum in ordine ad ipsum alimentum exhibeatur, aut prohibeatur, prout debilitare facultatem habent, ut syncope; aut prout ipsam tantum labefactare, ut in cujuslibet morbi statu in morbis regularibus, ut text. 36. 2. acut. constat ex Hippoc. qui symptomata esse consideranda ad victûs rationem manifestè docet, & consequenter, ipsa indicare sicut morbus, & eius causam propter quam plures inedia seu victûs rationem talem imperamus, ne causa augeatur in qualitate, aut in mole. Ea quæ in principio posita sunt, solum de principalibus indicantibus sunt intelligenda, non tamen ostendunt, deteriorem indicationem superfluum esse, cum possit dubitari ratione ipsorum victûs rationem immutari quotidie, ut docuit Hipp. locis citatis.

SECTIO II.

De victus ratione in statu
sanitatis.

QUÆSTIO I.

Quale debeat esse alimentum sanorum.

NON debet judicari extra requisitum ad ægotantium victum; totum quod in hac secunda sectione continetur, cum potius simpliciter necessarium sit: est enim ægotantium victus maximè ex victu sanorum deducendus, ut docet Hippoc. 2. de vict. acut. text. 20. per hæc verba. *Ceterum ut rectam victus rationem instituamus, salubria præscripta per bonam valetudinem observanda sunt.* Propter quod tories victum per consuetudinem vituperat Hippoc. & in comment. Gal. ut videre est 2. Aphor. text. 50. & 2. acut. text. 21. Plura tamen quaerentur sub hac sectione, & quia propriè in sanis habent locum, & quia in ipsis specialis necessaria doctrina, ex quia ad ægotantium victum deveniamus.

Circa id quod inquirat quæstio, videtur inveniri solutio in his quæ exscripta sunt sup. quæst. 1. Diximus enim alimentum esse quod nostram substantiam reparare valet, nihil in hominis corpore faciens, cum Galeno 1. de aliment. facultat. cap. 1. Ergo alimentum sanorum tale debet esse ut nutriat, & non alteret. Et cum quæstio intelligenda sit respectu corporis temperati, temperata debere esse alimenta constat, aliàs alterare valebunt: qua ratione cap. cit. sic scripsit Gal. *Quam ob rem quæ medijs sunt temperamenti, nullaque vincendi qualitate sunt prædita, ea solum sunt alimenta.* Constat ergo ex dictis, alimenta sanorum ea esse quæ nutriunt, & alterare non valent. Ex quo sequitur, quòd sicut alimenta absolutè quæ respectu corporis temperati sunt, temperata debent esse; respectu corporis calidi debent esse calida; frigida verò respectu corporis frigidi, & sic de cæteris. Ratio est manifesta, quia alimentum debet esse quod nutriat, & non alterare habet: sed si respectu corporis calidi aliter distemperati, alimentum tribueret temperatum, etsi nutrire valeret, alteraretur etiam: ergo non debet esse temperatum absolutè, sed quale fuerit corporis temperamentum, ut de ipso verificetur Galeni doctrina, docens esse quod nutrire habet, nihil in hominis corpore faciens.

Facit pro hac parte id quod de consuetudine docet Hipp. 2. acut. & 2. aph. & cum eo Gal. Hipp. interpretatus: asserit enim aph. 50. assueta etsi deteriora, minùs molestare, quod etiam intelligit de alimentis Gal. ex eo quòd text. 21. sic dicat Hipp. *Atqui quod vitiosus tum cibus, tum potus semper sibi similis ad sanitatem tutior est: sed cibus semper debet esse similis ut conservetur temperies acquisita usu ciborum, ratione cujus Gal. c. 2. de assuetudinibus, similia alimenta convenire docet eis qui aliis sunt assueti: Ergo alimentum debet esse per salutem simile temperiei ipsius viventis. Quæ ratione ipse Gal. 7. Meth. c. 13. calidiora remedia frigidis esse debent quomolibet labore, exce-*

cepta indicatione à temperamento naturali partibus: sed talis intensio major est pro conservatione temperiei: ergo etiam alimentum quod in conservationem partium per restitutionem datur, calidius debet esse pro parte calida, frigidius pro frigida.

Non minùs ostenditur hæc pars ex Galen. 4. de simplic. medic. facult. dicente omnia nutritiva dulcia debere esse; dicique dulcia ob similitudinem quam habent ad id quod nutritur: Ergo alimentum tale debet esse quale est hominis temperamentum; sic enim ait cap. 15. *Quæ itaque summè acida, aut amara, aut acerba sunt, nutrire nequeunt, secùs quæ solum dulcia sunt, omnia nutriunt.* Hujus reddens rationem, sic ait: *Siquidem quod nutrit, à similitudine qua illi est ad id quod nutritur, dulce apparet: à dissimilitudine verò, non dulce:* Quod aliter explicauerat cap. 11. dicens. *Ceterum dulcia calore proximè accedunt ad ea corpora quibus apparent dulcia.* Ergo alimenta similia debent esse temperaturæ adæquatæ. Quod probatur ratione quæ utitur Galenus. Alimenta sunt in reparationem resoluti quod erat familiare viventi: ergo familiaria esse debent, & consequenter ejusdem temperiei. Sic etiam scripserat cap. 10. *Atque quod evacuatum est, familiare erat: quamobrem & quod nutrit, familiare sit, necesse est. Porro si familiare fuerit, protinus etiam ut ad id quod nutrit modicè calidum.* Quo fundamento quod uni est alimentum, non esse tale respectu alterius docuit eodem cap. & 1. aphor. comm. 17. partes diversa alimenta habere, quia diversa diversam similitudinem habent.

Ex alia verò parte stat Galenus ipse qui 1. de aliment. facultat. capite 1. citat. postquam alimentum definivit modo dicto, docuit hoc esse intelligendum in corpore temperato: nam respectu corporis distemperati contrario modo distemperata debere esse alimenta docet Gal. non rectè dictum est similia debere esse cum nutrito. Quod etiam confirmatur lib. de dissolutione continua, cap. 4. (si Galeni liber est) & 4. de simplic. medic. facult. in quibus semper alimenta debere esse temperata docet pro corporibus temperatis, calida verò pro frigidis; non ergo alimenta similia debent esse nutrito.

Hanc partem probant plura quæ posita sunt à nobis Tract. de alimentor. facult. quæst. 3. de modo dignoscendi similitudinem alimentorum, & Avicenn. fen. 13. lib. 3. tract. 2. cap. 3. consuetudo destruit appetitum, quod nulla alia de causa est nisi quia contraria dispositio quæ requirit in organo ut appetat alimentum, ut docet in comment. Gentilis: Ergo non conducit ad appetendum similia, temperies naturalis, ac per consequens non debet esse alimentum simile, aliàs non debebat privari appetitu alicujus qui post usum ejus alterum appetit, & simile renuit. Et quamvis in ipso Tractatu ut huic argumento fieret satis, diximus loqui Gentilem in ordine ad gustum, quia per ipsum sunt percipiendæ qualitates alimenti, & ratione usus gustus immutatus est per partes cibi manentes, non satisfacit: nam appetitus in ventriculo & per impedimentum percipiendæ qualitates similes non tollit similitudo existens in ventriculo, ratione cuius potius ad simile appetendum debebat esse major dispositio vi consuetudinis, ita ut non renueret quis ea quibus utitur quando alia appe-

tit, & recipere valet: Ergo non conducit dispositio ad simile appetendum.

Pro solutione quæstionis advertendum est dubium posse intelligi de alimenti qualitate aut in ordine ad qualitates activas & passivas, quod est in ordine ad qualitates medicamentosas aut alimentosas, aut in ordine ad tenuitatem & crassitiam; quod est prout vires augere, aut conservare, aut minuere valent: nam utroque modo est alimentum diversum, & utroque indiget vivens in debita mensura.

His positis dicendum nobis est, quod si alimentum ut tale, omni rigore accipiatur, nullatenus debet gaudere aliqua qualitate alterante: Id est taliter debet esse temperatum, ut per qualitates quas habet non valeat immutare vivens, ut docuit Galenus 1. de aliment. facultat. citato, in quo postquam posuit medij temperamenti debere esse alimenta, sic ait: *Ventrem nec solvunt, nec cohibent, nec aliam quamlibet dispositionem generant, sed quale animantis quod nutritur corpus assumpserat, tale prorsus conservat.* Ergo alitum in rigore proportionatum debet esse cum alimento, quomodoque alimentum temperatum existat. Quod probant ea quæ dicta sunt tam de consuetudine, quàm de doctrina Galeni. Et ratio est nota: siquidem temperatum debet esse alimentum respectu corporis temperati, & non alia de causa nisi quia ipso bene se habet illa natura, & facilius fit nutritio ob similitudinem ob quam etiam alimenta consueta commendantur à Galeno capite 2. de consuetudine: Sed eadem ratio valet in alimento calido respectu naturæ, calidæ ac in frigido respectu frigidæ, cum non immutetur natura à simili, & facilius nutriat: Ergo in qualibet natura simile debet esse alimentum.

Probatur præterea: Nam ex appetitu ad alimentum colligit Galenus esse familiare, & accommodatum: sed appetitus debet esse ad similia: ergo alimentum debet esse simile. Majorem ostendit lib. 3. de aliment. facultat. cap. 27. per hæc verba. *Cibus durior alimentum præstat copiosius quam humidior, præsertim quando substantiam habet alendo corpori accommodatam & familiarem, qua substantia voluptate judicatur.* Minorem ostendit etiam cap. 63. *Artis Medic. dicens: Naturales temperaturæ in hoc differunt à malis temperaturis, quod hæc contraria, non verò similia appetunt, ut naturalis:* Ergo alimentum simile debet esse.

Cum igitur alimenti completam rationem habeat, quod similem naturam habet cum nutritio, manifestum est simile alimentum omnes conditiones optimi alimenti habere; nam aliàs non esset ipsum eligendum, ut docet Galenus. Quod docuit etiam Avicen. nam adducens effectus rei dulcis (quam esse verum alimentum & simile docuerat ipse Galenus 4. de simplic. medicam. facultat.) sic ait, *Tract. 1. lib. 2. cap. 3. Operationes autem dulcis sunt, digestio & lenificatio, & multiplicatio nutrimenti, & natura diligit ipsam, & virtus ultra activa atrahit ipsam.* Quibus verbis conditionem optimi alimenti adducit.

Ex dictis sequitur quale debeat esse alimentum quoad passivas qualitates, id est quoad hoc quod est faciliter, aut difficulter coqui, multi aut pauci, & non optimum alimentum, nutrimenti esse boni, aut mali succi, & non

optimum alimentum, quod bonam seu proportionatam substantiam petat, multumque nutrit & facile coquitur. Nam cum alimentum sit in reparationem substantiæ, quod plus reparat in ordine ad partes quas habet; parum excrementitium habet, & multi nutrimenti datur; & sic ex hac parte similiter optimum est alimentum quod bonam seu familiarem substantiam præstat respectu nutriti: ad quod etiam facit facilis coctionis esse, cui jungatur tenuitas; nam minus ab eo patietur natura, & minus excrementi resultabit. Alimentum verò quod difficulter coquitur, deterius est nisi ob rem medicinalem requiratur. Quod docuit Gal. lib. de cibis boni & mali succi, cap. 3. per hæc verba. *Quæ ex feminibus, aut fructibus intumescunt, & veterem siccitatem deponunt, præstantiora. Quæ verò minimè tumescunt, præstantiora. Quæ verò minimè tumescunt, præstantiora. Quæ verò minimè tumescunt, præstantiora. Quæ verò minimè tumescunt, præstantiora.* Propter quod sic ait infra. *Si aliqui in cibo sumendi fructus sunt, madefaciendi prius sunt.* Ergo ex mente Galeni, optimum alimentum est in statu salutis, quod facile coquitur; quod etiam ex parte reparationis sit præstantius; quod minus excrementosum est, & familiarem magis substantiam præstat. Constat etiam quia in reparationem naturæ tribuitur, & melius erit quod ex se magis hoc facit, & substantiam proportionatam magis. Ideò Galenus 2. de temperamentis, cap. 3. sic ait. *Oportet igitur totam substantiam ejus quod nutrit cum tota ejus quod nutritur, naturæ communionem quandam, & similitudinem habere.* Quod non ad aliud esse docuit Galenus 4. de simplic. medic. facult. cap. 9. nisi familiaris substantia est quod resolvitur, & familiare debet esse quod reponitur, & sic familiare debet esse alimentum.

Secundum quod nobis dicendum est, quod si alimentum non in rigore accipiatur, sed ut medicamentum, non caderet sub dubio contraria qualitate debere constare ac corpus afficitur, ratione qualitatis petentis sui distributionem per alimentorum usum, non sub ratione talium. Propter quod Galenus dum calidum esse alimentum docet in corpore frigido, & è contra, non loquitur de alimento quatenus solam alimenti rationem exercet, sed quatenus rationem medicamenti, etiam loquitur non respectu corporis distemperati aut morbos, quod curari aut reduci indicat & petit, & omnibus modis est faciendum: nam respectu temperamenti quod neque reductione, neque curatione eget, temperatis utitur alimentis, ut videre est *locis citatis*: hoc tamen non tollit, quod si alimentum ut tale sine ordine ad reductionem aut curationem exhiberetur, simile exhiberetur in omni corpore, imò potius ita debebat fieri, ut sit consuetudine aut naturâ intemperatâ, quas non esse reducendas per morbos, & in distractione docet Gal. 8. Meth. c. 9. Ergo quia alimentum debet esse simile quando exhibetur sub ratione medicamenti.

Hoc idem ratione probatur quâ utitur Galenus 4. de simplic. medicam. facult. capite 10. Corpus quod est cibandum solum inanium esse debet; sed tale corpus nulla indiget qualitate alterante: ergo ut alimentum nulla qualitate alteretur debet constare. Quod immediatè per hæc verba explanavit. *Evenit utique cibis, ubi non modò vacuatis exhibentur corporibus*

ribus, sed etiam qualitate aliqua mutatis, ut duobus nominibus delectem; ut cibi scilicet, & ut medicina. Idem refert lib. de aliment. facultat. capite 1. ut constet alimentum ut tale solum esse quod sine eo quod alteret, reparat; aliud medicamentum ut alimentum esse, quod non potest esse optimum alimentum, quia neque substantiam perfectiorem, seu temperatam præstat, neque pro tali subjecto magis proportionatam, etsi prout retrahit naturam ab statu intemperato quem habet, melior substantia fiat quam quæ ex simili alimento resultat (loquor de corpore reductionem petente pro quo alimentum intemperatum præbet Galenus) quia magis correctæ & minus apta ut similem intempericem augeat, licet simile alimentum appetat magis, & ad coctionem aptius sit, propter quod deterius esse solet quam quod non appetitur, contra sententiam Hippocratis 2. aphorism. text. 38. quo modo cum hoc ex appetitu similitudo cibi cognoscatur & ex similitudine alimenti, constabit tractatu de alimentorum facultatibus.

Circa alimenti qualitatem in tenuitate & crassitie in ordine ad reparationem, aliquid de quantitate cibi dicendum est, quatenus per ejus mutationem alimenti formam quoad hoc mutare diximus. Nos tamen solum quod ad reparationem requiritur explanabimus in præfenti, & postea de quantitate agemus: contra quod Galenus 1. aphorism. text. 4. expressè docet, alimentum sanorum esse sub forma plenæ, aut mediocris, non autem sub forma tenuis, sic ait. *In sanis itaque corporibus semper oportet servare robur virium, vel augere alimentis, non minuere, ac augens quidem alimentum, est quod plenum vocatur: conservans quod mediocre existit: diminuens verò quod tenue datur. Hoc igitur semper fugere oportet: aliorum verò utrobilibet, ut præsentia exigunt, uti. In longis morbis quidem servare studemus vires, in acutis autem moderate debilitatas conservare.* Quibus verbis non solum docet victus tenuem in morbis acutis convenire, & ipsum esse semper fugiendum per sanitatem, verum & in morbis longis victum convenire mediocre; sanis verò plenum aut mediocre, prout vires exposulaverint; tunc quando ipsæ non valent, in illis quando refectione egent; quod significant verba illa, *ut præsentia exigunt, uti.* Quod debet intelligi, ut supra retulimus, cum attentione virtutis commutantis ad indigentiam & facultas valet; parum & sæpè cum cibi indigentia viget, & facultas est languida; indigentia tamen non existente, superfluus erit cibus.

Ea quæ in principio sunt facillimè solvuntur. Galenus & Hippocrates dum temperata concedunt alimenta respectu corporis temperati, loquuntur in ordine ad quod est omnis doctrina: dum verò simile esse dicunt, de alimento absolute ut tali loquuntur, quia quodlibet corpus ipsum in restaurationem perditum desiderat, & appetit & amplectitur, ut docet Galenus 2. Aphorismor. commentario 38. & 4. de simplic. medicament. facultat. capite 9. Quod si corpus temperatum fuerit, optimum appetet alimentum, quia & simile & temperatum, ut omni ex parte omni perfectione constet, respectu cuius non habebit locum illud Hip-

procratis. *Parum deterior potus & cibus, suavior autem, melioribus quidem, sed minus suavis est præferendus: habebit tamen locum respectu distemperati corporis quod simile appetens, etsi ipsum consequatur, suavius, non melius alimentum, & facilioris coctionis erit, ut dixit Galenus 2. aphorism. comment. 38.*

Contra hoc stat Galenus lib. de dissolutione continua, cap. 4. in quo docet melius coqui à natura intemperata cibos dissimiles quam similes: Ergo non rectè dictum est à Galen. cibos similes appeti, magis & melius coqui. Antecedens patet per hæc verba: *Cui dominatur caliditas, est cibus frigidus fortius digerere, non calidos; & cui dominatur frigiditas, calidos digerit, & non frigidos.* Quæ verba non solum contra doctrinam stant, verum etiam contra communem Philosophiam à Medicis acceptam, quæ dicimus, coctionem à calore fieri, secundum quam frigida temperies non valebit calore ipsa immutari, potius pro frigidis poterit esse activitas, cum possit esse minus frigida ipsis: Ergo aut quod appetitur simile non est facilioris coctionis, quod est contra Galen. lib. de dissolutione continua, & contra Philosophum: Inquit Galenus, in natura calida facilius coqui frigida alimenta quam calida, & è contrà.

Respondetur, quod præterquam quod hic liber proprius Galeni non judicatur, & ut voluit Antonius Musa, plura absurda continet; nihilominus tamen, ut ipse docet, plura utilia & vera habet, ratione cuius dum dicimus calida alimenta concedi pro frigidis corporibus, & è contrà, dum inquit ipsa contraria facilius coqui, non est intelligendum similem temperiem ad appetitum & coctionem perfectiorem non conducere, ex se etenim conducit; intelligendum tamen est cum loquatur de naturis intemperatis, loqui quatenus vi alterationis ciborum ad rectè operari temperiei disponit, & consequenter rectè inquit naturam calidam quæ propter intemperiem præve coquebat, melius cohibere cibos frigidos quam calidos, & è contrà, quia per frigiditatem ciborum corrigitur intemperies calida, quæ per intensionem quam habebat non poterat rectè operari, & per coctionem factam à frigore ciborum rectè operatur, & eos coquit, non ita si calidi cibi sint, quia potius intemperiem impediendam, seu malè disponentem augent. Quod constat ex verbis textus, in quo postquam dixit similia debere esse alimenta, ipsaque melius appeti & coqui, sic ait. *Cui dominatur caliditas, est cibus frigidus fortius digerere, quia stringunt caliditatem corporis & temperant eam, non calidos.* Quasi diceret, idè cibos frigidos fortius coqui à natura calida, quam calidos, quia frigidi intemperiem calidam corrigunt, & dispositionem proportionatam ad coctionem faciendam inducunt, quam potius deteriore reddunt calidi cibi, & sic de cæteris.

Ex hac solutione constabit quomodo Galenus capite 1. de aliment. facultat. & lib. 4. de simplicib. medicament. facultat. capite 9., calida alimenta in frigidis naturis, & è contrà, concedat; requirit enim ipsa ut medicamenta, non ut alimenta præcisè, ut ex ipso textu (medicamenta) constat.

Ad rationem. Responderetur quod licet appetitus in ventriculo sit, & dispositio similis ad simile appetendum faciat, cum tunica linguæ & ventriculi una sit ex Galeno, & gustus non immutet ob partes imbibitas alimenti assueti, sic neque ventriculus appetit, quia quod non cognoscitur simile per gustum, non potest appeti ab illo quod habet appetere simile: Et cum hoc habeant facere principaliter pingua & dulcia; idè Galen. 3. *de aliment. facult.* Capite 27. ipsa appetentiam evertere scripsit, quod vulgò appellatur *enpalar*, ob quod plus ex diversis quam ex uno edimus alimento, & ob eandem rationem alios saporos & condimenta creavit natura, ut ex Philosopho retulimus *tract. de aliment. facult.*

+

QUÆSTIO II.

Quantum debeat esse alimentum.

UM non solum variet alimenti quantitas præcisè per hoc quod est parum aut multum ejus exhibere, sed per repetitionem etiam, dum qualis sit victûs ratio per quantitatem quærimus: utroque modo quærimus qualis debeat esse, quod est intelligendum seclusâ ratione tenuitatis aut crassitiei victûs, quæ per respectum ad augmentum seu diminutionem virium constituuntur, per additionem seu diminutionem quantitatis solum de augmento aut diminutione repetitionum, sive ipsius quantitatis tantum, sub quo debet includi ratio alimenti in mole, hoc est quantitas: quâ ratione alios bene se habere alimento in magna mole, ipsosque melius ipsum conficere certum est, tenues verò corrumpere, & è contrâ alios facile commutare tenues & parvæ molis cibos, gravari verò aliis: quod est dicere alios petere alimenta facilis coctionis, alios difficilis, ut docuit Galenus 1. *de aliment. facult. cap. 1.*

Cum ergo dictum sit cibi quantitatem sanis competentem esse quæ ad augmentum virium faciat, aut saltem ad conservationem: quod est dicere victum sanorum plenum aut mediocrem debere esse, non hoc quærimus, sed hoc respectu secluso, quantum debeat alimentum præcisè ratione sui: circa quod si status ægritudinis respiciendus esset, jam dedimus solutionem *quæstion. 1. supra ex Galeno 1. Aphorism. comment. 17.* solum tamen de quantitate in statu sano est agendum, quod debet intelligi nullo dato à statu sano extrahente; nam hac ratione eodem modo ac in statu ægritudinis est procedendum; loquendum verò est in statu sanitatis deductâ doctrinâ ex eis quæ de victûs forma pro sanitatis statu docuit Galenus 1. *aphorism. comment. 4.* Ostensum enim ibi est, victum plenum aut mediocrem sanis competere, ex quo deducatur in tanta quantitate esse exhibendum alimentum in statu sanitatis, ut pro conservatione seu augmento virium faciat; quod cum ipsam non determinent, non satisfacit sufficienter: præcipue quia hoc solum videtur docere finem minuentem cibi quantitatem ex parte sui, non tamen omnia quæ ad

ipsius determinationem faciant, cum non sufficiat finem esse, si aliqua deficient ex his quæ ad ejus exhibitionem conducunt.

Pro quæstionis solutione advertendum est Primò, dubium esse intelligendum de corpore temperato; quâ ratione locutus fuit Galenus & 1. *de aliment. facult. & 4. de simplic. medic. facult.* dum quale esset alimentum determinavit, & respectu cujus particularis naturæ in statu sano idem sit loquendum; quod ita tenet si natura sit talis à principio, sive à consuetudine, sive aliquo modo, cum ratione illius quod est, exhibeatur alimentum tale, aut tantum, & talis sit natura indicans sive nativæ, sive adhibitæ. Quo fundamento Hippocrates 17. *Aphorism. text. 16.* victum humidum febrecitantibus, & pueris, & his qui tali victu uti consueverunt convenire docet. Quibus verbis, ut voluit in *comment.* Galenus, qualitatem ex natura propria sibi acquisita determinat, ut idem de quantitate dicamus.

Secundò advertendum est alimentum esse exhibendum, & quod valeat pro fine quem consequi intendimus, & pro facultatis activitate, quâ agente, finis est consequendus; ita ut finis tantum alimenti esse exhibendum doceat, & facultatis activitas id permittat, secus namque Hippocrat. respectu morbi considerandum jubet, ut inquit Galen. *comment. 17. citato*: sic nos respectu finis consequendi per cibum esse intelligendum dicimus, inquit Galen. dum facultas debilis cum humorum defectu parum & sæpè: parum quia non valet facultas pro alimento: sæpè, quia multis indiget affectio: multum tamen & sæpè, dum cum humorum defectu facultas fortis est; permittit namque facultas (sic liceat loqui) quod affectio postulat in hoc casu, non in illo. Ergo sic similiter in statu sano recipiendus est finis cibi, & facultatis activitas.

Si dicas facultatem petere per sanitatem cibum, non alia, nil valet: Dictum est *quæst. 4. supra*, facultatem per se non indicare alimentum, sed alimentum petere quæ per alimentum sunt conservanda seu acquirenda, à quo procedit facultatem conservari, & sic ex parte alia propter facultatem sunt, seu constituunt finem immediatum propter quem datur alimentum: facultas verò finis remotus est quæ alio modo, seu alia consideratione, aut medium ad consequitionem finis se habere dicimus, quatenus mediâ ejus actione alimentum præstat, seu convertitur in substantiam, ut finis propter quem fuit institutum consequatur. Et sic quò aptior est ad talem actionem faciendam facultas, permittit alimentum, aut secus.

Tertiò notandum est defectum partium & spirituum à causis naturalibus advenientem, & defectum debitæ quantitatis & formationis constituere finem petentem alimentum, seu propter quem, & in cujus restaurationem alimentum est exhibendum; ac per consequens tantum cibi ex hac parte indulgendum est, quantum reparationis existat necessitas, jam ex defectu naturalis formationis à causis inevitabilibus proveniente: Et cum ex alia parte facultatis actio ad consequitionem finis necessaria sit, & ipsâ actione deficiente, alimentum inutile & potius nocivum reddatur, tantum illius quod desideratur à fine, tribuendum est, quantum facultatis

Quæst. II. De quant. aliment. sanorum. 161

tis actio valeat superare; & tantum ejus est detrahendum quantum minus ipsa sufficiat: ut inde constet sic se habere facultatem, & finem alimenti ad ejus quantitatem, ut facultas, & morbus, & remedium se habent. Nam sicut in hoc casu permittere, aut non permittere facultatem dicimus, quod indicatur à morbo, quatenus valet, aut non valet tolerare immutationem quam remedium facit; sic facultatem permittere, aut non permittere alimentum indicatum à fine dicimus, quatenus valet, aut non valet superare alimentum ipsum ac tantum, existente differentiâ, quod alimentum aliquo modo ab ipsa facultate peti dicimus, quatenus indicatur ab ejusque petuntur facultate, non ita remedium quod solum indicatur à morbo, etsi etiam remotè valdè pro facultate faciat.

His positis, nobis dicendum est cibi quantitatem ex necessitate alimenti ad reparationem, & ex facultatis robore metiendam esse. Dixi ex necessitate alimenti ad reparationem, & non ex necessitate reparationis; quia si necessitas reparationis sit & alimentum exhibitum, ut quando plenitudo invenitur, aut satietas, non est ad alimenti reparationem necessitas, & sic ipsum exhibendum non est, & consequenter, cum à causis inevitabilibus, & ante adulescentiam ex naturali formatione finis alimenti sit, semper ejus necessitas est, & sic solum quantitas metiri debet ex activitate facultatis; nomine cujus non facultatem ipsam præcisè debemus intelligere, sed facultatis etiam instrumentum, calorem scilicet, cum medio ipso à facultate disponatur, ex Philosofo 4. *meteoror. cap. 2.* & Gal. 1. *aphor. comment. 15.* per quod non quemcumque calorem debemus intelligere, sed naturalem; ita ut eo gradu quo calor naturalis deficiat, & facultatem deficere dicendum est quoad cognitionem sive per intensionem distemperantem valde, sive per remissionem; Quia ratione Hippocrates 1. *aphorif. 14.* sic scripsit, *Qui crescunt plurimum habent innati calidi, plurimis igitur egent fomitibus: alioqui corpus absumentur. Senibus verò parum calidi innati inest, &c. & text. 15. Ventres hyeme & verè naturà calidissimi sunt, idè copiosiora alimenta sunt exhibenda.* Quasi diceret, ratione intensionis caloris naturalis addenda est alimentorum quantitas, minuenda verò ratione remissionis: quod intra ejus latitudinem intelligendum est; cum asserat tunc esse copiosiora alimenta exhibenda, quia calor naturalis abundat, aliàs in febrientibus plus esset alimenti exhibendum, quod est falsum; quid per hunc calorem naturalem intelligat Hippocrates, non est hujus loci. Dixit tamen in *comment. Galenus*, calorem ærium abundare, quod pro partium humidarum multitudine, & pro spirituum retrocessu diximus *suprà* de facultate naturali ventriculi, dubium specialiter esse intelligendum, dum cibum permittere, aut non permittere scripsimus.

Ex dictis patet plus cibi tribuendum esse cum naturalis facultas valet, minus verò cum ipsa patitur; ac cum agamus de victu sanorum, talis non est facienda computatio: siquidem sanitatis status facultatem pati non permittit; & sic aliter solvendum dubium est, dicendo juxta diversitatem naturarum & dispositionum subjecti plus cibi esse dandum, dum calor ma-

ior est, minus dum remissior, ut ex *text. 14. & 15. citatis* constat: at in ipsa natura temperata tali differentiâ, ut cum solum naturalis resolutionis reparatio instet, alimentum mediocre, hoc est in quantitate vires conservante; exhibeatur: quia major quantitas potius gravitare & suffocare valebit, quam vires augere; cum non sit major dispositio ad esse virium; quam acquisitio illius quod requiritur, & consequenter solum ad conservationem ipsarum debet dari alimenti quantitas; nam major quantitas supra requisitum erit, deficietque finis propter quem. Cum verò non solum reparatio illius quod resolvitur à causis inevitabilibus urget; verum etiam aliquid aliud quod nondum facit cadere sensibiliter in morbum, ut cum plus quam solitum est fecit resolutum aut ratione pervigilij, vel alicujus evacuationis seu exercitij, cibus convenit; sicut & quando supra naturalem resolutionem stat conformationis acquirendæ per ætates defectus; quia tunc non possunt esse vires omni perfectione, & sic augendæ sunt; & consequenter ad augmentum alimentum est tribuendum. Dixi non esse omni sua perfectione vires; quia cum plus quam solitum est prævalerit resolutio, aut quia status perfectus nondum erat comparatus, non possunt vires omni perfectione esse, & sic perfici per plenum alimentum expostulant, & ad ipsum exhibendum finis est supra coctionem. Quâ doctrinâ intelligitur Galen. 1. *aphorif. comment. 4.* dum dixit, sanis victum plenum seu medicorem convenire.

Manet tamen difficultas, quantum sit alimenti exhibendum, ut pro suo fine satisfaciat; quia licet dictum sit tantum esse exhibendum, quantum possit tolerare facultas, & illa quantitate quæ indicatur à fine, nondum constat quantum tollerabit facultas, neque est unde cognoscatur: nam si dicamus quantitatem esse convenientem quæ tempore quatuor aut quinque commutetur, ut voluerunt plures, errabimus turpiter tum; quia nondum determinatur quantitas scientificè, sed experimento: tum quia ratione consuetudinis alij plus, alij minus commutant eodem tempore: Et quod magis est, quia tenæpus determinatum commutandi alimentum non datur, ut docuit Galenus 5. *aphor. comment. 5.* per hæc verba. *Nec cibus unus habet in omnibus tempus coctionis præfinitum.* Pro quo facit etiam, quod cum alimenta diversæ naturæ valde sint, quoad facilitatem aut difficultatem coctionis, non poterit quantitas tempore determinatè metiri.

Cum quantitas alimenti debeat proportionari cum facultate commutante illam, debemus dicere esse quantitatem exhibendam quæ sufficiat ad auferendum appetitum ejus, famem scilicet, à natura concessam, tanquam signum, seu motivum ad alimenti exhibitionem, quod etiam ex proportione alimenti cum capacitate cavitatis ventriculi, ita ut neque valet, nec distendat, debetur; est enim capacitas illa & facultates ventriculi ad commutandum necessarium alimentum instituta; sed omnia organa facta sunt in proportione requisita; ergo & ventriculi cavitatis & facultates ejus, tali proportione debent esse formata, ut pro quantitate requisita sufficiant. Quâ ratione Avic. *fen. 3. lib. 1. doctrinâ 2. cap. 7.* docuit repletionem esse necabilem. Quod magis explicans, sic ait. *Ex cibo nullus ita est replendus,*

replendus, ut non sit ibi locus superfluo ipsius. Et infra. Deterior comestio est quæ stomachi facit gravitatem. Clarius tamen infra postquam dixit metiendam esse quantitatem cibi ex virtute & ex usu, sic ait: *Et mensura ejus in eo quod sanum est, virtutis sit talis, cum ipsum recipitur, ut ei gravamen non afferat, & hypochondria non tendat, neque inflat, neque natet, &c.* Quibus verbis quantitatem cibi esse metiendam docet ex cavitate ipsius ventriculi, ita ut nec gravet, nec inflat, nec supernatet: quæ ultima verba adhuc per diminutionem non esse peccandum ostendunt.

Quod verò appetitus ipse ciborum, hoc est fames, etiam quantitatem ipsorum mensuret, & determinet, deducetur facile, tum quia experientia compertum est, pueros lactantes ex propria natura, nullo dicente, mammæ desinere, cum sufficientem lactis quantitatem receperunt, & ipsas accipere, aut per ipsas sugere, dum appetitus, seu lactis stat necessitas, quod probat ratio. Nam fames concessa fuit à natura, ut excitamentum seu appetitus ad cibum existeret, quando ejus esset necessitas. Quod docuit Gal. 1. de causis symptomat. cap. 7. sic ait. *Concessit illi natura exactum sensum propter necessitatem ad famem & sitim.* Et de usu part. cap. 11. sic, quod ventriculo sensum exactissimum cibi & potus deficientis adesse oportebat: Ergo necessitate deficiente, appetitus deficere debet, ac per consequens dum alimentum valet talem appetitum satiare, est in sufficienti quantitate: nam si in minori exhibeatur, appetitus seu fames debet manere, cum sit alimenti necessitas, & ipsa existente (loquor de statu naturali) fames debeat esse, donec sufficiens propinetur quantitas; ita ut si aliquid superfluum addatur, absque fame & appetitu erit, aliàs fames sine necessitate cibi erit. Quod docuit Avicenn. cap. 7. citat. qui sic ait. *Oportet præterea ne aliquis comedat nisi post desiderium.* Et clarius infra, postquam dixit aliquid superfluum de cavitate ventriculi esse absque cibo relinquendum, sic ait. *Sed ab eo est removendum desiderium, reliquias remanentibus; hæ enim post horam unam destruantur.* Quibus verbis totam nostram doctrinam explanat: nam asserit mensurandam esse cibi quantitatem & per cavitatem ventriculi, & per appetitum, & tantum cibi esse tribuendum, quantum nec cavitas omnino repleatur, nec omnino appetitus satiatur. Et quoniam poterat objici, si appetitus & cavitas pro quantitate cibi requisita sunt, cur eis non est omnino satisfaciendum, inquit, hæ reliquæ post horam unam destruantur; quasi diceret, cum alimentum debeat esse quod proportionetur cum cavitate & appetitu; & alimentum per coctionem magis occupet, cum liquetur & rarefiat, necessum est aliquid cavitatis & appetitûs sine cibo relinquere, ut locus liquationi sit; nam ipsa facta, & cavitas repletur, & consequenter appetitus satiatur; & ideo docet post horam tales reliquias destrui.

Non minus hanc veritatem deducemus, si attendamus talem fuisse nostram formationem, ut non solum omnia secundum necessitatem formata sint, verum experientia constet ventriculi facultates taliter esse, ut id quod appetit sit melius nutrimentum in statu naturali, quam quod abominatur, ut docuit Galenus 3. de aliment. facult. cap. 27. & 2. aphor. comm. 38. ubi sic ait. *Nam quæcumque cum voluptate assumuntur, ipsa*

ventriculus amplexatur, & facilius coquit; sicut quæ displicent, refugit. Quod mirum. Ergo quod sit talis ventriculi appetitus, ut non solum ad conveniens appetendum valeat, verum ad requisitam ejus quantitatem, ac per consequens ex appetitu naturali, & cavitate ipsa ventriculi, cibi quantitas mensuranda est in statu naturali; ita ut eo gradu quo deficiat vivens à dispositione requisita tam ex parte facultatis, quam ex petente, aut à formatione naturali ventriculi, deficiendum sit à mensura ab eis desumenda, & ratione effectûs, aut consuetudinis sit operandum.

His positis, circa repetitionem alimenti, manifesta est doctrina. Nam cum alimentum sit tribuendum ratione reparationis faciendæ, sive in supplementum formationis, sive in supplementum resoluti à causis inevitabilibus, toties alimenti quantitas repetenda est, quoties finis alimenti fuerit, & fuerit consumptum quod antea erat propinatum; quod, ut diximus, pendet ex robore facultatis; ita ut pluries cibatio sit repetenda dum facultas minus simul propinari permiserit, & rarius dum magis permiserit ipsa facultas; quia cum finis semper existat ex continua resolutione, solum ratione facultatis raro aut crebro cibum est propinandus. Quod ex doctrina Gal. 1. aphor. comment. 17. manifestè deducitur: nam quod ibi de morbo dicatur respectu facultatis, hæc de fine reparationis est intelligendum, ut sic multum & sæpè exhibeam dum facultas valet, & finis petit; parum & sæpè, dum ipsa non valet, etiam si petat finis; parum tamen & raro dum finis non est, etiam si facultas valeat; nam quando non valet, finis necessario debet esse.

Quoties etiam alimentum sit exhibendum, ex consuetudine quoque deduci docuit Hippocr. 2. acut. text. 22. quem sequitur Gal. in comment. Sic ait Hippocrates, *Quippe sive bis, sive semel dumtaxat in die quis cibum assumere solitus est; si consuetudinem subito mutaverit, noxam imbecillitatemque subibit.* At hæc doctrina etsi optima sit, ut Medicus cognoscat quoties cibandum sit in ægrotantibus de quorum curatione agebat; non tamen est sufficiens ad intentum: Nam non docet unde pateat, an pluries, an semel tantum sit cibandum; consuetudo enim significat esse dispositionem ad hanc aut illam cibationem, non tamen dat regulas seu doctrinam ob quam ita cibandum sit: dedit tamen doctrinam Gal. 1. aph. comment. 17. nam dicens Hippoc. *Et quibus semel, aut bis, & quibus plura aut pauciora, particulatim oporteat offerre, considerandum,* adducit Gal. & combinationes illas facultatis & morbi, ut quoties sit cibandum cognoscamus, quod nos de fine alimenti & facultate intelligi posse diximus.

Cum verò per sanitatem illas combinationes facultatis supponat robustas, non rectè respectu ejus doctrina dicta satisfacit, satisfacit tamen respectu diversarum naturarum, & diversarum ætatum & temporum, juxta illas sententias, *Ventres hyeme & vere naturâ calidissimi.* Et, *Qui crescunt, plurimum habent calidi innati, plurimis igitur egent fomitis.* Respectu tamen cujuslibet naturæ regula utilis est, per sanitatem cibum esse repetendum, quoties qui antea fuit propinatus consumptus, & distributus est à vêtre in reliquas partes. Quod docuit manifestè Hippocr. qui 1. acut. text. 32. sic ait. *Etenim quibus cibum recens conclusus est, si eo non vacuato, sorbitio detur, dolor*

jam instans irritabit. Clarius tamen *text. 41.* per hæc verba. *Id vero omnino observandum est, qui cibum accepit, nedum subductâ alvo, sorbitio danda non est, donec conjeceris cibum ad imas intestinum partes descendisse.* Idem docet Galenus in *comment.* Quod sequitur & modo à nobis explicato intelligendum esse, ne cum cocto crudum etiam distribuatur, & quod verius judicat, ne totum corrumpatur. Quod deduxit ex *Gal. lib. de dissol. continua cap. 1.* Sic dicente. *Qui accepit cibum, & remanserunt in stomacho, aut intestinis reliquæ ex priori, per digestionem corrumpuntur cibis secundis cum reliquiis primi.* Quod totum scripsit etiam Avicen. *sen. 3. lib. 1. doctr. 2. c. 7.* in quo expressè docet crudum supra indigestum corrumpi, & sic non esse comedendum donec stomachus & intestina vacuata sint, sic ait. *Neque qui sanitatem custodire volunt, aliquid comedant, nisi desiderium fuerit certum, & stomachus, & superiora intestina à primo nutriente evacuata fuerint.* Ex quo loco videtur deduxisse Antonius Musa signa ad cognoscendum tempus commodum ad alimentum exhibitionem: nam, inquit, quod cum tempus commodum sit, quando alimentum est à ventre distributum cognosci, & quia ventriculus tensus non est, & quia evacuatio præcessit, & quia appetitus cibi adest: nam cum talis appetitus ex defectu cibi procedat dum prior distributus est, appetitus ejus datur, aut saltem non potest dari cibi fastidium; idè Avicen. docuit, cibum esse præbendum cum certum est ejus desiderium.

Ex dictis manifesta hora cibandi determinata est, non cum cibi desiderium adest, cum prior cibis coctus & distributus est, tensio ventris absuntur: quæ omnia signa coincidunt cum unum ex alio procedat, ad quod determinandum non est certa regula, et si Avicen. *cap. 7. citat.* sic scribat. Ex vicibus præterea satientis comestionis melius est ut homo unâ die semel, & altera bis manè & vespere comedat: hoc tamen certum non est, quia si citius quàm altera accedat dies, cibis absuntur, alius cibis præbendus est, ne incommoda quæ ab ipso Avicen. assignantur, eveniant. Sic ait *cap. citat. Famem quoque tollere, stomachum pravus replet humoribus.* Per plura accidentia ab ipso Hippoc. *2. acutor.* & *lib. de veteri Medicina,* adducuntur dum quis alimento quo eget privatur. Ergo hæc ex parte certa regula non est, nec erit, etiam si quando altera adveniat dies, prior cibis non sit consumptus, cum non sint minora incommoda quæ ex cibatione ante digestionem prioris adveniant, quàm quæ ex cibationis dilatione, dum ejus est appetitus. Assignant tamen Auctores certiore regulam esse quæ ex consuetudine desumitur; ita ut bis cibet qui bis cibare consuevit, semel, qui semel: at hæc regula, ut diximus, non probat doctrinam servandam à priori, solum quoad statum ægritudinis videtur conducere. Nos autem cum quæramus quomodo operandum sit, quidquid sit de consuetudine ex doctrina data, quoties cibis exhibendus est, deducemus manifestè sine errore. Dum verò Avic. & Hippoc. consuetudinem esse attendendam docent, est quia ex ipsa deducitur quanto tempore alimentum primò exhibitum coquatur & distribuatur, manifestè, & consequenter constat quoties occasio repetendi alimentum & quando existat: cum quo non nego etiam con-

suetudinem ipsam inducere necessitatem cibandi tali tempore, de quo suo loco. Id quod assero, est ipsam non præbere regulam ut cognoscamus quoties absolutè cibis sit exhibendus, cum ante consuetudinem conveniat.

Sed dices contra dicta. Ratione finis alimentum exhibetur: sed potest esse æqualis finis in homine calido, sive per ætatem augmenti, sive aliter, ac est in homine non ita calido: ergo æqualis alimenti quantitas est tribuenda in utroque, ac per consequens non rectè dictum est plus esse tribuendum in ætate augmenti & in hyeme, quàm alio tempore. Major est certa. Minor probatur, quia nõ implicat æqualiter utrumque resolvi, sive ratione causarum inevitabilium tantum, sive ratione aliarum coadjuvantium.

Secundò: Si cibis sit magnæ molis, & pauci nutrimenti, cavitas ventriculi repletur, & non erit alimentum requisitum pro necessitate: ergo ventriculi cavitas non determinat cibi quantitatem. Quod ex adverso confirmatur: nam si quis utatur carne vacuata replente cavitate ventriculi in statu naturali, & loco ejus caro arietina aut gallinarum exhibeatur minori quantitate, erit sufficiens ad supplementum alimenti debiti: ergo cavitas ventriculi non determinat quantitatem cibi: pro quo etiam facit quod cavitas cibo & potu repletur, & sic poterit repleri paucis cibo & largo potu, & contra: ergo ex cavitate ventriculi non deducitur quantitas conveniens.

Respondetur ad primum quòd in statu naturali non potest non esse major alimenti necessitas in corpore calido quàm in frigido, & sic ex hac parte plus est exhibendum in illo quàm in isto: cujus ratio est quia calor major ad majorem resolutionem facit, idè sic de ipsis loquitur Hippocrates, *Pluribus igitur egent fomitibus, alioquin corpus absuntur:* quod est dicere, à tali calore resolvuntur valde, præcipuè cum humidi sunt, igitur &c. Et quàm ejus necessitas sit æqualis reparationes in utroque ratione alicujus coadjuvantis, plus cibi tribuendum est in calido corpore quàm in frigido, ob fortius coctionis instrumentum. Dictum est ex Galeno *1. aph. comment. 17.* multum & sæpè esse tribuendum cum finis petit & facultas valet, parum & sæpè, dum ipsa infirma est, per quam non solum facultatem esse intelligendam diximus, verum & ejus instrumentum à quo præcipuè coctio perficitur.

Ad secundum respondetur quòd in statu sanitatis non est quantitas excedens, nisi quæ ita replet ut gravet, aut distendat, & sic semper cavitas determinabit quantitatem, quia pro tanta sufficit naturalis facultas: hæc tamen est differentia, quod cum alimentum multum nutriens est, magis retardat; cum parum nutriens, minùs; nunquam verò ultra conveniens. Dum autem dicimus cavitatem determinare quantitatem, intelligendum est, cibo & potu rectè proportionatis, de quo *infra:* nam si improportionata sint, non rectè metietur quantitas.

Si dicas ex hac doctrina sequi, nunquam exhiberi alimentum in majori quantitate quàm requiritur in statu naturali, si cum cavitate metiatur, quod videtur falsum; cum plenitudo ad vasa aut ad vires ex multitudine alimentorum eveniat semper, nullo vitio existente in subjecto.

Respondetur, quòd si omnia debito modo se

habeant, nulla resultabit plenitudo: si verò alimentum exhibeatur aut plus quàm erat pro cavitare exhibendum, aut quando non erat exhibendum, aut quando membra consumentia debiliora sunt, & minùs de alimento quàm antea commutant, tunc plenitudo datur; ad quod etiam conspiciatio externa cibare contingit, resolutionem impediens plurium partium & excrementorum.

QVÆSTIO III.

Vtrum victus ratio ex simplici aut pluribus alimentis sit eligenda.

APPARET quæstio de subjecto non suppone, cum nulla cognoscatur cibatio simplex; tum quia in qualibet homines diversis utuntur alimentis, pane scilicet, carne, oleribus & vino; tum quia quamvis unico alimento tantum uteretur aliquis, talis cibatio simplex non esset: Cum ex mente Galeni omne mixtum diversas partes diversis facultatibus præditas habeat, ut docet 3. de simplic. medicam. facult. c. 3. per hæc verba: *Omnia propemodum medicamenta licet sensu simplicia appareant, naturam tamen esse composita, quia & subinde quoque diversissimas in se continere facultates.* Quia ratione etiam ex quolibet alimento generari humores, refert communis Medicorum doctrina. Ergo nulla cibatio exquisitè simplex est: attamen cum de hoc non possit intelligi quæstio, solum agimus de compositione artificiali respectu simplicitatis naturalis, id est respectu eorum quæ solum naturali compositione constant, & simplicem cibationem modo possibili agunt.

Quæstio adhuc dupliciter potest intelligi, aut in uno prandio, aut in diverso; id est, an utilius sit unico alimento & simplici uti in uno prandio quàm diversis; an verò utilius sit uno uti alimento in uno, & diverso in altero, an verò semper eodem uti alimento commodius sit. Cum verò compertum existat diversis alimentis ferè semper homines uti in una cibatione, videtur eligendam esse in ipsa alimentorum diversitatem; tum quia consuetudo quæ semper servanda est, ad hoc facit; tum quia consuetudo ex eo quod conveniens est, debet ducere originem. Quam ratione Hippocr. lib. de salubri diata, text. 2. & 3. adducens alimenta utilia in quocumque tempore, in quolibet diversa enumerat: ergo diversa sunt sumenda. Idèd Gal. lib. de dissolutione continua, cap. 1. dum cibus aliquis probus assumptus fuit, alios esse admiscendos consulit, & sic ait. *Et quando est aliquis cibus non conveniens, oportet ne sit simplex, imò admisceant ei alios.* Cum quo coheret doctrina quæ ipse Gal. 3. acut. comm. 22. & Avic. fen. 3. lib. 1. doct. 2. cap. 7. dicunt tenuia alimenta ante crassa esse accipienda. Sic ait Gal. Nam perpetuè prius ingerenda sunt, quæ & faciliùs corrumpuntur, & subducuntur magis. Avicem. verò sic ait. *Ne aliud quod subtile est, & citò digeritur post forte nutriens, quod sit eo durius, sumatur in cibo.* Sed hæc doctrina supponit usum alimentorum plurimorum in una mensa: ergo eligenda est cibatio ex diversis alimentis.

Idem deducitur ex Hippocr. aphor. text. 50. in quo sic scripsit: *Oportet ad insueta pertransire.* Ergo diversis alimentis esse utendum; saltem diversis temporibus, consulit. Pro quo stat etiam ratio: Nam diversis temporibus constant in nobis: ergo & diversis alimentis debent nutriri, ac per consequens utile erit ad hoc diversis cibari cibis; præcipuè cum saltem diversorum humorum necessitatem concedant cum Hippocr. lib. de natura humana, omnes Medici, ad quod diversa alimenta necessaria sunt. Hanc partem confirmat Avicem. fen. 13. lib. 3. tract. 2. cap. 7. docens consueta destruere appetitum. Quam ratione etiam Gal. 4. de simplic. medic. facult. cap. 15. linguam, seu organum gustus concessum esse docet, ut alimenta convenientia accipiant, sic ait. *Oportebat quidem innasci animantibus organum quod natura similitudines ac dissimilitudines discerneret: quod agnoscens rerum naturas, familiaria eligeret, aliena refugeret ejusmodi.* Ergo lingua est organum gustus: ergo diversa alimenta sunt eligenda ut ei gustus immutet.

Vera tamen sententia est, simpliciorum cibationem eligendam, seu præferendam esse, quancunque alià quæ ex diversis alimentis fiat: quod debet intelligi tam in una cibatione, quàm in pluribus. Quam sententiam quoad diversas mensas, ostendit Hippocr. 2. acut. text. 21. per hæc verba. *Atqui quod vitiosus tum cibus, tum potus semper sibi similis ad sanitatem tutior sit, quam si quis subito ad alterum, licet meliorem magnam mutationem faciat, cognitu est facile.* Quibus verbis manifestè ostendit eodem alimento uti semper utiliùs esse, quàm ad melius subito permutari; est enim permutare, subito alimenta mutari. Ergo diversitas ciborum in diversa mensa fugienda est. Ratio quidem est manifesta; mutabitur enim consuetudo, & pro diversis humoribus dabitur materia; cum quodlibet alimentum etsi ad omnes faciat, pro suo speciali humore conductet, & sic corpus distemperabitur valde. Difficultas tamen major est in eadem mensa, in qua etiam verum existit adhuc in ipsa laudanda esse simpliciorum cibationem. Sic ait Avicem. fen. 3. lib. 1. cap. 7. *Et nihil quidem deterius quàm diversa nutrimenta simul adjungere.* Quod ferè omnes Medici accipiunt, ut videre est in comment. Iacobi & Gentilis, & in Valleio 1. Method. cap. 8. & in Vega 2. Art. medendi, cap. 12. Quod ex Hippocr. deducitur lib. de salubri diata, text. 22. in quo diversos cibos ventriculam subvertere docuit, & consequenter vomitum excitare; & sic per sanitatem esse diversitatem fugiendam. Quod Galenus explicuit in comment. per hæc verba: *Nam cibum semel capere, & eum unicum, item unum bibere, interim ad hoc ut illa retineat & coquat.* Quod etiam repetitur 1. de aliment. facult. cap. 1. Ergo simplex cibatio semper eligenda est.

Hoc etiam ratio suadet: nam alimentum debet esse simile: sed si variis & diversis cibis fiat cibatio, non potest reperiri in quolibet similitudo; siquidem eo gradu quo differunt, non possunt convenire, & sic nec similitudinem habere: Ergo eis non est utendum, aliàs alimentum disproportionatum, & proportionatum erit exhibendum.

Secundò & fortiùs, quia alimenta hæc diversa aut sumuntur, & postea aliud, & è contra: sed utroque modo est inconveniens: ergo non est utendum diversis alimentis. Major est:

certa : Minor probatur ex Avicenna *cap. 7. lib. 1. citat.* in quo expressè docet quòd si precedat cibus durus, cum secundus citius coquatur, & non possit distribui, corrumpetur, & corrumpet priorem : si verò cibus facilis coctionis præcedat, cum viæ post cibi coctionem aperiantur, facit ut secundus cibus ante coctionem distribuatur : sed utrunque est inconveniens : ergo nullatenus cibatio composita eligenda est.

Hoc argumentum diversimodè explicatur ab Autoribus, & examinabitur magis dum opposita solvemus : pro quo advertendum est simplicem cibationem non dici absolute, quia unico tantum cibo fiat ; sed quia fiat alimentum ejusdem qualitatis quoad facilitatem & difficultatem coctionis & distributionis, sicut è contra composita erit cibatio quæ ex alimentis diversarum facultatum componitur. Quod manifestum fecit Hippocrates *lib. de salubri diæta*, in quo docens quæ vomitum ciant, & quæ minimè, inquit *text. 20. Omnis generis cibum ingerant qui vomere volunt.* Quod explicans Galenus in *comment.* sic ait. *Inter sese mutuo dissidentes minori negotio vomitum movent, quippe simplicis & unica speciei mox saturant.* Ergo simplex cibatio ob simplicem facultatem datur, non ob singulare alimentum; composita ob compositam : qua ratione ob diversa accidentia quæ ex diversis accidunt cibis, Galenus & Avicenna. ciborum multitudinem seu conjunctionem prohibent, ut dictum est. Ex quo patet rectè ex carne & pane fieri cum vino cibationem communem, quia ferè in omnibus conveniunt. Loquor quoad coctionis & descensus facilitatem : nam quoad qualitates, aliàs dicemus. Quà ratione voluit noster Vega *cap. 12. cit.* panem veluti materiam alimentorum esse, ut de cera & oleo datur medicamentorum materia : sic panis cuicumque alimento miscetur. Quod non ob hanc rationem esse judico, sed quia utilior est usus panis in qualibet cibatione, ut *2. de aliment. facult. cap. 1.* docuit expressè Galenus, ob bonam substantiam quam præstat, & ob mediam naturam quam habet, per quam à nullo extremo valè distat, & sic cuilibet alimento optime miscetur.


Secundò advertendum est, quod cum dicimus eligendam esse simplicem cibationem, debet intelligi nullà existente dispositione violenta, seu præternaturam, ratione cujus unum aut alterum requiratur. Quà ratione cum venter lapsus est, ad extergentia debemus procedere ; cum astrictus, ad laxantia, & sic de cæteris ; variatur enim ratione morbi cibatio. Quà ratione etiam ad appetentiam excitandam diversis condimentis seu alimentis sapore aliquo appetitum moventibus utimur, juxta Philosophum *cap. 4. de sensatione.* Sic adhibentur cæteri sapes in victu, ut sint veluti condimenta, propter quod jam hoc ad inceptionem prandii, jam illo condimento ad desitionem utimur communiter, non tamen idèò utiliùs ad esse alimenti, etsi ob alias rationes conveniant.

Ad argumenta igitur respondetur : ac primò ad Hippocratem *lib. de salubri diæta*, non consulere diversæ virtutis & facultatis alimenta convenire, potiùs contrarium ostendit : siquidem cum hæc aut alia alimenta convenite dicit, omnia ejusdem & determinatæ naturæ esse docet. Sic ait : *Vinum potus esse debet ; cibus purus ; obsonia, assa omnia. Oleribus paucissimis est uten-*

dum ; nam hæc potissimum ratione corpus calidum & siccum fuerit ; agebat de victu hyemis. Constat ergo quomodò etsi diversa contendantur alimenta, omnia in unam naturam convenire dicat, ac per consequens simplicior cibatio est laudanda : quæ ratione dicimus simplicem cibationem esse quæ apud omnes est communiter in usu ; nî alicujus accidentis ratione diversitas sit. Propter quod Galenus *lib. de dissolutione continua*, dum bona alimenta tribuit, docet post aliud pravum ad correctionem primi est, non ut alimentum præcisè. Quos casus Galenus & Avicenna, respicientes, ordinem servandum in assumptione ciborum volunt.

Ad aliud *2. aphorist. text. 50.* respondetur loqui Hippocrat. non de utilitate sequenda ex victu præcisè, sed de illa quæ ratione eorum quæ accidunt, evenit. Evenit quidem pluries non posse uti alimentis optimis & assuetis, idèò ad insueta pertransire docet, ne molestè feratur usus illorum quæ denuò offeruntur : quod non tollit utiliùs esse servare semper eundem ordinem.

Ad rationem respondetur sufficere diversitatem sumptam ex humoribus, ut qualibet pars habeat conveniens alimentum, & ad hanc diversitatem sufficere naturalem alimentorum compositionem ex partibus elementis correspondentibus. Dum verò Avicenna. consueta destruere appetitum dixit, explicatum est evenire, quatenus consueta minus invitant ipsum, sed ad petendum conducit immutatio ab alimento, ob quod quæ appetitum excitare habent, sapore constant excedente aliquo, ut dictum habemus.



QVÆSTIO IV.

An crassa, an tenuia alimenta debeant præcedere in prandio.

CIRCA ordinem servandum dum plura & diversa assumuntur alimenta in una mensa, varia sunt placita : siquidem utroque modo inconveniens invenitur ; corrumpitur enim tenue, si crassum & durum præcedat ; distribuitur tamen durum ante coctionem si tenue primò sumatur ; Ergo nunquam simul accipienda sunt. Antecedens ostendit Avicenna. *fen. 3. lib. 1. doct. 2. cap. 7.* qui sic ait. *Sollicitus esse debet sanitatis conservator, ne illud quod subtile est, & citò digeritur, post forte nutriens quod sit eo durius, in cibo sumat, quia prius digerit quàm ipsum, & super illum natat, non habens viam quæ penetret ; putrescit ergo & corrumpetur, & corrumpet illud quod ei admiscetur : nec primò comedere debet cibum labilem, ita ut post ipsum, cibum fortem & durum sumat, quoniam cum ipso labetur, cum ad intestina penetrabit, eo nondum in tempore digesto, quantum debeat.* Quibus verbis non solum docet nec crassa ante tenuia alimenta esse sumenda, neque è contrà ; verum & inconvenientia eorum adducit : nam si crassum præcedat alimentum, cum prius tenue coquatur, & non possit distribui, supernatate, & putrescere est necessum : si verò crassum post tenue sumatur, cum tenue citius coquatur, natura ad distributionem movebitur, & cum viæ aperiantur, crassum

crassum etiam ante coctionem distribuetur. Quod videtur ex Gal. *lib. de dissolutione continua, cap. 1.* desumpsisse, cum eadem proferatur doctrina.

Hunc modum dicendi non recipiunt plures; imò etsi utilius sit simplicem facere cibationem; dum cōposita sit nullus est servandus ordo, nullumque inconueniens ex qualibet cibandi ratione recognoscunt. Primò quia alimenta per coctionem, seu dum coquantur, liquantur: Ergo quomodocunque sumantur, permiscentur inter se. Antecedens est notum ex Philosopho 4. *Meteoror.* & ex communi Medicorum consensu, ergo & consequentia.

Secundò probatur: nam quælibet habet proprium alimentum attrahere; ergo quando alimentum aliquod coctum sit in ventriculo, ita ut cum habeat quod requirit, ad esse alimenti aliarum partium, attrahetur ab ipsis; & quod hoc non habuerit, non poterit trahi; ac per consequens si crassum coctum non sit, non distribuetur, etsi tenue distribuatur. Antecedens ostendit Gal. 1. *aphorif. comment. 18.* & 6. *Method. cap. 5.* quod consequens ergo certum est: nam alimentam ventriculi nondum hepatis obiectum est, donec in chylum sit mutatum; ergo non trahet antea, aliàs trahet hepar quod est dissimile pro eius actione. Quod verò non labatur, sed potius retineatur crudum à ventriculo, docet etiam Galenus 6. *aphorif. comment. 1.* dicens alimenta tempore detineri in ventriculo, & postea mitti, quod est ea non rejicere ventriculum donec coquantur. Quod clariùs 4. *de usu partium, cap. 17.* adducens usum tenuium intestinorum docuit per hæc verba, quod non antemittatur è ventriculo cibus quam perfectè sit coctus, hoc non demonstratum est: Ergo nihil interest tenuia ante crassa exhibere alimenta.

Quod verò crassa alimenta ante tenuia non solum sine inconuenienti sumantur, verum etiam utiliùs, ostendit in primis Galenus *lib. de dissolut. contin. cap. 1.* per hæc verba. Si aggregat aliquis in comestione una cibos velocis digestionis, & alios duræ & tardæ digestionis, in fundum, proponat cibos, duræ & tardæ digestionis in fundum stomachi, quia fundus est calidior, & superius stomachi est frigidum, & debilis coctionis, idèò quando natat cibus in stomacho, non digeritur. Quibus verbis non solum placitum ostendit Galenus, verum etiam rationem reddit, quia utiliùs est alimenta duriora tribui ubi facultas magis valet. Sed magis valet in fundo ventriculi; ergo in illo ponenda sunt crassiora alimenta, tenuiora juxta os eius. Major est certa. Minor constat ex doctrina Gal. qui 9. *de loc. affect. cap. 6.* in quo sæpissimè docet cibos natantes in ventriculo corrumpi, secùs autem qui in fundo eius sunt, quod ob calorem majorem talis partis est: Ergo crassa ante tenuia sunt exhibenda alimenta.

Qui hoc placitum sequuntur non corrumpi tenuia alimenta, etsi ante crassa coquantur, & non distribuantur, probant primò quia nullum constat agens corrumpens ex eo quod coctum sit alimentum & distribuatur; siquidem ex alimento cocto non possunt eleuari fuligines calore putrefaciente, aliàs, etiam si coctum non esset, putrefaceret.

Secundò quia si ventriculus chylo nutriretur, ut voluerunt plures, chylum habebat retinere

ad sui nutritionem sine putredinis periculo: ergo etiam si alimentum detineat, non putresceret. Tertiò quia nullus potest indicari locus ad conservationem alicujus corporis aptior quam ille quem ad generationem ejus disposuit natura: sed talis est ventriculus: ergo non poterit in eo corrumpi chylus, quamvis detineatur. Tandem sic arguo. Dum liquida sumuntur, nihil interest ante solida aut post ipsa, quia quomodocunque sumantur, sumantur liquida permiscentur cum solidis, ut patet dum aquam cum pane miscemus: sed chylus liquidus est; ergo penetrabit per alimenta solidà consistentià, ac per consequens non corrumpetur chylus ob detentionem supra solida.

Vera tamen sententia est quam ostendit Galenus 3. *acut. com. 22.* dū diversa alimenta sumuntur, tenuia ante crassa assumenda esse ait: Nam perpetuò priùs ingerenda sunt quæ faciliùs corrumpuntur & quæ subducuntur magis; posterius verò cōtraria, quod in qualibet victus ratione observandum esse voluit Galenus, cum supra illa verba Hipp. *Mulsa etiam post prissanæ sorbitionem est inutilis,* hæc scribat. *Verum uno mulsa prissanæque exemplo edoctus, universalem hunc accipe sermonem; nam perpetuò ingerenda sunt priùs,* &c. Ergo de mente Gal. & Hippocri. tenuia ante crassa ingerenda sunt. Quod & ratio probat objecto alicujus facultatis existenti ejus operari impedire, violentum & præternaturam est: sed coctione alimenti facta in ventriculo debet chylus distribui, & excrementa quæ resultarunt vi coctionis expelli: ergo non est impediendum tale opus: sed existenti crasso & duro alimento infra tenue, impeditur chyli distributio & excrementorum expulsio; existenti verò tenue infra crassum, sequitur operari reliquas facultates, objecto earum existente; ergo tenue ante crassum exhibendum est, præternaturam duro existente infra tenue, vià alimento crasso occluduntur, & sunt impeditæ ad distributionem coctionis; quod non erit si tenue infra crassum sit; ergo tenue ante crassum est exhibendum.

Præterea quia si crassum ante tenue existat, aut cum tenui coquatur, antea quam distribui possit, necessum est putrescere aut corrumpi ab excrementis vi coctionis elevatis, quæ cum non distribuatur per occlusionem viarum, & jam partes alterius entis sint: siquidem fuligines & excrementa quæ per coctionem resultant, substantiæ diversæ sunt: atqui in illo casu necessum est quòd ipsum chylum alterent & corrumperent. Qua ratione fuligines ex communibus coctionibus elevata, si per cutis constipationem detineantur, febrem causant: ergo & ipsæ detentæ corrumpent chylum, & consequenter totum quod in ventriculo est. Quod docuit Gal. *comment. citato*, & Avicenn. *cap. 7. lib. 1. citati*, qui postquam dixit non esse sumendum crassum ante tenue, veluti reddens rationem, sic ait. *Quia priùs digeritur quam ipsum, & super illud natabit, non habens viam quam penetret, putrescet & corrumpetur, & corrumpet illud quod ei admiscetur.*

Contra hanc doctrinam Antonius Musa 3. *acut. comment. 22.* objicit. Meatus per quem cibus à ventriculo distribuitur non est in fundo, sed in dextero latere prope medium; ergo etsi coquatur ante, crassa poterunt distribui, etsi ultimò sumantur. Respondetur ordinem naturæ esse

esse talem ut prius distribuere tentet quæ prius assumpta sunt; & sic si crassa præcedunt, non poterunt ante ipsa ejici tenuia: præterquam quod minima quantitate alimenti prioris occludit meatus, ut secundum distribui non possit, etsi coquatur.

Sed dices; licet verba adducta in Avicenna inveniuntur, non idem docent tenue alimentum ante crassum esse sumendum, sed potius ostendunt nec crassum ante tenue, nec hoc ante crassum esse sumendum, cum utriusque adducat inconueniens diversum: nam sicut docet corrumpi tenue si sumatur post crassum impeditur distributionis viâ, etiam docet distribui crudum antequam coquatur, si sumatur post tenue, quia aperta viâ ad distributionem tenuis, crassum ante coctionem labitur & distribuitur; verba posita sunt supra: Ergo nullo ordine alimenta dissimilia sunt sumenda; sed similia debent esse inter se semper.

Respondetur verum esse Avicennam docuisse quomodolibet alimenta dissimilia sumantur inconueniens esse, quod omnes etiam fatentur: asserimus tamen minus inconueniens sequi si tenuia ante crassa sumantur dum dissimilia sunt, quam è contrâ, cum quo non negamus cibationem simplicem esse laudandam prius. Quod verò minus inconueniens sequatur si tenuia ante crassa sumantur quàm è contrâ, patet: nam si crassa præcedant, est corruptionis periculum, ut dictum est: si verò tenuia præcedant, non est necessarium crassa ante coctionem distribui; cum facultas expellens non habeat pellere ante coctionem, & potius retinens usque ad coctionis perfectionem retinere habeat, nec trahens quod crudum est trahat. Propter quod Galenus 4. de usu partium, cap. 17. cibum non emitti ante perfectam coctionem à ventriculo docuit. Et adhuc quamvis aliquid crudum distribueretur, ex eo quod tenue alimentum ante crassum sumatur, minus malum esset, quàm quod tenue putrescat, & corrumpat omne aliud, ex eo quod post crassum exhibeatur. Quo manet explanatus Avicenna, qui docet utilius esse alimenta similia esse; at tamen dum diversa esse debent, tenuia ante crassa sunt sumenda.

Secundus modus dicendi ostendit per liquationem omnia misceri, qui licet verum teneat dum omnia æqualiter liquantur, quando tenue cum crasso conjungitur, in ita sit; prius coquitur tenue, & hoc adhuc non liquatur; ita ut ejus partes ut aqua misceantur, siquidem crassior ejus adest substantia, & sic non valet penetrare ut miscetur cum partibus alimenti crassi, & quod magis est, partes excrementosæ detinentur, quia crassæ sunt, & facillè corrumpuntur, & corrumpunt reliquam ratione fuliginum detenturam & elevatarum vi coctionis & putredinis; fuligines naturales putredinem inducere valere ostendit febris ex constitutione cutis proveniens.

Ea quæ probabant tenuia alimenta sine inconuenienti ante crassa exhiberi, pro nobis faciunt, atqui crassa debere præcedere ostendunt. Respondetur ad Galenum loqui quando non sunt valde diversi cibi inter se; quia tunc parva illa differentia suppletur ex inæquali activitate partium ventriculi; at quando sensibiliter diversa sunt alimenta, crassa sunt proponenda ob rationem dictam.

Ad primam rationem Respondetur ex coctione elevari fuligines quæ ex propria natura in sufficienti quantitate valent putredinem causare, quia calidiores vivente sunt. Ad secundam & tertiam Respondetur, quòd licet quæ in ipsis continentur, vera sint, non tollit quòd si agens detur corrumpens, putredo resulet & agens corrumpens conjungitur ex occlusionem viarum per quas erant distribuenda excrementa simul cum chylo. Ad ultimam dictum est chylum non esse ita tenue & fluxilem ut aquam, & sic non posse penetrari seu misceri cum alimento crudo & crasso.



SECTIO III.

De Potu.

QVÆSTIO I.

Quid sit Potus, & à quo indicetur.

QUIDVID de cibo sub controversia positum est, etiam de potu venit examinandum; est ferè eadem utriusque ratio: deducetur doctrina conveniens ad statum ægritudinis seclusâ ratione medendi ex his quæ de potu per sanitatem docuerimus, & ex eis quæ de cibo dicta sunt, multa ad naturam potus explanandam deducemus. Qua ratione cum Hippocrates & Galenus & Avicenna nullam adducant potus expressam definitionem, ex doctrina eorum deducenda est: definiendus igitur potus est per suos effectus. Sic Recentiores jam substantiam fluxilem ad coctionem alimentorum conducentem potum appellant; jam ad distributionem facientem. Rectius tamen procedemus si potum dicamus esse substantiam fluxilem, frigidam & humidam ad sitim auferendam. Quam definitionem ex Philosopho deducimus 2. de anima, cap. 3. in quo sitim definiuit, dicens esse appetitum frigidi & humidi, & frigidum & humidum quod appetitur, est potus ad ablationem sitis: ergo potus est frigidum & humidum ad ablationem sitis faciens: Et cum humidum dupliciter possit intelligi, & prout fluxile est, & prout humida qualitate afficitur, utroque modo est intelligendum potum frigidum & humidum esse, & sitim frigidi & humidi esse appetitum, quia utroque modo ad fines propter quos fuit institutus conducit, ut dicemus.

Sed dices: Plures alii sunt potus usus quàm sitim sedare: sed potus definitur per ejus usus: ergo omnes erant adducendi, ac per consequens diminuta erit adducta definitio, cum non explanetur per eam integra potus natura. Præterea, quia alimentum etsi tollere habeat famem, definitum fuit à Galeno per finem ultimum ejus; quod est per hoc quod est reparare substantiam: ergo potus etiam erat definiendus per id quod ultimo fuit ordinatus, & non per hoc quod est sedare sitim. Patet: nam posito fine ultimo, omnia quæ ad ipsum faciunt sunt intelligenda: ergo per alios fines erat definiendus potus, & non per hoc quod est sedare sitim.

Respon

Respondetur ad primum, quòd licet alios habeat potus usus, & propter ipsos exhibeatur, cum sitis sit affectio, seu dispositio immediatè ejus necessitatem significans, propter quod sitis potûs appetitus datur; hinc est quod manifestetur magis potûs natura per hoc quod est sedare sitim, quàm per alios effectus; includit enim sitis sedatio effectum quendam, pro cuius consecutione potus exhibetur, quo consecuto, sitis aufertur, quod non fit etsi alimentum effectum consequatur, si alius deficiat: quâ ratione aceto exhibito pluries, non aufertur sitis, etsi substantia pro distributione alimentorum tanquam vehiculum existat, & pro elixatione in ventriculo faciendâ, ut constet potûs naturam stare cum sedatione sitis, quàm aliis.

Ad secundum Respondetur quod alimentum non explicatur rectè, dicendo esse sedativum famis, quia non datur finis proprius ejus: Explicatur rectè potus per verba data, quia ipsis non solum datur sitim sedare, sed esse talem substantiam sitim auferentem, & per substantiam talem constat quomodò eam auferat, & adhuc fines alij potûs explicatur.

Dices iterum: sic habet potus reparare substantiam humidam, ut habet alimentum substantiam siccam reparare: ergo sicut hoc definitur per talem finem, potus per eundem debet definiti. Antecedens ostendit Galenus 1. de sanit. tuen. cap. 2. per hæc verba. *Cibo igitur quidquid solida substantiæ effluxit, restituimus; potione quidquid humidioris: atque ita ad pristinam Symmetriam ambo reducimus.* Quod etiam scriptum reperitur lib. de dissolut. contin. cap. 1. per hæc verba. *Quia corpora hominum fuerunt in continua resolutione, necessary fuerunt cibi & potus.* Ergo non solum cibus, verum etiam potus, sunt in reparationem deperditi. Quo fundamento videtur loqui Mercatus cap. 2. de relecta potûs administratione, cum non solum cibus, verum etiam potum addere scripsit: quod non solum de vino, & aliis medicatis potionibus est intelligendum, verum etiam de aqua saltem alimentis permixta.

Hoc argumentum petit ut omnes fines potûs examinemus. Circa quod nullus dubitabit potum ad distributionem alimentorum facere, quatenus sua fluxibilitate fluxilentem magis reddit substantiam ex alimentis resultantibus in ventriculo aut hepate, jam laxitate à solutione aliqua inducta, ratione cuius aprius substantia attracta, aut impulsâ à facultate fluere & permeare potest vias angustas, ad quod fluxibilitas aquæ facit, & coadjuvat humiditas, nihil tamen interim aquam calidam, aut frigidam esse. Facere etiam potum ad alimentorum in ventriculo elixationem docet experientia manifestè; est enim ventriculi circa alimenta elixatio, coctioni similis, ut 4. Meteor. capite tertio docuit Philosophus, per hæc verba: *Cum Ars imitetur naturam, nam cibi in corpore coctio elixationi similis est: etenim à corporis calore in humido & calido fit: ergo humidum prout fluxile aquæ ad elixationem facit, & consequenter potus: quod intelligendum est in ventriculo tantum; nam cum aliis partibus fluxile jam sit quod alteratur, non indiget humido in quo alteretur, aut quia humidum humido non indiget si totum elixatur: aut quod verius est, quia liquidum seu fluxile tale est propter plurimum feri quod*

includit, ratione cuius sufficiens humidum est in quo id quod transmutabile verè & propriè elixetur; dictum enim *quæst. de elixatione*, liquida impropriè elixari, ad quod etiam fluxibilitas & humiditas aquæ potûs requiritur, quidquid de calore aut frigore sit, etsi calor ad utrumque conducibilior existat, facit quidem ad laxitatem & fluxibilitatem magis, sicut etiam & ad coctionem conducit. Quos duos usus in potu communis Medicorum consensus concessit, ut docuit Valles. 1. *Metb. cap. 10.* & Mercatus c. 2. cit.

Propter hos duos usus conducere ad exsuccationem alimenti voluit Mercatus, quatenus humiditate & calore potûs, succus alimentorum melius extrahitur, ut succus oliuæ aquâ calidâ, & conducere ad alimentorum permixtionem inter se, quatenus ad coctionem faciendam in ventriculo liquatio debet præcedere, ad quam humiditas & fluxibilitas potûs facit: at cum hoc conducere ad elixationem sit, hi duo usus à secundo posito non differunt.

Difficultas major est, an ad reparationem alicujus substantiæ resolutæ potus conducatur, ut videtur significari à Galeno, & pro. ejus doctrina difficultatis ratio stat: quando duplex sitis naturalis invenitur, alia quæ præcisè à calore & siccitate causatur per consumptionem alicujus substantiæ humidæ, ratione cuius sitis excitatur; secus appetitus potûs existit, nullo adhuc existente alimento, quæ sitis humido exhibito aufertur. Alia verò est quæ causatur per assumptionem ciborum solum, ita ut potus interponendus sit, ut deinceps possit alimentorum esse ingestio. Utamque sitis differentiam docet experientia, & utriusque meminit Hippocr. lib. de salubri diæta, tex. 31. per hæc verba. *Quos sitis infestat, cibos & labores minuunt.* Quibus verbis sitim excitari docet & per cibos, & per humidi resolutionem, ad quam labores faciunt, alias non rectè prohiberet cibos & labores, sitis existente; tunc sic: sitis naturalis causatur per resolutionem alicujus substantiæ humidæ: Ergo potus talem substantiam reparare habet. Patet: nam illum defectum potus non suppleret, ipso non cessaret sitis, quia necessitate existente humidi propter quam est sitis, debebat sitis permanere, sed sic quod cessat sitis potu exhibito: ergo supplet & restaurat humidum propter cuius defectum sitis erat.

Confirmatur hoc placitum, quia sitis præter naturam quâ laborantes, extenuati & exsiccati apparent, potu exhibito aufertur: Ergo per potum reparatur quod deficit. Quo fundamento calorem minuere appetitum cibi, augmentum potûs, docuit Avicen. fen. 13. lib. 3. tract. 1. cap. 18. quia ad exsiccationem per consumptionem substantiæ humidæ calor facit, ac per consequens potus ad ejus restorationem, tandem: Nam sitis ex communi Medicorum sententia, supponit ventriculi corrugationem, ut voluit Galenus 1. de causis symptomatum, cap. 7. sed si non consumatur aliqua substantia, non potest corrugari ventriculus: Ergo sitis conjunctionem humidæ substantiæ dicit quæ per potum restauratur.

Nihilominus certissimum judico, nullatenus verum potum reparare substantiam, sed tantum sitim cohibere per humectationem & fluxibilitatem & frigiditatem quam habet, ratione cuius & ad coctionem & ad distributionem alimenti conducit

conducit, & possit potus rationem alimenti habere, quatenus substantia sit fluxilis frigida & humida, quæ ad auferendam sitim valeat, & similiter reparare resolutum à causis naturalibus, tale est lac: & sic potus rigorosè definiendus erat, substantia fluxilis frigida & humida sitim auferens, & nullatenus nutriens. Hoc probatur primò, quia verus potus ex communi sententia, est aqua, ut docuit Galenus 1. de simplic. medic. facult. cap. 3. & recipitur ab Avicenna, fen. 3. lib. 1. doct. 3. cap. 8. & cum eo Valles. tam in comment. quam 1. Method. & Mercatus: sed aqua non nutrit, ut ipse Galenus docuit 4. de simplic. medic. facult. cap. 14. ex Philosopho lib. de sensu & sensibili, cap. 4. ergo potus non habet reparationem substantiæ.

Præterea quia ipse Galenus alimentum definiuit 1. de aliment. facultatib. dicens esse quod habet reparare nostram substantiam: sed si potus hoc haberet, non sufficienter definiretur alimentum: ergo potus non habet reparare substantiam. Quâ ratione Galen. 4. Aphorism. comment. 13. sic ait. *Aqua quidem neque epota, neque extrinsecus occurrans, apta est solidas partes humectare.* Quod per conversionem insubstantiam intelligunt Interpretes: siquidem cum eodem fundamento 3. acut. com. 43. sic ait de aqua ipse Gal. *neque siccitatem humectat,* & veluti reddens rationem subdit. *Quod autem non aliat dictum est;* ergo non habet substantiam restaurare. Cum verò restaurari posse humidum resolutum scripsit, intelligendum est quod requisitum ut humidæ partes comparentur, non tamen potum converti facit; nam cibus ex se ad solidas & siccas partes, ratione potus ad humidas; etsi etiam possit intelligi quatenus humidum requisitum ad coctionem & distributionem alimentorum deficit, & ipsum restauratur per assumptionem aquæ præcisè, nullâ existente conversione; aut quatenus per potionem non verum potum intellexit: idè Hippocrates 2. aphorif. text. 11. sic scripsit, *Facilius est repleri potu, quam cibo;* ubi per potum, potionem nutrientem intellexit Galenus in commentar.

Ratio tamen pro contraria posita solum probat sitim causari calore ad resolutionem partium faciente, quod est verum, non tamen præcisè ratione defectus partium, sed quia calor partes resolvens, humidum ab alimentis requisitum resolutum supponit, & sic potus sitim tollit, non quia partes levat, sed quia substantiam requisitam præbet. Quomodo verò hoc fiat, perit examinare principalem finem potus. Diximus potum esse substantiam frigidam & humidam &c. ex eo quod sitis appetitus frigidi & humidi sit, ex Philosopho. Constat, namque fluxibilitatem & humiditatem ad coctionem & distributionem alimentorum facere, & hoc modo etiam ad exsiccationem & liquationem. Restat verò quomodo potus frigida & humida requirit, & propter quem finem; tum quia fines positi potius calorem desiderant, quam frigus: siquidem calore magis quam frigore coctio & distributio, liquatio & exsiccatio fit: tum quia frigus, etsi propter aliam finem, requiratur. Quo constare videtur esse prohibendum, cum plures fines inveniuntur calorem exposcentes.

Henriquez Laurea Medica Tom. III.

Contra hanc difficultatem Mercatus loco citato, quem sequitur noster Petrus Garcia disput. 51. de locis affect. capite 5. frigidum esse potum ostendit, ut resolutio humidi à calore impediatur; conservatur quidem vivens diutius, quando humidum diutius permanet, resolvitur tamen humidum à calore, ut 1. de sanit. tuend. cap. 2. & lib. de marcure, cap. 4. docet Galenus, sive nativo, sive violento; ergo calore temperato humidum resolutio impediatur, ac per consequens frigidus debet esse potus ad attemperationem caloris pro resolutione facientis. Ob quod Avicenna, fen. 2. lib. 1. doct. 2. cap. 16. sanis aquam frigidam utiliore esse cæteris scripsit. Cum verò ex alia parte humidum resolutio siccam passionem dicat, saltem eo modo ac vivens per ætates, citius coctio fit; hincque est quod sitis appetitus frigidi & humidi sit, & quod propter rehumectationem & refrigerationem potus frigidus & humidus requiratur; est enim principalior finis, quia magis ad vitæ conservationem facit, etsi alij contrarij petant: quâ ratione calore quomodolibet aucto, sitis excitatur, tanquam signum à natura concessum ut auxilium pro calida & sicca passione præbeamus, naturale pro naturali, idest pro illa quæ à causis naturalibus evenit, excessivum pro violenta; sic cibo ingestio sitis est, & quia à calore ejus necessitas & appetitus potus excitatur, & quia ex alijs finibus deficit humidum propter quem etiam est potus appetitus; requirit enim cibus ingestus humidum ob fines dictos, nisi forsan multum in ventriculo præcedat, quo tempore sufficere abluere os, ut ea quæ partibus ejus & gulæ adhærent & excicant, auferantur.

Contra dicta multa objici possunt. Primò quia sitis perit ventriculi corrugationem, saltem antecedenter: Sed frigus corrugationem facit, nec aliter appetitum excitare & ventriculum roborare docuit Avicenna, cap. 16. citat. & cum eo Mercatus: ergo sitis non est appetitus frigidi.

Secundò, fames est appetitus excitatus à sensatione alicujus, supposita ventriculi corrugatione, sive sit quod sentitur qualitas aliqua specialis, ut noster Petrus Garcia voluit disput. 51. citato sive factus à partibus, ut alij voluerunt: Sed eadem corrugatio invenitur in siti: ergo eadem debet esse sensatio, ac per consequens sitis & fames debet esse appetitus ejusdem. Minor probatur: nam corrugatio fit ex defectu substantiæ quæ debebat esse in ventriculo, sive sit alimentum, sive cibus, sive potus, ratione cuius partes inter se constringuntur: Ergo eadem corrugatio. Neque interim dicas corrugationem esse in fame defectu alimenti: in siti, defectu humidi potabilis, & sic esse diversam. Nam contra est, quia constructio fit per defectum distans substantiarum, quatenus partes ununtur inter se: ergo eadem erit corrugatio, & eadem dispositio ad eandem sensationem. Quod confirmatur: dum corrugatio fit defectu alicujus partis, siquidem in siti & fame potest reperiri: ergo in tali casu sitis per alimentum auferetur, cum alimentum reparando substantiam deficientem, causam corrugationis auferat, præcipue cum per distensionem ab alimento factam corrugatio tollatur.

P

Tertiò

Tertiò. Nam si sitis appetitus frigidi & humidi est, per alimentum frigidum & humidum posset tolli; si verò fluxilem esse substantiam requirat, etiam chylus ex alimento factus liquidus est; quod confirmat sitis quæ somno tollitur, ut docuit Hippocrates 6. *de morbis popularib. part. 4. text. 22.* sed non aliter somnus sitim aufert, nisi quia ad coctionem facit alimentorum, quæ post ipsam humectantur, aut quia sanguis ad intra retractus madefacere habet: Ergo alimento poterit tolli sitis. Neque obstat chylus calor, cum etiam vino sitis auferatur adhuc in calidis naturis, ut docuit Hippocrates *lib. de salubri dieta.*

Quartò. Quia assumpto cibo advenit sitis, propter quod Hippocrates 6. *de morbis vulgarib. part. 6. text. 4.* dum ordinem servandum quoad usum rerum non naturalium adducit, post cibum potum commendat. Sic ait. *Labor, cibus, potus, somnus, Venus, &c.* Sed præcisè ex assumptione cibi non ponitur aliquid quod appetitum moveat ad potum: ergo non est appetitus animalis ob calorem aut siccitatem frigidum & humidum petens.

Tandem quia ex Galen. aliqua reperitur sitis quæ aceto tollitur: sed acetum siccum est; ergo non est appetitus humidus. Antecedens patet 1. *de simplic. medicam. facultatib. cap. 22.* Sic ait Galenus. *At si quando in unum coeant humiditas atque caliditas, ejusce quidem sitis optima medela acetum est:* Ergo etiam esse sitim solum humido indigentem ex eodem loco constat, cum asserat Galen. sitim à duplici causa fieri, sic ait. *Quippe cum & sitis ipsa duplici ratione provenire solet, partim humoris inopiâ, partim caloris copiâ:* ergo non semper appetitus frigidi & humidus est sitis.

Nihilominus vera sententia est, potum frigidum & humidum & fluxilem debere esse, tum ob coctionem, tum ob distributionem alimentorum, principaliter ad humectationem, & impediendam partium resolutionem à calore proveniente, ut dictum est: Ideò Avicenna *fen. 2. lib. 1. tractat. 2. capite 16.* postquam utiliorem judicat aquam frigidam pro potu, plura incommoda ex aqua calida enumerat, seclusâ ratione medicinali, juxta quam nequit dubitari potum jam calidum, jam frigidum, jam humidum, jam siccum, saltem partim convenire ratione affectûs, & sic modo dicto potum esse definiendum, ut etiam fines propter quos fuit institutus ex definitione conveniant.

Ex dictis patet potum etiam à facultate indicari, ut indicat alimentum, quatenus pro conservatione rerum naturalium est, sive quatenus resolutionem causarum inevitabilium impedit, quod est omnimodam rationem potus habere, etsi ut medicamentum à morbo indicetur, prout ad rehumectationem & refrigerationem violentam facit, & consequenter prout impedit resolutionem violentam, ut de alimento diximus, & sic æqualiter de cibo & potu est loquendum, tam quoad indicationem ejus præcisè, quàm quoad modum utendi ipsius. Ideò 2. *acut. text. 36.* Hippocrates, dum conjicere oportere docet, & robur, & morbi modum, inquit hoc esse faciendum non solum in cibus, verum etiam in potionibus: non tamen potum ita indicari à viribus est dicendum ut alimentum, ratione

cujus dicamus facultatem fortem, aut debilem, multum aut parum potus petere, non est ita, solum hoc verum habet prout ad rationem alendi potus facit; & ratio est nota, quia cum facultas reparatur præparationes seu restauratione rerum naturalium, & ad hoc alimentum faciat, non potus, idèd alimentum propriè à facultate indicatur, potus verò prout ad reparationem faciendam ab alimento conducit: ex se verò magis ab alijs finibus proprijs ejus indicatur quàm à facultate, ut de remedijs diximus, quæ licet pro esse virium faciant, quia ad consecutionem rerum naturalium faciunt, cum magis indicabitur ab illis quæ præter naturam sunt, conflet quam rebus naturalibus, idèd non à facultate indicari diximus; sic potus, etsi pro facultate faciat, cum ab ipsa non determinetur quantitas & qualitas, sed à finibus ejus, idèd ex finibus, qualis & quantus debeat esse potus, deducendum est & ab ipsis indicari est dicendum, non à facultate.

Deducitur etiam ex dictis, potum indicari à necessitate substantiæ fluxilis, frigida & humida, magis aut minus, prout hujus aut illius fuerit major necessitas, virtute permittente. Dixi à necessitate substantiæ fluxilis frigida & humida, prout talis substantia desiderat, ob ejus speciales fines; fluxilis propter distributionem & coctionem; humida propter humectationem; frigida propter attemperationem, virtute permittente; quia cum à quolibet alterante patitur facultas, ejus robur est attendendum, aliàs non diceret Hippocr. circa potus administrationem, & robur & morbi speciem esse consideranda; ac si diceret attendendum esse petens & prohibens, cum ex utroque determinatio desumpta sit à necessitate talis substantiæ tanquam à petente, & à facultate tanquam à permittente, aut è contrà à facultate tanquam dum ab ipsa requiritur propter reparationem faciendam ex alimento; à morbo tanquam à prohibente. Quâ ratione & dum plura comeduntur, & dum major calor est, aut exercitium præcessit, major potus est necessitas; minor verò cum omnia contrario modo se habent, & cum ad ostendendas tales necessitates sitis sit per hoc quod est sedare sitim, potus definitur, & per ipsam potius determinari debet quando & quantus potus debeat esse in statu naturali; in præternaturali verò plura possunt hanc regulam immutare, quæ inveniuntur in *lib. de dissolut. contin. cap. 1.* in quo postquam Galenus dixit continuè vivens resolvi, & restauratione indigere, sic scriptum est: *Ideò necessarij fuerunt cibi & potus, & facit infusa in ipsis corporibus virtus appetitûs ad cognoscendam horam necessitatis eorum, & quantitatem assumendam, & speciem convenientem.* Quibus verbis manifestum est, cum sitis appetitus potus sit, per ipsam in statu naturali horam, quantitatem & qualitatem potus significari, & dignosci. Dixi in statu naturali; nam in præternaturali ratione alicujus contraindicantis potest potus occasio perturbari, etsi finis petat, ut de hora alimenti dictum est.

Ad argumenta Respondetur ad primum quod licet sitis ad corrugationem auferendam per potum utilis dicatur, & frigus ejus, quia non ita valet illam tollere, ut relaxationem ventriculi trahat, quod communiter accidit: præterquam


præterquam quod facit ad auferendum calorem ex fuliginibus & vaporibus alimentorum per coctionem elevatis, nisi tale sit frigidum, ut omnino calorem vincat, & ita utilis est potus frigidus, ut corrugationem tollat sine laxitatis timore, propter quod frigus ventriculum corrugari dicimus.

Ad secundum Respondetur corrugationem sitis non esse eandem ac est famis: corrugatio hæc ex defectu solidæ, seu alimentosæ substantiæ est, illa potabilis, & sic nec eisdem auferuntur: nam cum corrugatio quælibet specialem sequatur defectum, dum id quod deficit non reparatur, finis propter quem est appetitus non cessat, & sic neque appetitus ipse, & partes resolutæ viventis restaurantur. Non sequitur famis aut sitis defectum partium, sed defectum substantiarum existentium in cavitate ventriculi propter proprios fines, & sic solum per ipsarum restaurationem cessant.

Ad tertium Respondetur non posse negari plures fines potus per alimentum suppleri, non tamen omnes, neque æquè bene, & sic potus est necessarius, suppletur quidem plures attemperatio & humectatio non æqualiter bene, cum citius & intimè magis refrigerare valeat potus per ejus majorem applicationem ad partes: propter quod Hippocrat. facilius esse repleti potu quam cibo, docuit 2. *aphorism. text. 11.* non tamen suppletur per alimentum omne quod à potu fit; siquidem nullum est quod pro omnibus finibus valeat: dum verò vinum pro siti facit, aut somnus, aut alia, non tamen ob omnem rationem utilia sunt, sed tantum ob specialem rationem medicinale, aut ratione consuetudinis; ex se tamen utilior aqua, vinum quidem prout fluxile ad distributionem & coctionem conducit; & frigore actuali calorem corrigit, & ex se calidum sit, ob quod non est verus potus, quia non ex se ad omnes fines facit, sed per partem: somnus verò quatenus ad coctionem & ad resolutionem vaporum & excrementorum sitim causantium conducit, non ut potus; quod habet locum, cum vera sitis non est, sed tantum à vaporibus calidis causatur: cum verò ob veram necessitatem dictæ substantiæ sitis est; verà datur, & hæc non nisi potu tollitur. Quâ ratione acetum aliquam specialem sitim corrigit à calore cum humiditate proveniente, valet enim calor aut siccitas sitim causare; sed potus in tali casu frigidum aut humidum esse debet; sitis verò naturalis frigidi & humidus est appetitus; per accidens namque dispositio contraria in aliquo reperitur, ratione cujus non est tunc sitis, quod non tollit id quod appetendum conducit.

Ad quartum Respondetur quod assumpto cibo est finis potus, necessitas scilicet humidi ad elixationem requisiti, & sic sitis datur quæ frigidi & humidus sit appetitus. Neque obstat quod objicit noster Petrus Garcia, sitim esse appetitum animale requirentem sensationem alicujus quod non consuevit præcise per assumptionem cibi; aliàs etsi humidum in ventriculo inveniretur, alimento assumpto deberet esse sitis, quod est contra experientiam. Hoc non obstat: nam sive in siti sentiat qualitas, æquè pullulat, existente defectu substantiæ humidæ, ut ipse voluit, sive sentiatur suctus quando humidum

deficit alimento exhibito, & defectus substantiæ humidæ requisitæ pro elixatione illius, & sic pullulat qualitas, cum humidum non sit sufficiens, suctus à partibus sentitur, & talis est: nam si aliquid ante assumptionem erat humidum jam assumpto cibo imbibitum, & non valet ut trahat à partibus fugentibus, & consequenter cum deficiat humidum, sitis datur, nisi adhuc superabundet, idè dum plusquam consuetum est, comedimus, plus quam consuetum est, expedit bibere, alias sitis dabitur potu consuetu assumpto.



QVÆSTIO II.

Quantus, quando, & qualis debeat esse potus sanorum.

EX his quæ dicta sunt, omnia constant quæ sita: nam si potus est in attemperationem caloris à fuliginibus & vaporibus alimentorum causati, & propter humectationem & elixationem alimentorum, & distributionem, manifestum est tantam potus quantitatem convenire, quanta sufficiat pro finibus potum petentibus: sic in corporibus calidis & siccis plus est bibendum, quam in frigidis & humidis, licet talia sint præternaturam, licet alio modo, nequit dubitari, ut *lib. de salubri diæta* docuit Hippocrat. & in *comment. Gal. sicut etiam prout major fuerit alimenti quantitas præcipuè solidi, quia ad elixationem & distributionem potus est necessitas, totum quod de siti debet constare, ut lib. de dissolut. continua* docuit Galen. per hæc verba. *Et fuit concessa in corporibus virtus appetitus, ad cognoscendam horam necessitatis eorum, & quantitatem assumendam, & speciem convenientem, ut constet nostram formationem tali dispositione esse, ut ex appetitu ipso alimentum & potum convenientem, quantitatem & horam deducamus, quod quoad bonitatem alimenti scripsimus ex Gal. Tract. de aliment. facultatib. & quoad alia questionibus præcedentibus, & ostenditur ex doctrina nunc adducta, quod non tollit posse ratione alicujus contraindicantis prohibere potum, etsi sitis adfit, ut quando morbus est, cujus causa potum prohibet, ne in crudetur, vel quando fluxio, vel laxatio timeatur, vel quando calor imbecillis à potu labefactari potest, vel quando vera sitis non est, quæ solum per somnum, vel moram, ut vapores resolvantur, cessat; ut accidit quando alimenta coquantur, præcipuè in non rectè temperatis agnoscitur, timendo quando potum præcessit sitis sufficiens extra quantitatem alimentorum, & juxta subjecti calorem. Totum quod docuit Avic. *fen. 3. lib. 1. doct. 2. cap. 7. & 8.* in quo postquam dixit non esse bibendum quando sitis est mendax, ut cognoscatur, sic ait. *Cum natura in digerendo studet, satietate aquæ sufficienter præcedente vehementer est impediens.**

Circa tempus, vel occasionem bibendi, etiam si sitis dignoscatur cum exceptionibus dictis, advertendum est ita esse philosophandum de potu

ac cibo per morbos, quatenus potus simul cum cibo debitam victus rationem complet (seclusa ratione medicinali, de qua dictum est 7. *Meth.*) tempus & modum, & etiam pro salute; est tamen occasio per morbos, ut docuit Gal. 11. *Meth. c. ult.* tempus medium inter unam & alteram accessionem, ita ut principium subsequens caveamus, & statum præcedentis, doctrina *suprà* est adducta: per salutem verò erit occasio quando minori incommodo fini propter quem exhiberi potest, satisfacit; & sic cum potus sit propter elixationem alimentorum, & ipsorum distributionem, & attemperationem caloris, & siccitatis resultantis tam à vaporibus alimentorum, quam à causis inevitabilibus, pro quibus omnibus datur sitis, in ipsa alimentorum assumptione optima bibendi occasio datur, quod c. 7. *suprà* docet Avic. per hæc verba. *Si bibatur aqua potus post cibum, non in hora comestionis, sed parum bibendo & parum comedendo, est conferens cibo non nocens.* Cujus ratio est, tum quia simul & tribuitur, alimentum & potus quibus indiget natura; tum quia coctio quæ à colore fit, non impeditur per potus assumptionem, impeditur tamen si postea sumeretur; tum quia ventriculus potu non labefactatur, nec laxatur: siquidem cibo permixtus non ipsum immediatè tangit; humectaret verò & laxaret si ante cibum sumeretur, & consequenter partitis vicibus potus proportionatur magis, & permiscetur cibo, appetitus etiam magis excitatur, & majori voluptate alimenta sumuntur, ablati per participationem potus partibus aliquibus alimentorum in organo gustus existentibus, & applicationem reliquorum alimentorum gustum excitantium impediuntibus.

Ultra occasionem bibendi in ipsa alimentorum assumptione, est etiam pluries specialis occasio interdii, & in primis, seclusa ratione medicinali, jejuno ventre & vacuo non est bibendum; sequeretur enim ipsius ventris laxatio, & debilitatio magna, quæ immediatè in frigidante & humectante: quod etiam timendum est, si post exercitium aut balneum bibamus (loquor de vero potu, aqua scilicet) nam si vinum, vel liquor alterius qualitatis fuerit, etiam alteratio erit timenda, qualis fuerit liquor; est enim corpus post balneum aut exercitium, & ventre vacuo, ad patiendum valde dispositum. Ideo Avic. cap. 8. sic ait. *Scias quod aquam bibere quando aliquis est jejunus, & post exercitium; & balneum, & ventre vacuo, & cum natura in digerendo studet, satietate aqua sufficienter procedente, vehementer est impediens:* quod non tollit aliquid potus medicinalis convenire posse in dictis casibus.

Ante prandium vel cenam potum utilem esse dubitari nequit, præcipuè si calor aliquis non attemperatus remaneat, aut aliquid alimenti cocti distributione egeat: nam in tali casu non est timenda alimenti in crudatio, vel coctionis impeditio; propter quod sic ait Avic. *Nec post cibum multa bibenda est aqua, sed expectandum est, & non est bibendum donec descendat de stomacho.* Quo fundamenta communis consuetudo est vespere quartâ vel quintâ horâ post cibum potum assumere; quod non est præter rationem, dum calor aliquis, vel non indistinctè accipienda sunt illa verba Avicennæ, *Aquam bibere post exercitium, impediens est:* nam si quis post ipsum siti torqueatur ratione caloris per motum acquisiti, po-

tus convenit ad ipsius attemperationem, dummodo valde frigidus non sit, ne partes quæ rarefactæ sunt, alterentur valdè, præcipuè si quis immediatè conveniat; exponitur enim corpus refrigerio vehementi. Ob quod non esse bibendum docuit Avic. At si valde frigida aqua non datur, vel si post potum ad exercitium (etsi non ita vehementem) reddat potator, non erit inconveniens, cum calor ille attemperationem exposcat, & exercitio sequenti refrigeratio ab aqua faciendâ impediatur, ne ad esse præter naturam transeat.

Dices: nihil magis ad alimenti corruptionem facit, quam si in fundum ventriculi non perveniat: sed si potus exhibeatur simul cum alimento, necessum est ipsum supernatare, & ad fundum non applicari, ergo non est bibendum simul cum alimento. Major est Galeni 5. *de locis, cap. 6.* Minor probatur. Potu exhibitio necessum est alimentum non ita applicari partibus ventriculi, ac si sine potu esset; propter quod Avic. c. 7. *suprà* post cibum non esse bibendum aquam multam docet, sic ait. *Nec post cibum multa aqua est bibenda qua per corpus stomachi separationem faciat, & ipsum faciat natate, sed expectandum est donec de stomacho descendat.* Constat ergo potum non esse exhibendum simul cum alimento.

Respondetur quod licet non possit negari fortius agere ventriculum in alimentum, non alteraretur modo convenienti si potus abesset: Nam ut ex 4. *Meteor.* constat, ventriculi coctio elixatio est, & hæc in humido fit à calore, ac per consequens sine potu esse non potest: cum verò Avic. prohibet potum post assumptionem alimenti, non quemlibet prohibet, sed qui alimentum natate faciat, potius immediatè post coctionem bibere consuluit, modo à nobis dicto, in quantitate quæ pro alimento sufficiat.

Circa potus qualitates minus dubitandum est: dixit enim Philosophus sitim humidi & frigidi esse appetitum, ut cognoscamus potum fluxilem, humidum, & frigidum debere esse, nisi ob aliquam specialem dispositionem alia requirantur: ad minus tamen omnis potus liquidus & humidus, seu fluxilis est; quæ ratione in humido fieri elixationem docuit Philosophus; ea ut etiam pro distributione facit, frigus verò & humiditas pro siti naturali sunt, quæ hoc aut illud petit ob id quo conjungitur. Ratione cujus Avic. *fen. 2. lib. 1. doct. 2. cap. 16.* aquam potum proprium appellat, ipsamque frigidam utiliore judicat cæteris omnibus, sic ait. *Aqua propterea utilior est sanis aquis omnibus.* Cujus rationem *suprà* tetigimus; fit enim sitis à calore resolvente, sive naturaliter, sive præter naturam, sic calor auget appetitum potus ex Avic. *fen. 13. lib. 3. tract. 1. cap. 18.* ergo frigidus debet esse potus. Quod *lib. de salubr. dieta, text. 1.* præcipit Hippocr. sic. *At quos sitis occupat, iis cibi & labores subtrahendi, & vinum tum aquosum, tum quam maximè frigidum propinandum.* Quod licet possit intelligi de corporibus calidis, quia temperatis frigus excedens non convenit, ut voluit in comment. Galen. nihilominus absolutè loquitur Hippocrat. & ad minus debere esse frigidum suadet ratio posita.

Probatur præterea: nam tepidus aut calidus nullatenus utilis est; ergo debet esse frigidus. Antecedens probatur experientia, & ex Avicenna: Experientia quidem; nam

nec sitis auferitur; nec plures utilitates potius sequuntur: Inquit enim Avic. *cap. 16. citat.* hæc verba. *Aqua frigida appetitum excitat; & stomachum fortem facit; aqua verò calida digestionem corrumpit, & facit natare cibum; nec illico extinguit sitim, & consumit corpus: cum autem fuerit tepida, facit nauſeam, &c.* Quibus verbis constat incommoda quæ ex aqua calida aut tepida nascuntur. Ergo potus debet esse frigidus.

Sed dices. Ius quotidie sumitur calidum aut tepidum, & dicta incommoda non causat: ergo nec potus ea causare valebit. Respondetur jus non causare dicta incommoda, quia cum alimentum sit, ventriculus ad ejus retentionem movetur, seu contrahitur, quod non inuenitur quando aqua exhibetur. Ad quod accedit, quod pro finibus potus dum ipsi sunt, aqua exhibetur; nam non valeret ad ipsos jus, præcipue ad sitim auferendam; imò potius si solo jure calido uteretur quis, malè se haberet, & quoad ventriculum, & quoad totum. Hinc excitatur difficilis dubitatio; quomodo si alimentum calidum debet esse ut à ventriculo appetatur & coquatur, potus cum cibis sumendus, debet esse frigidus; siquidem videtur impedire unam dispositionem requisitam ab altero. Quam dubitationem solutam dedi *Tract. de aliment. facult. quæst. de præparatione alimentorum,* & sic non repeto.

QUÆSTIO III.

De Aqua.

INTER ea quæ pro potu habentur, verus potus est aqua, ut inquit Vales. 1. *Meth. cap. 10.* meritò quidem, quia sola ipsa completè & adæquatè pro finibus potus est; frigida quidem est & humida, & fluxilis, ut faciat pro siti, quæ frigidi & humidi est appetitus; & consequenter pro elixatione & distributione alimentorum facit, & pro attemperacione caloris, fuliginum, & etiam pro sinceritate ex defectu seu resolutione humidi proveniente: idè Hippocr. 3. *acut. text. 41.* in morbis solam aquam in potu dari docet, nullumque alium usum præstare, sic ait. *Aqua in morbis acutis potui datur, nec aliud ab ea præsidium petendum censeo.* Quod cum non possit intelligi quatenus medicamentum; siquidem hoc non poterat negari, solum rationem potus habere est credendum, nullatenus verò rationem alimenti: loquebatur autem Hippocrates respectu Oxymelitis, aquæ mulsæ, vini & ptissanæ, quæ rationem alimenti & potus simul habent; etsi quoad alias utilitates videatur loqui Hippocr. Galenus verò *lib. de ren. affect. & 1. de simplic. medic. facult. cap. 3.* omnibus communem aquam dicit, quod quatenus intelligatur, sic ait, *cap. 4.* *Aqua nil mirum communissima hominibus omnibus sit, tum sanis, tum ægrotis, & ad vitam maxime necessaria.* Sic Avic. *fen. 2. doct. 2. lib. 1. cap. 16.* aquam solam inter omnia elementa ad victus rationem facere scripsit, ut constet etiam usum positum esse quatenus sitim sedare valet, nò nutriens.

Plura de aqua quæri possunt: Primò circa ejus naturam & qualitates. Secundò circa ea quæ facere habet, ut inde quibus utilis aut nociva sit

deducamus. Circa primum, non dubitamus elementum esse; ut Philoſophus 12. *de gener. scriptis;* Galenus *de element. & Avic. cap. 16. citat.* Cujus qualitates ex professo explicavit Galenus 1. *de simplicium medicament. facultat. capite 4.* dicens frigidam esse & humidam, omnique sapore, colore; & odore carentem, ratione cujus illam esse meliorem aquam deducemus quæ accedit ad suam simplicitatem; cum tantum à sua natura deficiat; quantum participat de aliqua qualitate extranea, idè Galenus *loco citato,* postquam frigidam esse probavit, ut optimam aquam cognoscamus; sic ait. *Indicatur autem aqua tribus sensibus, nempe visu, gustu, & odoratu. Gustu pura est, si nullam offerat qualitatem, sed ad unguem qualitatis appareat. Visu, cum sincera fuerit, ac planè perlucida. Sine odoratu nullam præ se ferre qualitatem debet.*

Licet Antonius Musa *in comment. lib. de vict. ration. text. 41.* per alios sensus aquæ bonitatem posse deduci scribat, sufficienter, & certius per tres dictos optima manifestabitur aqua: siquidem gravis est per admixtionem alicujus; unde gravior aqua deterior est; levior tamen melior: quæ ratione etiam dura dicitur aqua, ut voluit Hippocrat. *lib. de aère, aquis & locis,* & mollis; quatenus quæ facile alteratur, mollis apparet, dura, quæ difficilè, quia resistere habet: quo modo aquam communiter appellat Autores, quæ facile calefit aut refrigeratur; è contrà verò gravem, ut docuit Hippocrates 5. *Aphorismor. tex. 26.* totum quod prout magis aut minus à simplicitate recedit aqua, evenit: siquidem quò plus admixtum habet, gravior est quoad pondus, difficilè alteratur, & difficilè distribuitur, & eodem gradu à simplicitate recedit: è contrà verò dum nil permixtum habet, & sic sufficienter visu, gustu, & odoratu aquæ perfectio deducitur, ut Galenus voluit. Ex professo tamen 1. *de simplicium medicam. facultat. capite 4.* sic. *Quæ exactè ac sincère aqua est, omnis alterius substantia mixtione vacans, ea ex necessitate ex sua facultate est frigida. Si qua verò per bituminosa, sulfurosa, nirosa, aut bituminosa loca distillans, substantia eorum aliquid absterferit, secumque traxerit, mixta jam ea est, non autem exactè aqua.* Et infra. *Ea per fictilia vasa percolata pura efficitur.* Docet ergo mixtione aquæ vitari.

Etsi his omnibus aquam esse seligendam constet: ratione levitatis, aut gravitatis quoad pondus non posse deduci aquæ præstantiam, plures conantur ostendere, è quò Galenus 5. *Aphor. comment. 26.* sic ait. *Non pondere aquam esse levissimam dicendum est.* Quibus verbis per aquam levem, non quæ ad pondus minus gravis est, intelligendum esse voluit, sed quæ in ventriculo minus gravat & molestat; in cujus consecutionem *capite 2. de Ptissana,* non pondere esse dignoscendam docet, sed partium tenuitate. Sic Hippocrates levissimam aquam appellat quæ citò alteratur. Plinius *lib. 31. natural. hist. capite 3.* ita fallax judicat per pondus aquam esse seligendam, ut hæc dicat, aquas nullo momento ponderis inter se distare. Et infra. *Quidam staterà judicant de salubritate, frustrante diligentia, quando perrarum est ut levior sit aliqua.* Quibus verbis manifestè docet non per pondus optimam aquæ naturam indagari posse, cum omnes in eadem quantitate, & æqualiter gravitare judicent;

& sic per facilitatem, aut difficultatem patiendi aquæ naturam optimè explanari docet, & per id quod epota facit.

Dubitari non potest, plura posse naturam aquæ manifestam facere, sufficienter tamen per tres sensus dictos dignosci est plus quàm compertum. Quà ratione Galenus 1. *de simplic. medicam. facult. cap. 8.* & *lib. de Typis, cap. 3.* solum per ipsos optimam esse quærendam aquam docuit, quibus ejus simplicitas constat, & consequenter citò calefieri & refrigerari, citò distribui, & parum gravitare, tam quoad ventriculum, quàm quoad pondus: Est enim cuilibet notum plus gravitare id quod substantiæ gravioris permixtum aliquod habet, quàm quod nihil habet permixtum: aqua namque ut nociva reddatur, aliud crassius ipsa debet habere permixtum, ut sunt vapores, vel partes aliquæ terræ, vel mineralium per quæ transit & participat, ratione cujus salsa, sulphurea, vel bituminosa, vel alterius saporis fit, de quibus Galen. 1. *de simplic. medic. facult.* ex professio egit, dixitque omnes esse calidas præter dulces, agebat de spontè natis, quia talia sunt mineralia per quæ tales aquæ fiunt. Quid mirum ergo quod à partibus à quibus & saporibus & qualitates participat aqua, etiam gravitatem materiæ comparare valeat; quod tam intelligendum de his in quibus extremi inveniuntur saporibus, quàm de alijs in quibus substantiæ permixtæ ita sensibilem saporem non inducunt. Rectè ergo ex pondere aquæ constabit simplicitas; aliàs unde poterit resultare malitia, quando nil permixtum valet immutare gravitatem, idè levissimam esse aquam præferendam quoad pondus, non solum colligitur ex Hippocr. *lib. de aère, locis & aquis*, & ex Plinio *lib. 31. cit. sed Avicen. id expressè docet sen. 2. lib. 1. doctr. 2. cap. 16.* his verbis. *Et illa aqua melior est quæ est in pondere levis;* ad cujus cognitionem ipsam metiri consulit ut ponderetur, vel aliqua in aquis madefieri, quæ postea exiccata pondere discriminantur, quod validum signum; nam cum per exiccationem, id quod permixtum erat non tollatur, ubi plus fuerit excrementitium, majus erit pondus.

Non ita per pondus esse eligendam aquam intelligo, ut alijs signis non sit attendendum magis, constat: nam quòd ejus perfectio penes hoc quod sapore, colore, & odore careat, facile alteretur, & ad faciliorem elixationem conducat, ut Gal. 6. *Epid. & Avic. cap. 16. cit.* docet, & sic ex his aqua perfectior sine fallacia dicetur: at quæ pondere differunt, perfectione etiam differre, non est dubitandum ob rationes dictas, & ratione aliquis ad gravitatem non facientis aquam vitari queat, & tunc pondere non dignoscetur diversitas, sed per alia signa, non tamen si gravitate differant, perfectione conveniunt: ob quod Erasistratus aquas perfectione diversas non differre gravitate cognovit, non ut putavit Antonius Musa, quia æqualis mensura repleta aqua partium tenuium & crassarum æqualiter ad pondus faciat, quod multitudo partium supplet, quod ratione crassitie replebatur, non est ita: siquidem corpora graviora sunt quæ crassiorem faciunt aquam, & sic magis habent ponderare.

Galenus verò dum aquam ab Hippocr. appellatam levem, non esse pondere distinguendam docet, non negavit per pondus aquæ perfectionem esset deducendam; sed addit doctrinam da-

tam ab Hippocr. docere per aptitudinem majorem ad patiendum, levitatem aquæ dignosci: quod est dicere, non per pondus aquam ab Hippocr. dici levem, sed aliter, quod *cap. 2. de Typis, & 5. Aphorism.* scripsit. Plinius verò solum docet parum differre aquas pondere communiter, quod est verum; cum quo stat quòd si pondere differant, perfectione etiam differant: at cum inter communes aquas parva, quoad pondus, detur differentia, per effectus quos facit aqua, sit periculosa cognitio, cum jam ejus facta cognoscamus, modo à Galeno dato aquæ perfectio est deducenda.

Conditionibus dictis addit Hippocr. *cap. 2. de aère, aquis, & locis*, aquam debere esse fontanam versus Orientem ex alto fluentem, sic ait. *Optima verò sunt aqua quæ ex sublimibus locis ac terris, collibus fluunt, hyeme calida, æstate verò frigida, ad Solisque ortum erumpunt.* Hanc doctrinam sequitur Galenus 1. *de sanit. tuend. cap. 11.* & Avicen. *cap. 16. citat.* ratione cujus utilior aqua fontana qualibet alià & pluviali: nam etsi pluvialem leviolem judicent plures cum Plinio & Hippocr. è quòd ex vaporibus tenuibus ipsius aquæ conflatur, sursum etiam ascendentibus, non est intelligendum, cum ex pravis aquis pluvialis coalescat; siquidem ex universo vapores ad ipsam ascendunt, & ex alia parte plura permisceantur, & alterentur à Sole vapores elevante, idè Hippocrates 4. *de aère, aquis, & locis*, omnium citissimè aquam pluvialem putrefieri scripsit: nec ascensus sursum ipsam fore leviolem ostendit, etsi partem leviolem aquæ ex qua procedunt vapores esse non judicemus; constat enim pluries gravia descendere corpora, aut quia sursum fuerant elevata, aut quia vi alterationis supra factæ, substantia illa gravis & crassa fuit producta, qualis potest esse aqua pluvialis. Quo fundamento adstringentem ipsam judicavit Galenus 7. *de comp. medic. secund. loc. cap. 2.* & plures alij: fontana verò à vehementibus alterationibus manet immunis, & dum à loco vitiosum aliquid non participat, magis in suo naturali servatur, tenuiorque fit dum ex altis cadit, purior dum Solis respicit ortum, siquidem ab ipso & ventis mundificatur magis.

Sed dices: si Sol puram reddit aquam, melior erit quæ ad Meridiem attendit, quia majori Solis activitati exponitur, quod est contra Galen. & Avicen. ergo non est eligenda fontana, quæ ad ortum Solis fluit. Antecedens est notum: nam non alia de causa quæ versus solem tendit melior est, nisi quia purificatur à sole; sed activior est ipse Meridies: ergo melior erit quæ ad Meridiem nascitur.

Secundò: nam Meridionalis deterior judicatur ab Hippocr. & Galeno, ut docuit etiam Avicen. *cap. 16. cit.* ex eo quod tangitur à vaporibus seu ventis meridionalibus: sed licet aqua ab Orienti procedat, tangeretur etiam à ventis dictis: ergo non ob hanc rationem manebit melior alià. Patet, quia venti totam tangunt regionem, sive ab hac, sive ab illa procedant: ergo æqualiter omnes immutabunt aquas.

Tertiò. Nam Hippocrates *lib. de aère, locis, & aquis*, aquam rejicit petrosam, seu quæ à petris oritur; & ob hanc rationem etiam quæ à quolibet procedit minerali, etsi aurum sit, sic ait, *cap. 3. Quarum fontes in saxosis locis sunt* (quas

(*quas duras esse necesse est*) aut si ubi calide aqua existunt, aut ferrum nascitur, aut as, aut argentum, aut aurum, aut sulphur, aut alumen, aut bitumen, aut nitrum. Hæc enim omnia caloris vi proveniunt. Neque igitur ex hujusmodi terra bona aqua nascuntur, sed dura & astuosa, quæque per vias non facile feruntur, & alvi egestioni adversantur. Quod sequitur Avic. cap. 16. cit. sed hoc videtur contra rationem: ego malè processit. Minor probatur: nam tenuior aqua præferenda est ex Hippocrate, quia citius calefit & refrigeratur, idè Galenus cap. 2. de Ptissana, per tenuitatem partium talem significavit aquam: sed quæ à petris nascitur videtur tenuior, cum strictiores penetret vias; quâ ratione in usu præ ceteris quæ per petram instillatur, idè Gal. cum 1. de simplic. medic. facult. cap. 4. aquam vitiosam percolatam consulit, sic ait: *Sed ea per fictilia vasa percolata, planè pura efficitur*: ergo non vituperanda est quæ à petris nascitur.

Et si hoc dubium compertum existat, non solvit illud Doct. Cardoso, cap. 7. de aqua fontana, sed doctrinam Hippocr. & Avic. recipiens, duram esse talem aquam asserit, & crudam magis, quia petræ à quibus procedit, frigidæ sunt, cum quo meliorem etiam judicat, quæ per petras fluit, quia motu tenuior efficitur. Contrarium tamen docuit Avicen. cum non solum eam quæ à petris procedit, rejiciat, sed etiam quæ per petras fluit, sic ait. *Illam tamen quæ est terra pura, melior est petrosa.* Et paucis interpositis, sic ait, *Et debes scire quod quæ super lutum vadit, melior est eâ quæ super petras fluit.* Ergo non solum damnat quæ à petris nascitur, sed quæ super ipsas fluit. Et ratio est eadem, quia si procedere à petra aliquid communicat vitians, idem debet judicari si super petram fluit.

Augetur difficultas, quia etsi per lutum intelligat Avicen. ut voluit Gentilis, terram puram adhaerentem in se, non est dubitandum aquam magis attenuari si per petras fluat, ratione impulsus quem recipit à lapidibus ipsis, & ratione strictiorum viarum per quas transit: Ergo aqua petrosa est præferenda. Neque lapidum frigiditas obstat, & quia frigidior est ex propria natura qua, & nive etiam frigidior redditur & utilis est; non ergo à petræ frigiditate potius procedere vitium quod aquæ imponitur. Neque duram esse aquam intelligo, nisi crassiorem esse significetur, ut diximus, dum facile, aut difficile alterari docuimus; si verò procedere à petris tenuiorem facit aquam, non videtur cur dura dicatur.

Pro solutione dubij notandum est eodem modo esse philosophandum de aqua petrosa, ac de aquis metallorum, etsi qualitatibus differant ob diversitatem substantiæ permixtæ. Dicimus igitur aquam mineralium deteriore esse, quia partes, seu vapores ex quibus metalla illa conflantur mineralia seu petræ antea quàm ad talè naturam construendam congelentur, aquam crassam & duram reddunt: idè Hippocr. cap. 3. citat. tales aquas duras esse & astuosas dicit. Quod Galenus docet 1. de simpl. med. facult. c. 4. docens ratione permixtionis substantiarum talium mineralium aquas illas vitari, sic ait. *Nam quæ exactè ac sincerè aqua est, omnis alterius substantiæ mixtione vacans, ea ex necessitate est frigida. Si quæ verò per bituminosa, vel sulphurea, nitrosa, aut aluminosa loca distillans, substantiæ eorum aliquid absterferit, seculanque traxerit, mixta jam ea est, non autem exa-*

ctè aqua. Et infra. *At si marinam aquam, aut miriam, aut id genus aquam mixtam, bituminosam videlicet, aut nitrosam admoveas, usque adeo hominem offenderis, ut parè ipsam sis ad usurus.* Docet ergo Galenus tales aquas vitiosas esse propter permixtionem partium metallorum, seu mineralium, ratione cujus meritò astuosa & dura appellantur ab Hippocrate: nam calefcere habent, & difficilè alterantur & resolvuntur ob portiones illas calidas & densas permixtas; siquidem alteratio præcisè alteratione contrariâ tolleretur, quod facile constat, nam non nisi per separationem talium corporum aquas illas reduci, & idè percolari à Galeno commendatum est.

Hanc veritatem ipsarum aquarum sapor demonstrat, cum non præcisè ab alteratione procedat, sed ex permixtione alicujus, ut docet Avic. cap. 16. cit. præterquam quod ipse Galenus 6. Epid. coctione aquam corrigit, quatenus facit tenuitate inductâ in aliquibus partibus aquæ crassum permixtum descendere & separari: Ergo mixtione aliquarum substantiarum, seu ipsorum metallorum, sive materia ipsorum aqua vitatur. Quâ ratione nil mirum quod etsi aqua per minerale auri aut argenti pertranseat, etiam prava fiat: Siquidem crassities est qualitas excedens, quæ à substantia permixta procedit, ità ab uno quàm ab alio minerali sit, magis aut minus pro natura rei permixtæ: dum verò aqua percolatur per lapidem, nil est quod separari, aut permisceri possit ex ipso propter ejus adquisitam duritiem, & sic aqua utilior percolatione fit.

Ex dictis patet, aquam petrosam meritò deteriore dici ab Hippocr. quia participat de aliquibus partibus petræ, seu materiæ ipsius, ratione cujus difficilè alteratur & resolvitur, licèt ex se tenuior deberet resultare: dum verò supra petras fluit, non est facile recipere portiones ex petra, aut ex materia ipsius, quia non communicatur per vias internas per quas tangat superficiem interiorè augmentum recipientem; per exteriorè verò superficiem nec augetur, nec facile aliquid ex ea communicatur, communicantur tamen excrementa plura ex substantijs excrementijs quæ intra lapidem generantur, & aquam vitiant: cum verò terra lutosâ est intra se, ut quando arenosa & plana, non datur locus pro aliquo excremento generando aquam vitiantem, potius ipsa paulatim deponit, si aliquid ab alio loco acquisivit, meliòrque fit: vel constabit non absolute aquam deauratam esse laudendam, ut communis Medicorum praxis voluit pro morbis malignis; cum nil manifestum reperitur in auro roborans, aut aliter utile: Ex alia parte Hippocrates aquam ex minera auri procedentem damnat; quo manet tertium argumentum solutum.

Ad primum & secundum, Respondetur aquam ad ortum solis pertinentem meliorem esse, quia sufficienter alteratur à sole, ut à pluribus emendetur vitijs, non tamen ità ut valde immutetur ut meridionalis: ad quod accedit, quod status seu venti meridionales vapores communicant adustos valde, aquam in extremam alterationem trahentes, non verò tales sunt venti ab Oriente; nam sol non ità intensè agit, ut sic neque vapores elevat aquam ità vitiantes: Et licèt venti meridionales rotam tangant spheram, non potest aqua orientalis tale vitium compati, ut meridionalis: nam vapores vitiantes non solum per ventos communicantur, sed etiam in ipsa elevatione

magis; & cùm hi sint plures versus Meridiem, plures aquæ ad Meridiem procedentes permiscuntur, minùs verò versus Oriens.

Constat etiam aquas lacunarum & paludium deteriores esse, cùm pluribus abundant superfluitatibus, defectu motûs & ventilationis, quibus proximæ valdè sunt aquæ ex nive & glacie resultantes; id est quæ ex liquatione nivis & grandinis sunt. Sic ait Hippocrates, *Aqua ex nive aut glacie facta, omnes mala sunt, quod quidem in ipsis clarum ac leve & dulce est, secernitur, ac deperditur; quod verò turbidissimum atque ponderosissimum relinquitur.* Docet ergo non solum malas esse, verùm & rationem reddit, quod deinceps probat ex professo; facit enim concretio ad consumptionem tenuium partium ipsius aquæ, cùm terrestre magis ad concretionem conducatur.

Sed dices: Quomodo dictum habemus aquam colore, & odore & sapore carere, si Gal. pluries, præcipuè 1. *de simplic. medic. facult. cap. 4.* aquam potabilem, & quæ simpliciter talis est, & optima, dulcem appellat, sic ait. *Quin etiam sitienti dulcis aqua remedium est, cætera verò acerbiorum sitim relinquunt.* Docet ergo aquam potabilem dulcem esse; quâ ratione etiam eodem loco sic scripsit. *Ex quo liquet, aquam potabilem certè & dulcem, secundum naturam suam semper esse frigidam:* Ergo non debet esse insipida.

Respondetur dulcem appellari aquam potabilem à Galenò, & communiter à Medicis, in contrapositionem aliarum, non quia verè dulcis sit, sed quia aliæ sapes habent extremos, & potabilis ipsis carens, gustui existit grata, & dulcis dicitur, ideo Avicen. quasi dulcem eam appellat, aut dulcem imaginari docet *cap. 16. citato.*

Dubium tamen est quomodo Avicen. in ipso *cap. 16.* aquam describens optimam, inquit talem esse dum hyeme frigida est, calida verò in æstate: Hippocr. verò *cap. 3. de aère, aquis, & locis*, è contrà se habere asserit, dicens talem esse dum hyeme calida est, frigida verò in æstate. Neque valet dicere Hippocr. loqui de fontana, quæ propter antiperistasin ut putealis talis est; nam etiam Avicen. de fontana agebat: præterquam quòd, si hoc modo eligenda est aqua, sequeretur deteriore esse quæ hyeme calida est; cùm propter vapores detentos ob condensationem à frigore factam, calida sit, & consequenter impura, etsi non tangatur ab ambiente immediatè.

Gentilis *super hoc caput* jam de aquis laudabilibus esse intelligendum docet, jam de illaudabilibus, jam de aqua in ordine ad exhibitionem, jam in ordine ad effectus quos facit, ità ut de hoc loquatur Avicen. dicens debere esse frigidam hyeme, calidam æstate, quia minùs immutat corpus, de hoc Hippocr. dicens qualis exhibenda sit. Nobis tamen viderur dicendum, etsi diversis & oppositis verbis, idem ostendere hos Autores. Nam Avicen. dicens aquam meliorem esse quæ citò alteratur, inquit, talis est quæ frigida est hyeme, calida verò æstate: nam quæ aliter se habet, difficile alterari ostendit; agebat verò de aquis dum jam à suo principio valdè distant. Hippocrates tamen hoc idem ostendere conatur, & utitur verbis contrariis; nam agebat de aquis ex profundis fontibus, in quibus ut in puteis & subterraneis calor in hyeme est, & frigus in æstate, faciliter aquam alterari docet, dum frigida est æstate, & calida hyeme, sic ait post verba posita, tales enim fuerint ex profundissimis fontibus; quid

mirum ergo quod aquam meliorem dicat eam quæ hyeme calida est, non quia ratione illius qualitatis melior sit; contrarium enim est verum, sed quia ostendit non resistere alterationibus agentis, ac per consequens levem seu tenuem esse juxta ejus doctrinam. Plura etiam pro electione aquæ adducunt Autores, quæ omittenda sunt, cùm dicta sufficiant.

QUÆSTIO IV.

De effectibus Aqua.

CIRCA ea quæ facere habet aqua, parum est quod dicamus: nam si loquamur de illo quod ut verus potus facit, jam est scriptum: si verò de illo ut medicamentum, tangit praxim. Neque dubitari potest calorem & siccitatem corrigere, cùm frigida & humida sit, & etiam qualitates alias, si per artem aut per naturam medicinalis fiat, ut ex Gal. 1. *de simplic. medic. facult. cap. 4.* constat. Scripsit tamen aquæ utilitates & nocumenta Valles. 1. *Meth. cap. 11.* dicens sic. *Aqua calorem & siccitatem corrigit, fumos in caput euntes reprimit, & succos omnes in quiete retinet, & fluxiones propterea cohibet, hæcque gelida magis facit quam calefacta, concoctiones ciborum & morborum juvat, tardè in hypochondriis moratur: nisi sit optima, in flatu dissolvitur, ventrem distendit, neque urinas, neque ventrem movet, nisi ex accidenti, id est quatenus calore attemperato, natura ad expulsionem movetur.* Hucusque de aqua profert: totum quod ex Hippocr. 3. *acut. de vino & aqua ex professo agit text. 1. & 41.*

Difficultas tamen in recta intelligentia illorum quæ scripsit Hippocrates, existit: inquit enim *text. 4.* *Neque enim tussim lenit in pulmonum inflammationibus, neque sputum educit, imò cæteris minùs, si quia perpetuò aqua potione utatur.* Quod omne est contra rationem largi potûs, & est contra rationem humiditatis ejus. Quis enim dubitare potest humidum ebullire facere, & consequenter ad sputum excreandum conducere, & ad tussim sedandam; quâ ratione largus potus humectare habet magis, & fluxiones movere. Idem Avicen. *fen. 10. lib. 3. tract. 5. cap. 5.* in cura pleuritidis, & aliorum pectoris apostematum emollientia exhibet ad sputum educendum, præcipuè que de aqua inquit attemperatam esse exhibendam in æstate, calidam verò hyeme; Ergo aqua absolute non prohibet sputum.

Præterea; nam *tex. 15. antecedenti* sic ait. *Aqua Mulsa quò fuerit diluitor, è efficaciorem vim evacuandi habet, atque pulmonem reddit leviorè:* sed diluitor sit aqua Mulsa quò plus aquæ habet: ergo aqua potius movet sputum. Quo fundamento Avicen. *cap. 8. lib. 1.* vinum aquâ permixtum citius inebriat docet his verbis. *Scias quòd vinum mixtum citius inebriat, propterea quòd aequitas penetrat:* Ergo non solum valebit magis sputum movere, verùm & sudores, & urinam, & fluxiones excitare. Quod probatur. Nam cùm aqua simplex elementum sit, tenuibus videtur constare partibus plusquam quodlibet aliud mixtum, quod ex unione partium crassarum & tenuium inter se resultat: sed vinum est mixtum: ergo minùs movebit sudorem & urinam, aliàs merum citius inebriabit.

Q. V. Quomodo Aqua bilefcatur in biliofis. 177

Respondetur Hippocr. *text. 41.* dum de aqua agit, de ipsa in suo statu esse intelligendum; & cum ipsa frigida fit & humida, ratione frigoris plus valet constringere & condensare, quam humiditas laxare, & sic dictos effectus causat: dum verò calida exhibetur, aut temperata seu tepida, effectus frigoris impediuntur, & sic utilis, non tamen aqua tunc in suo esse naturali exhibetur, nec ut verus potus: attamen Hippocrates *tex. 15.* aquam mulsam sputum movere docet magis, quò dilutior est. Ad Avic. dicimus verum esse vinum aqua permixtum citius inebriare, quia velocius vapores vini caput tangunt ob majorem aqua permixtæ tenuitatem; non tamen ideò magis evacuationes movet aqua, quia calor vini ad fluxiones facere, quas prohibet frigus: ideò hoc docens Hippocrates veluti rationem reddens inquit, *upote frigida & coctū difficilis*: Quo constabit dictos effectus aquam habere, quidquid dicat Vallesius, cum potius optima aqua existat frigida, ut ex Gal. *cap. 4. de simplic. medic. facult.* docuimus, etsi optima magis penetrare habeat ob majorem ejus tenuitatem, cæteris paribus.

QUÆSTIO V.

Quomodo in biliofis bilefcatur Aqua.

HIPPOCRATES 3. *acut. tex. 41.* aquam in biliofis amarescere, & in bilem converti docet: quod primâ fronte difficillimum est ob utriusque contrariam naturam, præcipuè cum ipse Hippocr. *tex. 36. ejusdem libri*, mel biliosum dicat, quia calidum & siccum; contrarium ergo debet habere aqua. Trallianus hoc non docuisse Hippocr. voluit, sed quod simplicia alimenta, ut aqua, amarescunt: quibus verbis non dicit aquam in bilem verti, sed simplicia alimenta, ut aqua: quod ideò deducit, quia aqua cum elementum sit, & mutari non valeat, ut dictum habemus, neque in humorem converti valebit. Verba tamen Hippocratis expressè aquam bilem parere in biliofis, & amarescere docet; hæc sunt. *Si inter Oxymel & Mulsam aqua modicè bibatur, sputum evocat; siquidem potius qualitatem transmutat, alioquin neque sitim sedat, sed amarescit, bilem etiam parit in biliofis.* Videtur ergo significare Hippocrate aquam in bilem mutari; aliàs quomodo bilem parere & amarescere dicemus, dum corpus biliosum est, aut maximè calidum: nam de illo inquit non sedare sitim aquam, si cum aliis non misceatur, quia à calore intenso aqua amarescit, quomodo tamen fiat dubitamus in præsentia.

Ob rationes dictas, Antonius Musa & Vallesius super hunc locum non recipiunt aquam in bilem converti, neque hoc voluisse Hippocratem dicunt, sed amarescere aquam in corpore bilioso, & bilem parere, quatenus cum liquida & insipida sit, facillè cum bile permiscetur, & amara resultat, & bilem abundare apparet: siquidem totum amarum sentitur, & in tanta quantitate, ut aquam in bilem mutatam fuisse appareat.

Hæc solutio non satisfacit sufficienter, ut judico, dubitationi, & sic non est admittenda: non enim cum doctrina Hippocratis convenit, & rationi, & doctrinæ Galeni manifestè adversatur. Inquit Hippocrates aquam bilem parere, quod non esset verum si non commutaretur in bilem, cum

potius ipsam corrigeret alteratione & permixtione. Galenus tamen in *comment.* tantum abest ab explicatione data, ut expressè commutari in bilem dicat. Sic ait: *Hæc igitur quamquam optima sit* (agebat de aqua) *multo tempore in ventriculo manet, fluctuationesque facit. Quo fit ut cum biliosus ventriculus fuerit, corrumpatur & illa.* Docet ergo per corruptionem sui aquam bilem parere. Et *infra* agens de aqua mulla sic ait: *nam syncera, puraque nisi ventrem subducere anticipaverit, magis nocebit, & præcipuè in amara bilis hominibus, & his quibus præternaturam tumefacta sunt viscera, in his & aqua detrimentum affert, cum plus justo in hypochondriis morata, bilefcit.* Ex quo deducitur per conversionem in bilem aquam bilefcere, cum æqualiter loquatur de aqua mulla, & de aqua simplici, & de illa non dubitet per corruptionem sui bilem parere.

Ratio etiam contra Vallesium stat: nam bilis verè non augetur per veram generationem suâ ex aqua, nec afferret nocumentum in biliofis: sed inquit Gal. afferret detrimentum: ergo verè in bilem mutatur. Sequela probatur: nam quamvis ratione permixtionis bilis evacuet, totus liquor amarus resultaret, quod non esset verum in rigore; siquidem non mutatâ substantiâ (neque sapor mutari non poterat in aqua) necessum erat remitti bilem secundum omnes ejus activitates: at hæc remissa bilis non potest nocere magis quam antea; ergo adfert detrimentum. Major est certa: siquidem & alteratione & permixtione aqua in bilem agit, & ipsius activitatem refrangit: ergo nocebit minus, neque majorem esse molem rei amaræ ejus valet augere activitatem: nam augmentum quod invenitur, non est rei ejusdem naturæ, sed potius rei corrigentis, ratione cujus etsi quoad molem major inveniatur quantitas, quoad activitatem potius aliquo modo minor est.

Præterea ex communi Philosophorum doctrina, mixtum potest fieri ex unico simplici elemento per alterationem: ergo ex aqua rectè poterit fieri bilis agente calore: Antecedens omnes ostendunt, & Noster Petrus Garcia supra Avicem. *disput. 7. de mixtione, cap. 2.* Santa-Cruz 2. *de causis pulsuum, cap. 14.* & omnes qui ex aère spiritus fieri concedunt cum propter eorum generationem aërem trahi per dilatationem doceat Galenus 4. *de differentiis puls. cap. 2.* Ergo ex aqua potest fieri. Pater: cum non alia de causa aqua & oleum materia medicamentorum dicuntur, ut ostendit Galenus 2. *de simplic. medic. facult. cap. 19.* nisi quia facillè proprias qualitates deponant, & alienas recipiant, ut in *comment.* scripsit Vallesius: sed ea quæ facillè proprias deperdunt qualitates, & alienas recipiunt, necessum est facillè commutari in alienam naturam; ergo & aqua in bilem mutabitur facillè; siquidem ad facillè introductionem qualitatum similibus facilis transmutatio, seu formæ introductio sequitur. Quod etiam ostendit aquæ excessiva tenuitas, ratione cujus & facillè transmutari est necessum: propter quod evenit, quòd etsi oleum aqua calidius sit, dum permiscetur ad ignem, citius aqua consumitur, ut docuit Gal. 1. *de simplic. medic. facult. cap. 6.* proinde etiam in idem vas consue tam aquam oleumque si decoquas, prior tamen aqua absimitur: quid mirum ergo quod facillè in bilem vertatur, dum in biliosum corpus injicitur.

Dicendum ergo est aquam in bilem verti, ut docuit

docuit Hippocr. & Galen. *in comment.* si corpori bilioso tribuatur, quia facile alteratur, & alienas qualitates recipit, & proprias deponit propter ejus tenuitatem, ideo Hippocrates eam citò calescere, & refrigerari docuit 5. *aphorif. tex. 26.* Et cum ex alia parte activitas sit major in biliosis propter eorum intensum calorem, hinc est quod in his in bilem vertatur, non in alios humores, etsi abundant, quia non est eorum activitas tanta ad transmutationem faciendam; quod est intelligendum dum aqua in parva quantitate exhibetur; siquidem facilius vincitur à calore quàm valeat calorem vincere. Quod docuit Hipp. in ipso textu, ubi sic ait. *Si inter oxymel & mulsam aqua modicè bibatur, sputum evocat, alioquin neque sitim sedat, sed amarescit,* &c. docet ergo in bilem verti in parva quantitate. Dum verò sufficiens quantitas pro activitate caloris retundenda exhibetur, neutiquam talis est timenda conversio, sed utiliter exhibetur, ut fecit Galenus 9. & 10. *meth. cap. 15.* quibus in locis usque ad satietatem exhibet. Sic ait 9. *meth. Offerenda potui est qua prorsus sit gelida, quantum agro complacuerit:* ergo conversionis periculum in bilem, quando aqua in parva quantitate propinatur, debet timeri. Et ne locus Galeni de febre continenti intelligatur, in qua bilis non redundat, 13. *meth. cap. 5.* in juvene calido & sicco potum frigidum copiosum exhibet felici successu, & sic solum quando aqua est in parva quantitate amarescit.

Unum tamen invenitur in hoc textu quod prima facie videtur difficile, & dictis contrariari: dictum enim est perfectiorem esse aquam quæ simplex omninò existit, & omni alia permixta qualitate, aut excrementitia substantia caret, ut ex Galeno docuimus, & constat *in comment. tex. in quo sic ait Galenus, Singula quæ dicuntur ad optimam, referuntur aquam, ea tamen purissima est, & omni aliena qualitate destituta:* sed Hippocrates in textu sic ait, *atque ex eo quod sit vitiosa est, quod stercoreis suapte natura expertis fit.* Quibus verbis videtur significare Hippocr. eò esse deteriores aquam, quò magis ac magis ab excrementis est denudata: quod si ita esset, omninò veritati opponeretur, & sic hæc verba non ad substantiam aquæ sunt referenda: nec hoc voluit Hippocrates, sed ad effectus quos causat per se, aut per accidens, & ad ipsos respiciens docet fluctuare, non distribui, neque urinam ciere, neque alvum movere. Et hoc explicans inquit, *& ex eo vitiosa est, quod stercoreis expertis sit,* id est ex eo quod non moveat stercorea, vitiosa est: cur hoc fiat, diximus. Quando & quomodo sit exhibenda debet constare, si quod ad victus rationem pertinet attendamus; si verò ad rationem medendi, ex libris Methodi deducemus: quæ ratione potiones instituuntur medicatæ, ut docet ipse Hippocr. *in textu.*

*** + ***

QVÆSTIO VI.

De Vino.

ET si nullus alius verus potus sit præter aquam, plura alia in potu habentur communiter, ut sunt vinum, Aqua mulsa, & compositiones plures quæ conficiuntur ex aqua aut vino cum saccharo, aut melle, cum acido, aut sine

illo, inter quæ post aquam commune magis est vinum, & omni tempore, & omni nationi; caret tamen vera ratione potus, quatenus alimenti naturam habet, ut docet Galenus 3. *de alim. facult. cap. 40.* & sicut fluxile & frigidum actu, pro finibus potus conducere sit compertum, tantò melius ipsi consequantur, vinum aquâ dilutum per venas pluries magis aut minus pro ratione consuetudinis, ut fines dicti consequantur; habet enim dilutum attemperare magis, & ad distributionem juvare, ut ex Avic. *fen. 3. cap. 8. lib. 1. de Etr. 2.* docuimus, propter aquæ tenuitatem cum calore vini conjunctam.

De vino egit ex professo Hippocrates 3. *acut. tex. 1.* in quo plures vini differentias adducit; jam ratione saporis, jam ratione odoris, ex quibus vires & facultates dignoscuntur; etsi non minus ex odore patefiant. Propter quod Avic. *cap. 8. cit.* vinum bonum sic explanat. *Et scias quod ex vinis illud est melius quod inter vetustatem & novitatem est æquale, clarum & album, quod ad rubedinem trahit, bonum habens odorem, æqualis saporis, & quod numquam est acre, neque dulce.* Ideò Mercatus *lib. de recto presid. usu,* gustu, visu, & olfactu vini differentias agnoscit, quæ omnes ad ostendendum eorum vires sunt notæ: sic differunt, ut odor efficacior & meliorem ejus facultatem ostendat, secus aliud; demonstrat enim illud in suo esse perfecto reperiri, & superfluitatibus carere, & vino nihil illarum partium esse resolutum.

Ratione saporis vinum dividitur in dulce, & austerum, aut quod nullo eorum afficitur sapore, sed tantum vinoso; est enim proprius vini sapor, qui & cum aliis & solus reperitur; siquidè omne vinum in unico generali sapore convenit, etsi diversitatem aliquam obtineat modo dicto, loquor de vino in statu naturali; nam viâ corruptionis, aut per artem alios sapores habere non dubitamus; per artem, nam ratione rei permixta, ipsa ratio dicitur; viâ corruptionis ita esse constat ex Gal. 4. *de simplic. medic. facult. cap. 12.* sic dicente. *Itaque vinum acerbum tempore dulcius primo, mox acrius, amariùsque efficitur, denique plane amarum redditur: ad eundem modum quod veluti rigorem perpeffum est, acidius protinus redditur, ac si prorsus refrigeretur, penitus acescit.* Quibus verbis non est intelligendum vinum sub propria forma omnes sapores dictos habere, sed omnes mutationes considerat Galenus *cap. 10. & 11.* quæ præcedunt, & reperiuntur in succo qui vini naturam acquirit; est enim primò succus in uva sub austero sapore, qui à calore uvæ Sole juvante in dulcem saporem transit, ratione cujus mustum dulce est, quo fervente, prout magis aut minus depuratur, magis ad saporem proprium vini accedit, & temperie maximè attenuante acris fit ad amaritudinem tendens, & tandem calidis evanescentibus partibus in acetum transit: ut inde constet quod acidus sapor potius à partibus incoctis & crudis sæpius provenit, cujus magis aut minus participat vinum, prout plures aut pauciores harum partium sunt in vino: dum verò perfecta præcessit in uva coctio, dulcedo in prædictis comparatur partibus, propter quas dulce gustu est vinum, prout ipsis magis inficitur; resultat tamen proprius vini sapor his partibus sufficienter agentibus, liquorem pro forma vini disponentibus, ipsis separatis, donec tandem corrumpuntur. Quo modo intelligitur Valesij doctrina

Strina in comment. dict. capit. cujus generationem tract. de coctione. q.4. videre est.

Vinum igitur aliud cum proprio sapore tantum, aliud dulce, aliud austerum. Per dulce non intelligit Mercatus, quod nos *Moscatel* vocamus; iudicat enim ipsum non cognovisse Gal. fallitur tamen; nam certum est vini species seu differentias esse constituendas, vino in suo esse naturali existente: sed si per dulce vinum non esset intelligendum muscatelinum, intelligeret vinum nondum confectum, quod melius per defectum potioris significaret, quam per saporem: ergo dulce vinum, muscatelinum significat. Patet: nam dictum habemus dulce esse vinum ratione partium musti nondum separatarum: Ergo talis sapor non esset vini proprius, sed dictum est loqui Galeni, de vino ex propria natura dulci, quale est muscatelinum, ergo de ipso loquitur, & ipsum cognovit, quod constat ex *cap. 10. lib. 4. cit.* ubi sic ait Galenus. *Est autem in quibusdam vinis postquam efferverint, dulcedo quadam sincera, suavis & propria ipsius succi natura, non qualis antè erat mixta, scilicet ex proprio, atque eo quod circa semicoctum, aquosumque excrementum erat fervore.* Docet ergo Galenus dici dulce vinum per saporem proprium illius, non per saporem resultantem ex mixtis excrementis.

Confirmatur hoc: nam si de sapore resultantem ratione substantiarum mixtarum loqueretur, non diceret, *in quibusdam vinis*; siquidem in omnibus saporem dicitur primò reperti docet *cap. de vino, & 11. citat.* cujus verba suprà posui: de vino ergo quod ex se dulce est loquitur, quale est muscatelinum; cætera verò tempore dulcedinem deponunt propter depurationem, seu partium separationem. Neque ex hoc colligi debet vinum per depurationem, seu separationem partium præcisè fieri, nullà existentem substantiali mutatione, contra quod dictum est *Tract. de Coctione*: nam Galenus *cap. 11.* expressè per transmutationem fieri significat, sic ait; *Sed ubi quod aquosum, semicoctumque erat, jam transmutatum fuerit, atque confectum, & is qui fervorem concitabat calor evanuerit, jam tum denique quæ propria sunt succorum proprietates, sincera conspiciuntur. Itaque tunc quæ propria vinorum natura sit agnoscimus.* Quid clarius? Ergo per transmutationem fieri vinum, & ipsà factà separatis partibus calefacientibus & alterantibus, proprium vini saporem constare docet Galenus, ac per consequens talia debent dici vina, qualia ex propria natura resultant, excrementis seclusis.

Contra hanc partem videtur stare Galenus *lib. de cibis boni & mali succi, cap. 11.* ubi expressè nullum vinum album dulcissimum appellat: Ergo per dulce non potest intelligi muscatelinum, sic ait. *Neque enim vinum reperias unà crassum atque dulce, quod non idem nigrum quoque sit, inter alba dulce nullum.* Et *3. acut. comment. 7.* sic ait. *Dulce quidem vinum continuo & nigrum existit.* Respondetur Galeni. non negare absolutè vinum album dulce, concedit ipsum cum dicat *in eodem cap. 11.* fulva, flavaque, & alia mediocriter dulcia, sed quæ verè alba appellantur, prout ab aliis albis adducendis differunt, negat esse dulcia, quod est verum; & hoc modo etiam vinum crassum & dulce solum est nigrum; nam si album sit, aut fulvum, non crassum, aut dulce erit; sed dulce & tenue differunt, non album & nigrum, ut ipse Galenus docet: non dico alba non

esse crassa, sed non ita ut nigra, & hac ratione solum nigra crassa & dulcia esse inquit Galen. & sic non contraria ipse, etsi contraria dicat *in comment. Vallesius.*

Vinum austerum eodem modo resultat ac dulce; austerum ratione partium permixtarum talis naturæ, quale est mustum per partes musti dulces, & austerum ratione partis vinosæ talis naturæ quale est dulce muscatelinum: potest enim fieri ex rebus austeris vinum, aut ex rebus acerbis, ratione quarum austerum vinum erit; tale est quod succo granatorum adstringentium assimilatur: Explicat enim Galenus *4. de compos. medic. secundum genera*, austerum saporem per mediocriter adstringens: præter hæc acria etiam enumerat vina Galenus *cap. 11. cit. de simplic. medic. facult.* quæ eodem modo talia sunt ac dicta, id est per acrimoniam partis vinosæ, quod est quia sapor qui proprius vini est, aliquam acquisivit vivacitatem ratione majoris caloris, ratione cujus in aliquibus locis hæc aut illa produuntur, prout loci temperies ad hanc aut illam dispositionem conducit magis.


Ratione coloris alia sunt alba, alia sunt nigra, quorum differentiam notam dedit Hippoc. *3. acut. text. 1.* At inter alba vina etiam datur differentia, prout magis aut minus à colore differt, seu assimilatur; ita ut album aquosum dicatur quod aquæ valdè simile; pallidum quod paleis; flavum quod auro; de quibus omnibus fecit mentionem Gal. *in comment. lib. de attenuante diata, in fine, & 12. method.* sub quibus intelligitur rubrum & fulvum, de quibus egit *lib. de cibis boni & mali succi, cap. 11.* at omnia alba dicuntur in contrapositionem nigrorum, etsi album specialiter aquosum significet in contrapositionem aliorum.

Quod ad modum substantiæ dividit etiam Galenus vinum in crassum & tenue, aquosum & medium. Per crassum non debet intelligi necessarid nigrum; nam etsi nigrum crassum sit respectu alborum, intra ipsam speciem, nigrum in crassum & tenue dividitur ut album: quæ ratione *cap. 11. de cibis boni & mali succi*, vinum aquosum & crassum & medium concedit, & eorum exempla adducens, immediatè sic ait. *Nullum est eorum non nigrum.* Et *infra* de albis sic ait. *Et inter alba vina dulce nullum, sed sunt ex his quadam austera & crassa, quadam alba & tenuia.* Ergo crassum non solum dicitur de nigro, vel tenue de albo, sed tenue & crassum de quolibet verificatur: crassum quod partium consistentium est, seu partium visum terminantium: tenue quod partium subtilium, etsi videatur veluti terminare visum, à quo differt aquosum, quatenus omninò modum substantiæ aquæ habet, & videtur non terminare visum, quia ea quæ post visum sunt, ut sunt percipiuntur.

Sed dices: Vinum album prout distinguitur ab aliis albis, est aquosum: ergo non est adducendum inter species desumptas à modo substantiæ. Præterea vinum per lucidum est concedendum etiam, quod in modo substantiæ cum tenui flavo coincidit: ergo alia est concedenda differentia. Respondetur ad primum, quod licet per album aliqui intelligant vinum album, quale lac, ut est *malvasia*, juxta mentem Antonij Musæ, nihilominus Galenus album appellat, quod aquæ assimilatur, ut *5. de sanit. tuend.* constat; adduxit tamen ejus differentiam & ratione coloris, & ratione modi substantiæ, quatenus ex utroque id quod

quod intendebat deducit, victus scilicet vini; per lucidum verò non differt per aliquam qualitatem ex dictis ab aliis, & sic non constituitur dicta differentia.

Ratione odoris vinum etiam differre docuit *in comment. cit.* Galen. prout bono aliquo odore, aut vinoso tantum, aut nullo afficitur. Quæ ratione odorosum esse præferendum docet Avicenn. *cap. 8. cit.* quod in facultate etiam differre notum est, prout magis calefacere, & corpus immutare habet, aut secus: illud potens, seu vinosum dicitur; hoc imbecillum seu aquosum. Quæ omnes differentia sub his quæ ab Hippocr. adducuntur, comprehenduntur quoad esse medicum, sub illis scilicet quæ à colore & à sapore desumuntur, quatenus ex ipsis vini facultates, quæ ab aliis differentiis demonstrantur, sufficienter patefunt: nam tenue & crassum sub nigro & albo significatur, sicut sub vinoso potens & imbecille. Adducit semper Hippocrates præcipuas differentias, ut inde cæteræ constent, ut inquit *in comment.* Vallesius.



QUÆSTIO VII.

De Effectibus Vini.

UIBUS utile aut nocivum vinum existat, notum est; cum enim calidum sit, frigidis conveniet naturis, secus calidis: fluxionem augeat, urinam movet, & alimenti distributionem, necnon & ad coctionem etiam, conducit magis aut minus, juxta ejus differentias. Quod & Avicenn. docuit *sen. 3. lib. 3. doct. 3. cap. 8.* & Hippocr. *3. acut. tex. 2.* quem sequitur *in comment.* Galen. quod est intelligendum in aquæ contrapositionem, quæ propter frigiditatem ejus, non ita ad distributionem facit: ipsa tamen vina inter se taliter differunt, ut aliqua talis naturæ sint, quod etsi partes subtiles calidiores obtineant vinosas, ob quas fluxiones moveant, & ad distributionem faciant, nihilominus adstringentia sunt. Quod docuit Galenus *in comment. 2. citat. 3. acut.* sic ait. *Vinum dulce non gustandi qualitatem communicat, quia est austerrum & acre; at aquosum permittimus, quod ab adstringenti degenerat, etsi languidam habeat adstringendi qualitatem; ideo austerrum adstringens magis est, & utile dum venter est laxus, tale plurimum est nigrum.* Idem Galenus *comment. 7.* At quod citra dulcedinem nigrum, austerrum est, id venter dulce existit, quando plura justo discedunt; ratione cujus communis praxis dum alvus plus justo mollis est, vino utitur nigro: è contrà verò dum dura existit. Quod ex Hippocrate desumitur sic dicente, *Dum excrementa humidiora magis fuerint, ab albo vino demigrare oportet.*

Contra hanc communem praxim videtur stare, quod vinum album calidius est nigro: sed quod calidius est, valet exiccare magis, & ventrem sistere; ergo dum ipse lapsus est, vino albo est utendum, non verò nigro. Major est certa, ut constat ex Gal. *lib. de cibis boni & mali succi, c. 11.* Minor est nota per experientiam, ratione cujus Galen. *5. de simplic. medic. facult.* quæ summè calida sunt, extremè exiccare docet: ergo ubi venter mollis & laxus est, utilius erit vinum album quàm nigrum: patet: nam talis effectus adstri-

ctionem desiderat: sed quod siccate valet, efficacius erit ad adstrictionem inducendam: ergo vinum album est ad hoc præferendum. Minorem ostendit communis praxis; siquidem dum fluxiones excitantur, siccitate inductâ, illas cohibere tentamus: Ergo quòd vinum ad exiccandum valebit magis, quale est album, illud utilius erit ad fluxiones cohibendas, non intelligo album quod tale dicitur in contrapositionem fulvi, seu reliquorum alborum, sed ad differentiam; neque ago de vino austero, sed de vino præcisè in contrapositionem nigri sine qualitate aliqua speciali, per id quod ad esse vini sequitur.

Pro hac parte etiam stat quod Galenus de dulci vino agens *3. acut. comment. 2.* ipsum crassarum partium esse docet; & vinum dulce & crassarum partium necessariò esse nigrum scripsit *cap. 11. de cibis boni & mali succi;* ergo non est ipso utendum in laxitate ventris. Patet consequens; nam vinum dulce ventrem emollit, ut docet Galenus *in comment. 2. cit.* per hæc verba. *Solis ergo his unum inest bonum (agebat de vino dulci) quod ventrem emolliant, quòd si non fuerint, omni pacto nocent:* ergo vino nigro non est utendum, ventre existente laxo.

Nobis tamen videtur dicendum Hippocratem non consulere absolutè ab albo ad nigrum faciendam esse permutationem: nam non hoc est verum, docuit expressè vinum nigrum & fulvum austerrum utile esse, cum excrementa humidiora & ramentosa fuerint magis; quo casu vino albo utitur, fulvo scilicet seu flavo, docuit tamen ab albo demigrandum esse, prout album significat illud quod aquosum appellatur, quatenus ipsum internis inutile est, ut docuit Hippocr. *3. acut. dicens. Internis magis auxiliatur meracius vinum quàm dilutum:* sed vinum aquosum gerit vini diluti vires: ergo ob hanc rationem ab aquoso seu albo vino demigrare docet in ventris laxitate; ratione cujus absolutè ad nigrum communiter indiscriminatim plures transeunt: ineptè tamen, siquidem si dulce est, etsi crassarum partium, non cohibet fluxiones, potius forsan propter majorem humectationem, eas augere valebit, & ex alia parte ventrem emollire habet, ut docet Galenus, transeundum ergo est ad vinum austerrum, si possibile fuerit, ut docuit Hippocrates, quod cum ut plurimum nigrum sit, ad ipsum ut plurimum pervenimus; non tamen si tale non sit, nisi quando ob tenuitatem & humoris acrimoniam fluxio excitatur, aliàs album erit utile ob rationem dictam, non album aquosum, neque album dulce, sed album aut austerrum, aut quale est fulvum ab Hippocr. adductum, ut album, quod ratione caloris exiccare valeat.


De vino ratione accidentium ejus, diversos effectus adducit Hippocrates, & *in comm.* Galen. per quos utile aut nocivum judicatur. *Dulce, inquit, vinum, non adeò ut vinosum capitis gravitatem affert, & minus tentat mentem, neque ullum aliud ram facillè per intestina descendit, sed jecur & lienem in tumorem attollit; neque utile est quibus amara bilis exuperat, urinam minus quàm album ciet, nullum aliud spiritum movet efficacius, nisi cum sitim induxerit, vini albi vinosi tum laudes, tum vituperationes in dulcis vini enarratione continentur.* Quibus verbis quibus utile, aut nocivum sit dulce vinum significat Hippocrates. Et ratione deducitur quid de vino albo vinoso dicendum sit; cum asserat constare ex his quæ de dulci dicta erant;

erant ; differunt enim quatenus vinosum calidius est, & tenuius dulci ; ergo contrarios effectus habet facere, ut ipse refert : album aquosum omnibus tenacius est, magis penetrat, minusque caput tentat, ut *comment. 2. citat. docet Gal. Protinus & facultati aquæ simile existit, neque imbecillum caput feriens, neque infirmos nervos.*

Quomodo dicta eveniant, non est difficile intelligi. Diximus de dulci vino crassarum partium esse, & consequenter humidum, quod de nigris intellexit Gal. ut constat ex *3. acut. comment. 2.* est etiam alba ejusdem naturæ inveniantur, quæ muscatelina, & quæ nondum depurata sunt, quæ dulcedinem musti participant, & ad eisdem effectus valent. Ob id *Gal. cap. 11. cit. sic scripsit. Dulcia vina crassa que quod album subducunt, nullus est qui ignoret, sicut mustum quoque, quod simul & statuosum est, & concoctum difficile, & crassi succi* : totum quod ratione crassarum partium permixtarum cum succo evenit ; ut inde constet vina aliqua nigra quæ reperiuntur tenuium partium, non eisdem effectus facere : eveniunt dicta ob partium crassitiem, ut diximus, & inde dulcedo ; crassities igitur obstructiones facit, statûs materiam præbet, & coctionis resistantiam, & consequenter lienis & hepatis angustas vias non facile penetrat, ventrem tamen humectando emollit, & consequenter ad excretionem sputi facit ; ob amplitudinem vasorum pulmonis, ut rectè explicuit *in com. Gal. inquit tamen bile scire in biliosis, quia dulcia facile in naturam bilis transeunt, ut mel ; & quia cum non moveant urinas, nec facile distribuuntur, permanent ; ita ut alterentur in similem naturam, & ex alia parte non movet bilem ad expulsionem, ut tenuia, sic de vino veteri ait in contrapositionem dulcis Avic. cap. 8. lib. 1. fen. 3. Vinum cholera abundantibus confert, propterea que cholera urinam provocando expellit.*

Vina tamen tenuia facilius penetrant, & facilius caput tentant, ob calorem majorem : siquidem ob ipsum tenuia sunt & calida, & facilius vapores elevantur & ascendunt : aquosum tamen vinum cum aquæ naturam sequatur, neque vapores ascendentes præstat, neque calefacere habet, & ex alia parte urinam magis movet, non tamen sputum, quia propter remissum calorem non disponit ad excretionem : fit quidem excretio medio aëre implente, ad quod laxitas seu mollities instrumentorum requiritur, cujus contrarium ab aqua & aquoso vino inducitur : Ad quod juvat quod aër impulsus, id quod aqueum est movere non valet. Sic ait *Gal. comment. 2. cit. Scis autem pulmonem ipsum ab humoribus crassis per tussim expurgari, nam qui aquosi sunt, & exquisitè tenues, aërem qui tussiendo extra mittitur, circumfluunt ; aër enim tanquam manus existit, quæ sursum crassos humores secum ferat.* Constat ergo quod aqueum non conducit ad excretionem ; quatenus ad suam flexibilitatem humores trahit, propter quod Hippocrates de aqua inquit, nil aliud esse quod minus sputum moveat.

Ex dictis patet quid dicendum sit de vino odorifero, aut inodorifero : illud vinosum significat, seu potens ; hoc debile & aqueum : illud calorem exceedentem ; hoc ejus diminutionem, ut ac *Hipp. 3. acut. text. 2.* constat, & ex *Gal. in comment.* quod ratione modi substantiæ adveniat, dictum sub dulci & vinoso vino. De austero non potest dubitari cæteris omnibus magis adstringere ; idè ventrem fluente, ipso esse utendum docet *Hipp. 3. acut. text. 9.*



QUÆSTIO VIII.

An omne Vinum sit Calidum.

DUBITATIONIS fundamentum sumitur ex eo quod *Gal. cap. 11. de cibis boni & mali succi, austero frigidum appellat, & 3. acut. comm. 2.* agens de vino inodoro, sic ait. *Carentia odoris, ea imbecillitatis frigiditatisque efficacissima existit nota.* Quæ ratione supra *in comm. 2. ejusdem libri,* postquam dixit vinum aquosum colore & modo substantiæ aquæ assimilari, sic ait. *Protinus & facultati aquæ simile existit* : sed aquæ facultas est frigus ; ergo frigidum existit vinum album. Idè *12. meth. c. 4.* sic ait. *Neque enim invenies ex alborum vinorum genere calidum ullum ; quod de aquosis est intelligendum.* Ergo de mente Galeni non omnia vina calida sunt. Quod etiam de vino novo planè docet *cap. 12. cit. sic : Vetusorum potus fugiendus, sicut novorum omnium : illa plus justo, hæc nequaquam calefaciunt.*

In hac re verius judico Paulum & Aëtium procedere, omnia vina calida esse dicentes, non solum in se, sed etiam quoad nos. Quod placitum communiter recipiunt Medici ; & est intelligendum de vinis quæ in usu sunt. Quod probari potest primò, quia nullus ad refrigerandam aliquam partem vino utitur, neque experientiâ compertum est aliquem ex se refrigerari vino assumpto : sed non alio modo Galenus ostendit indagari qualitates medicamentorum, *1. de simplic. medic. facult.* quàm ex eo quod applicata medicamenta corpori faciunt per se : Ergo vinum calidum est dicendum. Neque alia de causa Hippocr. *3. acut. textu 9.* dum vinum austero concedit fluente ventre, inquit esse exhibendum, *ni capitis gravitas adsit ; quod alij vertunt, ni capitis gravitatem induceret* : Sed vinum caput gravans calidum debet esse, ut inquit *in comment.* Galenus ; ergo calidum est austero ; & sic cum aliqua frigida appellat, intra suam lineam est intelligendum, quatenus minus omnibus aliis calefaciunt, non quatenus frigida sint in rigore ; idè odoris carentiam frigiditatis signum adducit ; & hac etiam ratione vina aquosa non esse calida, quia non sensibiliter manifestè calefaciunt, & sic eis utitur in febribus Galenus *3. method. cap. 3.*

Ratione temporis vinum discriminari docet Galen. *3. acut. comment. 2.* non per se, sed quatenus ratione temporis hæc aut illa vini virtus magis prævalet, sic ait : Non enim ob tempus vina vel juvant, vel lædunt, sed ex propriarum differentiarum mutatione : quod, ut ex dictis constat, fit partibus aliquibus manentibus, & aliis resolutis ; quibus modis perfectio vini resultat & aufertur ; sic mediam naturam vinum debet habere, ut docuit Galenus *cap. 11. de cibis boni & mali succi,* dicens fugiendum esse potum vetustorum & novellorum vinorum, quem sequitur Avic. *fen. 3. lib. & doct. 3. cap. 8.* fatetur enim Galenus illa reddi amara, & plus justo calefacere, potuque inepta fieri, hæc verò frigidiora esse, coctionem non juvare, ventrem inflare, & hepar obstructuere : illud propter exquisitam partium crassarum separationem ; & hoc propter ipsarum existentiam. Ob hanc rationem Galenus vetustate vina primò acria, id est mordacia reddi, deinde

amara docuit 4 meth. cap. 10. & 11. & consequenter semper calidiora resultare.

Contra hanc receptam Galeni doctrinam doctorem vetustate vinum fieri calidius, stat ejusdem Galeni doctrina 1. de sanit. tuend. & lib. de marcove, quâ constat corpora à proprio calore resolvi, ut in igne videre est, quod 4. meteoror. cap. 5. docuit Philosophus, sic scribens. *Sicantur omnia calido vel externo, vel interno humidum consumente in vapores: externo, ut elixa: interno, ut cum humor à calore, quem in se habet, expiratione consumitur. De quo ex professo tractatu de atatibus egimus.* Ergo vinum debet tempore resolvi, ac per consequens & refrigerari. Quod experientia confirmat, quâ constat vinum ita tempore debilitari, ut virtus & acrimonia quæ percipitur, sensibili ter amittatur, ut accidit quoties vinum extra doliû natat, quod vulgò dicitur *desseurebarse*: ergo vinum non redditur tempore calidius. Patet. Nam sicut in nobis frigus resultat ob resolutionem partium calidarum, cur hoc in vino evenire non debet; ostendit enim vini calorem ejus proprii saporis intensio tantò magis, quantò ad saporem plus caloris requirentem accedit, ad acrem scilicet, aut ad amarum, siquidem ipsi caloris sunt soboles, ut docuit Gal. 4. de simplic. medic. facult. cap. 13. sed tales sapes potius remissiores tempore fiunt; ergo & vini calor, ac per consequens malè Galenus tempore vina resultare calida scripsit. Ad hoc facit quod non apparet quare major calor in vino resultet post depurationem. Patet: nam non est calor aliquis veluti suffocatus à substantiis aliquibus quæ pullulet, neque est à quo procedat: ergo non potest fieri calidius.

Non solùm fieri vinum vetustate calidius, verùm neque ipsum calidum debere esse, potest deduci ex Gal. 5. de sanit. tuend. cap. 5. sic dicente. *Vinum ut pueris alienissimum, sic senibus aptissimum.* Quem sequitur Avicen. cap. 8. cit. sed si vinum calidum esset, esset simile pueris, & dissimile senibus, & ipsorum corpora præternaturam alteraret; ergo non potest esse eis utile, & aliis nocivum. Ad quod facit quod senes ut frigidi sunt, non valebunt id quod calidius est permutare, maxime tamen pueri: ergo utilius erit pro pueris quàm pro senibus. Patet: nam ex cruditate seu defectu coctionis vini, multa debent resultare frigida excrementa quæ in his qui multo vino utuntur, inveniuntur: ob quod vinosi malum corporis habitum ferè semper comparant, & suffocati pereunt; ergo non potest esse utile senibus, aut calidum non est, quia quod calidum, non potest per calorem senum commutari.

Si dicas senibus vinum debere dari aquâ temperatum, seu dilutum, ut sic à calore eorum possit superari: Contra est, Primò quia Galenus *locis citatis* absolute docet vinum senibus esse utilissimum: ergo de vino mero est intelligendum; quod ostendit immediate dicens, & *vinum ex his debet esse, quæ calidioris natura sunt*, & eorum adducit exempla: sed si de vino aquâ temperato esset intelligendum, non doceret utiliora esse calidiora, de mero est intelligendum, ac per consequens non poterit esse conveniens senibus.

Præterea quia mixtio aquæ non tollit vini naturam, etsi ejus calorem remittat: ergo non tollit commutari non posse à senibus. Patet: nam etsi calefiat, à frigore recepto ab aqua, non poterit calefieri ultra propriam intensiorem quam petit, quia frigidissimi senes sunt; sed ut convertatur

ultra propriam intensiorem debet calefieri; ergo adhuc dilutum non potest commutari à senibus.

Nihilominus dicendum est vinum omne calidum esse, secundum magis aut minus diversum, omnèq; calefacere vivens magis prout antiquius, nî ad tantam perveniat senectutem, ut ejus virtus & calor evanescat: Primum expressè est in Galeno 1. acut. comment. 1. & 11. de simplic. medic. facult. quod experientia monstrat: quâ ratione *loc. citat.* vinum quò antiquius eò calidius esse semper repetit, asseritque aut amara fieri. Quod verò tanta possit esse ejus antiquitas, ut calor & virtus amittatur, est experientiâ compertum, & doctrinâ Gal. & Avicen. comprobatur, quatenus omnia proprio calore evanescent, ita ut inutile & insipidum vinum reddatur. Dico insipidum, quatenus ingraturum facit, quo modo ad acidum saporè migrare, quod & ad suam corruptionem facit, ratione cujus Antonius Musa *super hunc locum*, quatuor ætates habere vina scripsit, quatenus novella sunt, quæ pueritiæ respondet, & quatenus perfectiorem habent tempore comparatam naturam, adolescentiæ respondent, & calidiora resultant; & deinde quatenus juventuti assimilantur, fiuntq; tempore calidiora & sicciora, docet tantum resolvi quæ sunt senectutis instar, & sic vina calefieri inquit, & exiccari à principio usque ad determinatam ætatem, quam juventutem appellat; friges fieri verò postea, & sic judicat falli Gal. dicentem vinum quò antiquius, calidius reddi absolute, cum tandem frigidum sit. Colligit tamen vina diversas ætates habere hic Autor ex eo quod Gal. 4. aphor. comment. 2. sic scribat, *Qualis etiam vinis crassioribus jam consistentibus solet subsidere.* Ergo si ipsis conceditur consistentia, declinatio, seu senectus, sicut & augmentum negari non debet.

Pro resolutione quæstionis, vinum in tantum calidum aut frigidum esse, in quantum juxta ejus naturam, hanc aut illam consequitur qualitatem, non quatenus viâ corruptionis tale est. Sic igitur minus calidum aut dulce dicitur, quatenus recens factum ante perfectam ejus depurationem, etsi calidum sit ratione partium permixtarum, neque ita calidum est, ut erit, neque perfectum habet proprium saporem hujus qualitates etsi non sint in tota perfectione, postea partibus vini magis depuratis, jam per separationem aliquorum excrementorum, jam per calefactionem aliquarum partium, ratione quarum minus calidum erat antea, calidius resultat, habet enim partes vinum facientes ipsum paulatim confici ob contrarias qualitates & excrementa, & sic paulatim calidius fit, donec perfectâ partium separatione existente, & omnimodâ dispositione vini inductâ, perfectiorem etiam habet naturam, calidius & tenuius resultat, ut docet Galenus 11. de simplic. medic. facult. cap. 3. clarius lib. 4. cap. 10. sic ait, *Sed ubi jam quod aquosum & excrementitium erat, transmutatum fuerit atque confectum, & is qui fervorem concitabat calor evanuerit, quæ propria sunt succorum sincera proprietates, inspicuntur. Itaque tunc quæ propria vinorum natura sit agnoscimus.* Quibus verbis præterquam quod docet vinum fieri per transmutationem factam succi uvæ qui aquosus est, ut *Tract. de coctione* scripsimus, manifestè docet vini naturam propriam constare separatione quod comparare debebat, & transmutato quod debebat transmutari, ratione cujus 4. aph. com. 2. 1. agens de sanguine nigro qui aliquando ejicitur, dicit esse limum sanguinis quale reperitur in

Quæst. VIII. An omne Vinum calidum. 183

in vinis jam consistentibus. Quibus verbis docet excrementa quædam in ipsis jam perfectis, quibus tempore separatis vina resultant calidiora.

Quod vina ab hac perfectione resultant dictum est, at hoc viâ corruptionis; siquidem ad acidum sapore migrant calido resoluta, seu partibus calidis vini jam evanescentibus. Propter quod Gal. 4. de simplic. medic. facult. cap. 12. vina debilia citius acescere docet; resolvitur citius debilis, seu remissus calor, quàm ubi plures ejus partes sunt; at hæc natura extra propriam vini est, cum acidus sapor, & quæ ad ipsum migrat dispositio, propria vini non sit, potius ejus interitus, seu à naturali statu recessus. Idèd Gal. *adversus Lycum cap. 4.* scripsit, nullum esse vinum secundum naturam acidum, potius ab ejus natura degenerare docet. Sic ait. *In vinis adstringens qualitas ab acida separata, ut bonitas à vitio, est; quorum quæ adstringenti qualitate prædita sunt, generosa sunt; acidum verò secundum naturam nullum: quin, si quid his vel parum acoris accesserit, continuo ut in acetum mutantur, fore suspicamur.* Quasi diceret, à materia vini migrare, dum in acidum saporem disponitur.

Hinc facilè opposita solvuntur, si dicamus Galenum rectè docere vina, quò antiquiora, eò esse calidiora; quòd debet intelligi intra statum naturalem ejus, non verò dum viâ corruptionis est: siquidem in tali casu non poterat dubitare, habere alienas qualitates, si ab extrinseco corrumpanantur tales, quales ab ipso dependant sive per se, sive per accidens: si ex propria natura, seu ab intrinseco ad talem dispositionem subsequuntur; quòd non poterat dubitare Galenus, cum juxta ejus doctrinam ità evenire manifestum sit, ut manifestè docuit 4. de simplic. medic. facult. cap. 12. per hæc verba. *Vinum acerbum, tempore dulcius primum, mox acrius, amarumque efficitur, denique planè etiam amarum redditur: quòd velut rigorem perpeffum est, acidius proinùs redditur, ac si proorsus refrigeretur, penitùs acescit.* Quibus verbis manifestè docet vinum primum dulce, postea acre & amarum fieri, & tandem refrigerari, & reddi acidum: quòd est dicere calidius primum, & postea magis, donec tandem in extremam migras naturam, frigidum fiat; ut constet non dubitari ab ipso mutationes omnes vini, & consequenter quòd quando vinum vetustate calidius reddi scripsit, loquitur, ipso intra suam naturam existente, cum aliud extra eam sit, verè notum erit falli Antonium Musam indicantem Galenum non cognovisse hanc ultimam vini mutationem, ex eo quòd in Græcia ob magnam vinorum durationem, eam non fuisset expertus: quòd contra rationem est; nam scripsit 4. de simplic. medic. facult. omnes mutationes, & adhuc quamvis ex hoc capite non constaret vina etsi longioris mutationis, ad suum terminum devenire debebant, quin aliquando non poterant non tangere Gal. saltem in eis quæ antiquitùs facta fuerint.

Sed dices Gal. 1. de Antidotis, c. 3. temporis diurnitate omnia præter vinum senescere; ergo non est intelligendum vinum adhuc viâ corruptionis ex propria natura frigidum fieri. Sic ait Gal. *Cum audierint Medici id quòd semper ab omnibus dici solet, senescere cetera temporis diurnitate præter vina.* Et quia potest dici Gal. non affirmare ex se, sed sic dici scribere, quòd videtur ostendere esse extra ejus mentem, stant alia verba ex propria mente in ipso capite supra idem significantia, hæc

Henriquez, *Laurca Medica* Tom. III.

sunt. *Debilissima vina quæ præ cæteris acescere solent, nisi à primis annis acida fiant, integra postmodum perseverant.* Ergo docet talia vina nullatenus corrumpi vetustate.

Respondetur Galen. non negare vina tempore corrumpi & dissipari; docuit ità fieri 4. de simplic. medic. facult. & in hoc cap. 3. idèd non corrumpi dici communiter affirmat, quòd potius significat corrumpi: verbis verò ultimis docet, quòd si alba vina aquosa primis annis non acescant, diù durant, quòd non est affirmare non corrumpi, sed quòd manent sine corruptione ut plurimum. Quòd patet: siquidem potius reprehendit Gal. illos qui absolutè dictum antiquissimum vinum pro antidotis conficiendis quærunt. Quà ratione cap. 4. sic ait. *Mel admiscere tutius est, quòd sicut & vinum constet, temporis diurnitate incorruptum esse.* Quasi diceret, quia dicta possunt tempore corrumpi, quæ corrupta non sint, admiscenda sunt. Ex dictis constat Galenum non negare vina viâ corruptionis infrigidari; tamen docere calidiora esse quæ antiquiora in suo esse naturali existente: quomodo tamen calidiora fiant quotidie, dictum est fieri agentibus partibus vinum producentibus, frigidis & humidis calefacientibus & attenuantibus, excrementis etiam separatis.

Cur vinum eò quòd calidius sit quotidie utile sit pro senibus, & inutile pro pueris, constabit si dicamus, vinum ut medicamentum convenire senibus, quatenus frigidus est, & ad sui reductionem calido egent alimento: Idèd Gal. 3. de aliment. facult. cap. 4. de vino tanquam medicamento agere Hippocratem hoc libro de victùs ratione scripsit, & consequenter de morbis vulgar. part. 6. comm. 5. vino post cibum tanquam medicamento utitur ad damnum quòd ex cruditatibus ejus evenit. Dicimus tamen quòd licet vinum calidius partibus viventis, & ipsorum intrinseco calore; frigidius esse spiritibus senum, saltem secundum plures partes eorum: vel sit quòd secundum illas frigidiores alteretur, & commutetur saltem in spiritibus, & eo gradu quo intensior est spirituum calor: in juventute scilicet plus vini commutatur; minus verò cum remissior est, ut in senectute, & consequenter ut plurimum incommutatam relinquitur in senè quàm in juvene, quòd valeat sufficere, & tanquam excrementum gravare, ut accidit etiam in his qui vel ex se, vel ex prava victùs ratione debilem habent calorem.

Ob rationem dictam ex vino plus bilis resultat in primis ætatibus, quàm in senectute, quia partes calidiores superantur à majori juvenis calore, & sic in humorem calidum commutantur; secus verò in senè, quia remissior calor frigidiores partes immutare potest, ità ut tam ex parte materiæ, quàm ex parte efficientis pro substantia frigidiori sit dispositio. Ob quòd Galenus 3. de simplic. medic. facult. 3. refert per ætatem juventutis in bilem converti, per senectutem verò in optimum humorem, & consequenter dum in magna quantitate vinum exhibetur, deterius se habere vivens, ut docet Galenus tertio de temperament. capite tertio, quia minus valet ejus calor pro tanta mole, & plura resultant excrementa, ut inde constet, ut commodius vinum dilutum pro senibus sit; siquidem minor ejus quantitas vincitur facilius, & ex ipso pauciora resultabunt excrementa; ad quòd accedit, quòd propter aquæ mixtionem

ipsam detineri facit & corrumpit : ideò Hippoc. *text.* 20. post pristinam lædere mulsam affirmat, ante ipsam verò prodesse ; hoc est cum alimento lædere, ante ipsum prodesse, quia alimentum Mulsam detineri facit, quæ detenta aut corrumpitur, aut in flatus mutatur.

Si dicas Mulsam detergere valere, ut ex Galeno docuimus : sed detergentia conveniunt in tumoribus. Vallesius *super hunc locum*, loqui Galenum inquit de phlegmone vero, in quo propter calorem mulsâ corrumpitur, non tamen de tumoribus frigidis. Cum quo dubium non solvit : siquidem cum dulcia valeant obstruere viscera, non obstructa magis hoc fugient, quando tumore laborant, & sic numquam in tumoribus convenire constat : Cum ergo non solvat difficultatem, maiè imposuit Galenus solum de phlegmone esse intelligendum : siquidem expressè in omni tumore Mulsam esse nocivam docuit. Sic ait, *Nequaquam idoneam esse quibus ea ex affectu aliquo intumuerunt, sive scirrhum, sive œdema nata sunt.* Quibus verbis non solum tumores omnes enumerat, verùm rationem damni adducit : *Comment.* tamen 15. verum est docere Galenum in morbis acutis de quibus Hippocrates agebat, tumorem viscerum, phlegmonem significare, quia œdemate, & scirrhu non causatur febris ; tamen hoc non tollit quod in quolibet tumore Mulsâ nociva existat, etsi detergere habeat ; quia cum propter obstructionem circa partem detineatur, necessum est corrumpi antequam suum producat effectum, & sic plura faciet incommoda, febrem scilicet, & ea quæ ex Mulsæ corruptione subsequuntur. Negari tamen non potest, quod quando tumores sunt frigidi, minùs detrimenti Mulsâ affert, ut docuit ipse Galenus, quia tardius corrumpitur ; & cum aquosa magis est, minùs ad bilem est disposita, & magis penetrare valet.

Circa utilitates Mulsæ dictum est facultatem habere detergentem, pulmonem lenire, sputum ducere, & consequenter tussientibus prodesse, urinam ciere, & ventrem movere, & quod magis est, plusquam vinum eadem portione dilutum, nutrire valet, ut docuit Hippocrates *loc. citat.* quod ideò est, quia mel deterforium est, & aquæ mixtum lenire, sputum ducere potest, ventrémque movere, validèque nutrire. Inquit tamen Hippocrates sputum glutinosum Mulsâ glutinosius fieri : quod respiciens Galenus, intelligendum esse docet, quatenùs non juvat, & in suo esse sputum relinquit, non quia ipsum glutinosum magis faciat : at licèt verum sit nil juvare, negari non potest quod quatenùs detergere habet sputum à partibus, ipsum se se magis condensare facit, & consequenter aliquo modo crassius & glutinosius reddit.

Sicut Mel aquæ miscetur, pro Mulsæ compositione, vinum etiam mulsam compositum fuit ab Antiquis, vino & melle fervefactis, ut docuit Dioscorid. *lib. 5. cap. 8. & 9.* & Plinius *libro 14. cap. 9.* etsi Dioscorides pro diversa mellis quantitate mulsam à melite differre dicat, & pro differentia vini, quatenùs melite ex quinque partibus musti austeri & una mellis fit, cum aliquo salis ; mulsam verò ex duabus partibus vini austeri & antiqui cum una mellis sine sale : at tales potiones communiter non sunt in usu, etsi vinum muscatelinum aliquantulum melitis

naturam sequatur, sale secluso : loco tamen hujus compositionis vinum habetur *Hippocraticum* dictum, quod vino, cinnamomo & saccharo constat, loco mellis ; etsi aliqui jam melle, jam saccharo cum cinnamomo talem faciant compositionem, quod vinum utile judicatur pro ventriculi roboratione, præcipuè si ante cibum sumatur, post cibum verò inutile est, ut de Mulsâ diximus, cujus sequitur utilitates majori roboratione, vel calefactione.

Ut ex saccharo, vino & cinnamomo Hippocraticum componitur, loco vini in diversa valde proportione, ex aqua, saccharo, cinnamomo, & aliis aromatibus potio quædam componitur ex India deducta, jam apud nos communis facta, *Chocolatè* dicta, cujus speciale ingrediens est semen quoddam album ad modum amygdalæ, *Cacæo* dictum, quod, ut inquirunt naturales, frigidissimum est, at aliis aromatibus & speciebus taliter temperatur, ut compositum calidum resultet utile pro ventriculi roboratione, & ejus reparatione : Et licèt sub forma solida sumatur ut plurimum per modum tabellarum, communiter cum aqua dissolvitur, & per modum potùs accipitur, cujus ita communis est usus, ut manè & vespere à pluribus accipiatur magis voluptate, quam necessitate compulsis, ratione cujus sub diversis formis assumitur oblectationis gratiâ ; jam in spuma, siquidem cujusdam instrumenti ad hoc dispositi commotione totus liquor nive refrigeratus in spumam vertitur ; & inter potiones nil judico deliciosum magis : accipitur etiam ipse liquor sub propria forma jam nive refrigeratus, jam igne calefactus propter ingredientium diversam compositionem, quam continuò mutant accipientes juxta cujuslibet necessitatem, diversos habet effectus, tota tamen compositio ex se calida est : hujus aquæ quantitas tanta debet esse, ut in formam potabilem compositum dissolutum reddatur : urinam & menses ciet, ventriculum calefacit, & ventrem aliquando sistit, juxta diversam ventris dispositionem, necnon compositi præparationem, quam per tempus debere procedere ad ingredientium contemperationem nequit dubitari.

Inter potiones quibus Hippocrates morbo acuto laborantes alere studuit, non minoris considerationis est Oxymel. Quod quidem est compositio ex aqua, melle, & aceto facta, diversa proportione juxta diversas indicationes propter quas prohibetur, & sic diversa ab Autoribus adducitur. Plinius *lib. 24. cap. 17.* & Dioscor. *lib. 5. cap. 15.* specialiter, ut de vino mulso diximus, Oxymel sale conficiunt, quod ab Asclepiade & aliis reprobatum est, ut ipse Plinius refert *lib. 19. & 31. cap. 2.* præcipuè cum in febribus Oxymelite uterentur Antiqui, in quibus sal nocivum valdè est : Ideò Antonius Mulsâ talem compositionem ab Antiquis fieri non credit. Paulus verò aceti & mellis partem unam ponit cum duabus partibus aquæ *lib. 7. cap. 11.* quæ dicta usque ad spissitudinem coquit, spumâ sublata. Alij verò Oxymel solum ex aceto & melle conficiunt, ut fuit Plinius alius & Galenus, etsi Galenus cum aqua & sine aqua fieri doceat *4. de sanit. tuend. c. 6.* hoc ex una parte aceri, & duabus mellis decoctis ; illud, additis quatuor partibus aquæ, omnibus usque ad despumationem decoctis, quod oxymel simpliciter dicitur : compositum tamen cum hac aut illa medicamenta coquuntur in aqua, ex qua aqua Oxymel

componitur; utraque tamen compositio nostris temporibus solum ratione medicamenti est in usu, non tamen ratione alimenti.

Habet Oxymel eorum educere humores, incidere crassos, quod est intelligendum si ab aceto mel non superetur; nam in tali casu potius comprimere pectus valebit, & incrassare sputa ab ejus frigidityte; est enim utilius quod dilutum est magis. Ideo Galenus 4. *de sanit. tuend. cit.* non eadem proportione aquam esse permiscendam semper docet; sed juxta diversas naturas non solum subjecti, sed etiam ipsius aceti, ut de vino quod nobis ita familiare est, constat, quod diversa aquae quantitate diluitur pro ratione vini, aut subjecti natura; quod enim dilutum est, magis sputum evocat, sitim sedat, & partibus omnibus communicatur, ut inquit Hippocr. *tex. 30.* siquidem calorem melius compescit acetum, quod in debita proportione cum aqua est, & humectare intestina habet, urinam movere, & ventris flatus discutere, & crassum attenuare: Ideo lieni & jecori utile judicatur medicamentum à Galeno. Sic ait *comment. 30.* Quam verò occasione hoc facit ea, tum lieni, tum jecori maximam affert suavitatem, viscera suavè, jucundèque expurgans: Asserit tamen Hippocr. quod exiguum noctu aut manè sit oxymel exhibendum, aut post sorbitionem longo transacto tempore, ne ad incocti distributionem faciat, nihilominus posthabitis sorbitionibus non est exhibendum, id est vacuis omninò intestinis, & non alimentis, ne aceti mordacitas intestina exulceret, dolores & tormina faciat; quia deficientibus exercementis aut intestinis à carne, seu viscositate nudatis, aceti mordacitas irritat: ob quod acidum præcipue mulieribus nocivum judicatur ab Hippocr. *tex. 40.* quia earum intestina, & uterus præcipue, post partum, aut menstruas evacuationes extenuata sunt, & nihil habent quod acidi acrimoniam cohibeat, ideò specialiter *tex. 36.* dicit in aliquibus morbis acutis non semper convenire, quia flatus cohibere habet, & vires frangere, id est in aliquibus morbis habet mordere intestina, ratione cujus ipsa comprimuntur, & flatus sursum recurunt vi compressionis in parte inferiori factæ, & sic patitur laborans, vires debilitantur, refrigerantur extrema, & flatus cohibentur, quod est principale incommodum oxymelitis exhibitionem sequens, juxta mentem Hippocr.

Cum neque ut potu, neque ut alimento Oxymelite utamur per morbos, alia potio communiter in usu existit, quæ ejus sequitur naturam majori suavitate & commoditate, vulgò *Limonada* appellata, ex aqua & saccharo & acido limonum composita, quâ æstate utimur omni voluptate & utilitate ad temporis extinguendum calorem; est enim limonum acidum frigidius & tenuius aceto, saccharum etiam temperatum magis quam mel, sic refrigerare magis habet talis potio, & minus penetrat quam verum oxymel ob acidi tenuitatem, propter cujus specialem naturam cordi opitulatur magis; etsi negari non possi non ita ad execrationem sputi facere dum nive refrigerata potio sumitur.

Hujus potionis ingredientium quantitas ostenditur ab Hippocr. *tex. 39.* & à Galen. 4. *de sanitate tuenda*, dicentibus taliter debere proportionari ingredientia, ut gustui suavis & grata potio reddatur; ita ut neque acidus neque dulcis sapor specialiter excedat, sed proportione existant gra-

ta & voluptuosa. Sic ait Hippocrates: *Paulum aceti infunde, tantum scilicet ut gustus dumtaxat sensum moveat, sic enim citra noxam debita auxilia præstabit;* agebat de Oxymelite, ad cujus similitudinem Limonata constituitur; ergo talis debet esse proportio ut gustui appareat grata, quæ cum non possit esse certa & determinata, ob subjectorum diversitatem; siquidem quodlibet suum diversum gustum & appetitum obtinet; ideò Hippocrates inquit tantum esse aceti infundendum, ut sensum moveat. Galenus tamen ut cuiuslibet potio grata resultet, sic ait *lib. 4. cit. cap. 6.* *Satius ergo sit ex sumentis gustu non nostro iudicium de modo facere, ideò sumentis natura convenientissimum Oxymel ratos, quod utique est jucundissimum.* Dixerat antea, *neque enim eos probo qui sub una mensura id consueverunt:* ergo talis debet esse proportio ut gustui grata existat, nec alicujus ingredientis eluceat magis natura: ideò hæc etiam scripserat in ipso capite; *ergo qui bibet, si nec de acore ejus queritur, nec de dulcedine, assidue eo utatur:* debent ergo ingredientia pro gustu proportionari.

Unum tamen speciale in limonata reperitur, scilicet quod ejus decoctio non requiratur, ut requiritur in Mulsa & Oxymelite ad mellis despumationem: siquidem hoc saccharum non eget; nullus tamen ex Antiquis Oxymeli, cujus loco est limonata, vino composuit, sed aquam semper, ut constet limonatum ex propria natura ex aqua fieri, etsi à pluribus ex vino hodie construat, est tamen præter ejus naturam; siquidem vinosus sapor cum acido pravè cohæret: at homines aliqui ita sunt vino dediti, ut solum ipso bene se habeant, quod ita certum cognovi, ut plures viderim saccharo rosato, quod spongiosum vocatur, æstate vino nigro madefacto refrigerationis gratiã usos fuisse, quod solum inclinatio specialis tolerare potest.

Quæret aliquis, cur tot compositiones ex melle Hippocrates & Galenus construxerunt, jam aquam, jam vino, jam aceto, nullas verò saccharo; cum dubitari non possit, gratiores & utiliores pro morbis hodiè resultare, quæ ex saccharo conficiuntur. Judicaverunt aliqui fieri, quia pro aliquibus affectibus utilius est ex melle dictas portiones construere; siquidem ad plura facit mel, ad quæ saccharum non sufficit; cum calidius sit, & tenuiores partes mel obtineat, & sic validius urinam moveat, & coctionem adjuvet. At hæc solutio nulla est, quia hoc faceret, ut aliæ fierent compositiones saccharo, aliæ verò melle, juxta affectuum necessitatem, ut nunc sit, & præcipue cum de victu morborum auctororum agerent Hippocrates & Galenus, dum tales compositiones adducunt, in quibus major sacchari necessitas erat, & mel nocivum magis.

Ambrosius Calepinus de saccharo agens vix cognitu fuisse tempore Galeni saccharum docet: at cum constet de ipso scripsisse Dioscoridem *libro 2. cap. 24.* & Plinium *lib. 12. cap. 8.* ita ut asserat saccharo ut medicamento tantum uti, constat cognovisse Galen. præcipue cum saccharum tanquam remedium adducat 8. *meth. cap. 4.* & *lib. de renum affect.* & adhuc rosaceum saccharum commendat 3. *de remed. parat. facil. cap. 16.* & quod magis 7. *de simplic. medic. facult. cap. de Melle,* de saccharo agit ex professo, & de loco in quo generatur: non ergo ob ignorantiam sacchari, mellis compositiones construxit.

Respondetur tamen Hippocratem & Galenum compositiones dictas cum melle facere, quia saccharum mellis speciem appellat, eandem habentem facultates, eo excepto, quod saccharum stomacho utilius est, & minus calidum, & consequenter siticulosum minus, ut videre est 7. *de simplic. medic. facult. cit.* & sic nomine mellis utrumque intelligi. Ad quod accedit quod cum pro tunc sacchari non reperiretur abundantia, quæ nunc est, nil mirum, quod in compositionibus communibus saccharo non uterentur; portabatur namque ex Arabia & India tantum, & sic in parva habebatur quantitate; siquidem solum cognoscebatur tunc, quod per resudationem arundinum concresebat, adharens, quod in parva quantitate erat, ut docet Plinius *cap. 8. citat.* sic ait. *Saccharum Arabia fert, & laudatius India, & etiam mel arundinibus collectum gummi modo conditum, dentibus fragile, amplissimum, nucis avellana magnitudine, ad Medicina tantum usum.* Quod idem Dioscorides scripsit *cap. cit.* Et quamvis Galenus multò post ipsos esset, non modus extrahendi saccharum ex ipsis arundinum intimis erat cognitus, & sic eadem limitatione habebatur: quod constat, cum ferè eadem verba repetat, sic ait, *lib. 7. citat. Saccharum vocant quod ex India & felici Arabia subvehitur, in calamis, ut aiunt, concrecit, & ipsum mellis est species.* Quid mirum ergo quod nomine mellis saccharum possit intelligi, & quod propter ejus penuriam melle compositiones conderentur.

Hippocraticum vinum sic conficitur, ut scripsit Vega *lib. 2. de Arte medendi.* ℞ Cinnam. ℥ 1. zingib. ʒ. 1. caryophyllor. ʒ. ʒ. mosc. ʒ. ʒ. Ponantur in linteo, & per ipsum percolentur vinum album & nigrum, in quibus conjctum sit saccharum quantitate unius uncie, & sit vini quantitas cujuslibet ʒ. vj. & permaneant reliqua in ipso vino ad infusionem per horas duodecim, aut usque gustui gratus, & odoratus sit potus. Et per eandem species potest iterum nova quantitas vini percolari cum saccharo etiam, quia saccharum in vino fuit dissolutum, non species, & sic ad alteram valent compositionem construendam, aut pro majori vini quantitate sufficienti.

Eo modo ac vinum Hippocraticum conficitur, etiam mulsâ conficitur similibus speciebus, moco excepto, in linteo positus in majori quantitate, propter majorem liquoris quantitatem, in aqua & melle ad infusionem positus per duodecim horas, aquâ in quantitate octo, cum una mellis, ut voluit Antonius Musa 3. *de viâ. ratione, comment. 11.* Ego tamen parvam judico mellis quantitatem: probabilius existimo, ut dictum supra est, codicem esse depravatum, mellique esse utendum in octava parte aquæ. Iubet tamen Galenus aquam melle prius esse coquendam usque ad despumationem, quod pro parva quantitate faciendum possibile est. Cum verò in Officinis ad communem usum magna quantitas Mulsæ conficiatur, non poterit igne commode fieri: faciunt tamen ministri compositionem quandam, quâ in dolio posita aqua & mel, fervent usque ad despumationem, ut massâ cum fermento, cujus semper aliquid servant pro nova mulsâ conficienda, ex uno dolio ad alterum, quod tanquam fæx mulsæ, seu ejus fermentum. Talis est compositio ex eisdem speciebus: sumunt quidem sufficientem pro toto aquæ dolio, & cum ipsis ponitur mel in eadem speciebus proportio-

ne, & simul minor aquæ quantitas quàm erat mellis; & cum libra una fermenti relinquitur in fundo dolij, ubi tota illa compositio fervetur, donec corrumpatur, & vicem fermenti habet, ut tota aquæ quantitas quæ postea injicitur cum melle, positus alijs speciebus in linteo, ferveat usque ad despumationem, & mulsâ resultat: fervore tamen demitigato, ex illo quod in fundo est, consumptâ mulsâ, iterum novam conficiunt, dummodò id quod in fundo est sine mulsâ corruptum fuerit iterum; ita ut hoc fundo deficiente, nisi novum construat, non poterit fieri mulsâ.

Advertendum tamen est, pro his omnibus compositionibus, quod non omnes utuntur eisdem speciebus & ingredientibus: alij plures addunt, & aliquas tollunt: alij tempore necessitatis alijs pro alijs utuntur; communiter tamen ex rebus dictis, dictas compositiones faciunt, etsi ex superiori ordine piper & glans muscata sit ponenda, ad cujus similitudinem plures alumine utuntur, non sine incommodo magno. Circa Limonaram notate, quod acido limonum deficiente, ipsa construitur duabus guttis oleo vitrioli cum saccharo & aqua in proportione dicta, quibus compositio resultat eodem sapore, & pro eisdem utilitatibus, tantum colore in viride mutato. Et quamvis oleum vitrioli mordax medicamentum sit, sine incommodo refrigerationis gratiâ, adhuc in morbis acutis ipso utuntur in portionibus extranei; aut quia valde ad distributionem liquoris frigidi conducit, aut quia ipsum ex se frigidum judicatur.

+

QUÆSTIO X.

De Prissana.

ITA communis est Prissanæ usus apud Hippocratem *de vict. rat. in morbis acutis* scribentem, ut ferè nulla inveniatur occasio, in qua de Prissana non agat, aut ipsam pro alimento non commendat: quod etiam per *libros de morbis epid.* manifestum facit. Ipsum sequitur Galenus non solum in *comment.* verum in libro quodam *de Prissana* scripto, in quo ex professo, & quid sit & quomodo fiat, & propter quid docet: Est enim Prissana, ut in proprio loco scripsit Galenus *cap. 1.* compositio ex hordeo & aqua decoctis, à pinssendo dicta; quatenus damente Antiquorum, ut constat de *aliment. facult. cap. 9.* Pinssendo hordeum conteritur, & à corticibus nudatum, quod postea aquâ decoquitur, donec chyli formam acquirat: quâ ratione verbum hoc *Prissana*, omni rei quæ pinssendo fit, convenit, & propriè dicitur à *pinssendo*, & ab Antiquis hac ratione etiam hoc nomen non solum dictæ compositioni, sed cuilibet quæ eodem modo fiebat, adaptabant, ita ut pultis genus significaret, ex quacunque re pinssione facta: Idem Dioscorides *cap. 18. lib. 2.* de prissana ex hordeo aut tritico facta egit. Plinius *lib. 28. cap. 11.* Italos ex Oriza prissanam conficere scripsit, quem sequitur Horatius, Philosophus 1. *problem. quæst. 37.* prissanam ex tritico cum alica ex hordeo facta comparat: Ergo significat prissana quamcunque compositionem pinssione factam: at ut in usu est, & recipitur à Galeno *cap. 9. de aliment. facult.*

facult. cit. & lib. proprio de Prissana, pro compositione ex hordeo & aqua facta modo dicto, absolute intelligitur, & per antonomasiam prissana dictam compositionem significat, ita ut cum ad alterius rei compositionem ostendendam tali verbo utimur, non prissanâ absolute sed prissanâ cum addito hujus aut alterius utamur, ut prissana triticea, aut Orizæ, ut *ex dictis locis* constat.

Etsi dictam compositionem Prissana significet juxta doctrinam Galeni *libro proprio*, nihilominus ipse *1. de alimentor. facult. cap. 9. & 3. acut. cap. 18.* prissanam appellat hordeum ipsum à cortice nudum modo dicto, antequam aquâ permixtum coquatur; & adhuc hordeum ipsum quod mundari debet prissanam appellat: nam adducens modum conficiendi compositionem dictam, sic ait, *cap. 9. Crudam prissanam aliquandiu in aqua premaceratam, deinde in mortarium injectam manibus terere convenit, asperam quampiam rem in se habentibus, usque eò tamen conterendam, dum prepositus, ac qui in superficie est, cortex sit abjectus.* Quibus verbis hordeum ipsum adhuc ante excorticationem prissanam appellat: & *in comm. 18.* sic ait. *Crudam prissanam conterunt puerorum mangones, facitque ad vitiosos cutis colores.* Constat ergo de mente Galeni, hordeum ipsum prissanam appellari: Propter quod Vallesius & Musa *in comment.* hac distinctione loquuntur, quod prissana cum hoc additamento, cruda, ipsum hordeum excorticatum significet antequam coquatur, juxta Galenum, & *in hoc loco*, & *1. de aliment. facult. cap. 9.* Prissana verò cocta, idem est de Prissana non colata, seu prissana hordeacea, seu prissana absolute, quæ nomina ipsum hordeum usque ad excorticationem significant aquæ decoctum, ut constat ex Galeno *1. acut. comment. 26.* quod verò talis decoctio linteo percolata, cremor absolute, seu cremor prissanæ, aut succus prissanæ appelletur, ut constat ex Hippocrate *1. acut. text. 13.* Aqua verò hordei, seu ejus decoctum simpliciter dicitur aqua in qua decoquitur hordeum, usque ad ejus tumefactionem tantum, de qua Hippocrates *4. acut. text. 7.*

Quomodo vera prissana construatur docuit ex professo Galen. *lib. de prissana*, & *1. de aliment. facult. cap. 9.* ubi docet hordeum à corticibus mundari debere, hordeo prius humectato, ut contusione, aut fricatione cortex auferatur, & cuticula alia secunda, si possibile fuerit, ne forsitan abstergens conficiatur: Prissana hæc cruda, prissana dicitur, & far appellatur communiter, ex qua cum aqua in sufficienti quantitate, ut cum magno igne ad tumefactionem hordeum trahatur, & postea igne lento ad ehyli seu cremoris formam prissana cocta, seu tota prissana conficitur. Sic ait Galenus *cap. 9. de aliment. facult.* Prissana tamen humectat, cum ut decet, fuerit parata, hoc est, cum in coctione quamplurimum intumuerit, postea igne lento per multum otium ad chylum fuerit redacta. Idem reperit *lib. de Prissana, cap. 4.* Ex quo quod coletur per linteum cremor est, ut constat falli quod grana ipsa post coctionem dicunt remanere, qui scripserunt; cum Galenus in unum corpus reddi totam prissanam dicat: & Hippocrates idem docet dicens prissanæ viscositatem levem esse & continuam, in compositionem alterius quæ ex zea fit, quæ inæqualis; esset enim inæqualis & aspera vera prissana, si grana distincta manerent: Et sic Trallianus *ac. 6. 22.* dum inquit prissanam velci à melancholi-

cis cum granulis suis, non significat grana distincta manere, sed totam prissanam esse præbendam.

Ad rectam prissanæ compositionem construendam, non minus oportet aquæ determinare quantitatem, cum inde debeat debita forma in compositione resultare. Circa quod Paulus *lib. 1. cap. 78.* uni parti orizæ, cum quindecim partibus componi aquæ. Oribasius *lib. 3. de conficiendis cibis*, uni parti prissanæ, decem aquæ esse ponendas dicit. Quod etiam fecit Constantinus: at Musa tantum abest ab hoc ut 35. partes aquæ uni hordei convenire dicat, ut debita resultet coctio, juxta Galeni doctrinam hoc experientia duxisset. Et licet communiter minori quantitate coquatur, certum est nunquam nostris temporibus ministrari prissanam juxta modum à Galeno datum, & sic experientiæ dictæ est credendum.

Modus tamen conficiendi prissanam talis est. Hordeum rectè mundatur, & à corticibus nudatur, & usque ad tumefactionem decoquitur, & postea in mortario teritur, & ejusdem decoctio, seu simplicissima aqua per linteum percolatur & exprimitur, ita ut multum substantiæ illius extrahatur, ut cum saccharo grata fiat potio juxta præsentem consuetudinem. At Antonius Musa ipsum hordeum usque ad tumefactionem decoctum pistare consulit, & per cribrum setaceum ejus tenuè extrahitur, quod cum saccharo loco totius prissanæ ministratur, & utilius judicatur, quam talem compositionem ex farina hordei in aqua decocta conficere, tantum abest ab hoc, ut potius ipsa grana integra conficere scribat: siquidem ipsa rectè coquantur, & cum summè intumescunt, omne flatulentum deponunt, utiliorque resultat compositio. Farina verò & grana contusa, seu contracta, non ita tument ad extrâ, & sic nec flatulentum deponunt. Quod patet: nam Hippocrates *1. acut. text. 18.* reddens rationem cur alvum non intumescat prissana, inquit: *Nam elixando intumuit quantum maxime intumescere potuit*, quod non habent grana contracta inquit Avenzoar *lib. 1. tract. 16. cap. 6.* contracta grana, ut non habent seminare, sic nec intumescere. Quod idem refert Averr. *5. collect. cap. 31.* præterquam quod cum farinæ atomi quoad minima ferè jungantur, ex tota fit unum corpus, & sic difficilius coquitur, quam grana omnia, quæ non possunt ita conjungi donec cocta sint, ut inde flatulenta magis resultet prissana ex farina, quam ex integris granis. Quam decoctionem docuit etiam Galenus *lib. de Prissana, cap. 4.* ubi reprehendit eos qui hordeum contebant.

Etsi prissanâ non utamur alimenti loco, ut tempore Hippocratis utebatur, propter quod de ipsa ex professo agit *1. de vict. rat.* utimur tamen ipsâ medicamento loco, attemperationis & humectationis gratiâ, jam quatenus substantiam talem præstat, jam quatenus talem alterationem valet efficere, cum quo non est negandum alitionem in tali casu habere; negandum tamen ob rationem alimenti exhiberi præcisè; etsi aliquando ob rationem talis alimenti exhibeatur, id est ut substantiam frigidam & humidam præstat consistentem, & facile comparabilem, quod est, ut alimentum medicamentosum. Quâ ratione prissanâ, aut ejus cremore utitur Galenus *10. meth. cap. 11.* & Practici omnes, dum corpus valde extenuatur, ad ejus refectionem totâ prissanâ utuntur, farre scilicet: At dum sitis non adest necessitas, potius humectandi & refrigerandi gratiâ

tribuitur, & sic ejus cremore aut aquâ in tali casu est utendum, hac aut illo, prout magis aut minus humectatione eget corpus: siquidem substantificè magis humectat cremor, qualitativè aqua; sic igitur magis sedat hæc quàm ille, non tamen corpus extenuatum requirit, nec ventrem laxum.

Habetis cur specialiter ptissanâ Antiqui utebantur, eaque refert Hippocrates 1. *acut. tex. 18*: sic ait. *Viscositas ejus lenis & continua; jucunda; lubrica, & mediocriter humens, sitim minimè infert, & si quid abluvi eget, probè alluit; non adstringit, non tumultum facit, nec ventrem tumefacit.* Et *tex. 30.* sic. *Cum enim studiosè coquitur perquam lubrica evadit, sitim nequaquam excitat; atque ut facilè coquitur, sitim imbecillissima est, quibus nimirum omnibus indigemus ad bene medendum.* Per quæ verba omnes utilitates Ptissanæ enumerat: nam, ut inquit Galenus *in comment.* viscositas ejus necessaria est ut alat, est tamen lenis; id est omni acrimoniâ & mordacitate carens: continua, id est æqualiter secundum omnes partes similis, ut æqualiter secundum omnes transmutetur: jucunda, id est gustui grata, præcipuè si sicut decet, paratur. Quod significavit Hippocr. dicens, *si studiosè coquitur*, quod est donec ad formam chyli, seu cremoris reducat, ut ex Galeno docuimus. Quo facto gratiorem gustui judico dictam compositionem saccharo confici quàm anetho, porro, sale, & aceto, ut voluit Galenus 11. *meth. cap. 11.* & 1. *de alimentor. facult. cap. 9.* præcipuè pro ægrotantibus, in quibus tot sunt quæ dicta impediunt, calida cum sint; etsi ea non in quantitate quæ noceat, sed ut condimenta esse applicanda docet Galenus 8. *meth. cap. 2.* sic. *Quare commodissimus est Ptissana cremor* (agebat de picrocholis) *ad unguem coctus, in quo nullum sit superfluum condimentum, ut pote qui est refrigerare & humectare, & sine siti hominem servare potest, tum, quod nec halituosum, nec humidum, nec siccu detinet excrementum.* Quibus verbis non solum docet ea quæ in ptissana ponuntur, ut condimenta poni, verùm & ejus utilitates enumerat; sic nos gratiorem saccharo fieri dicimus: at cum non ita communiter haberetur tempore Galeni, ut scripsimus, idèd alijs conficiebatur condimentis.

Ita jucunda est Ptissana, ut pane præferatur, ut docuit *in comment.* Galenus, quia licèt hic magis nutriat, non ita facilè ab ægrotantibus accipitur, nec ita facilè coquitur ut ptissana quæ alimentum leve præstat. Cujus rationem reddens Galenus inquit, quia panis mandi debet, minimè verò ptissana; siquidem sorbitio est, & sic ab ægrotantibus jucundè & facilè accipitur, facilèq; coquitur, & quia tenuiori alimento egent, proportionatum magis alimentum præstat ptissana, quod docuerat Hippocrates *text. 30. citato.*

Inquit præterea Hippocrates ptissanam lubricam esse, id est non habere viscositatem adhærentem, sed detergentem; idèd nec obstruit, nec incrassat, sed potius evaporationes movet, & consequenter humescens mediocriter ab Hippocrate dicitur, quod non est valde humectare, ut stomachum subvertat; propter quod alij sic vertunt, *mediocriter laxare*, nam quæ humida sunt, laxare habent: ad quod sequitur sitim mitigare, & abluere, non adstringere, nec ventrem turbare; siquidem perfectæ coctione omne flatulentum quod poterat elevari, & ventrem turbare, extractum est propter ipsam coctionem; idèd inquit

non in tumescere, quia quantum potuit intumuit; id est, quia taliter coctio facta fuit, ut omne flatulentum possibile elevaretur; ratione cujus intumuit quantum potuit, & sic nec tumescere magis potest; quod est quia ex propria natura non ita flatulentum est hordeum ac faba, quæ quomolibet coquatur, semper flatulenta relinquitur, ut inquit *in commentar.* Galenus, & repetit libro de Ptissana, *cap. 5.* sic, *Quando ptissana, aut ejus cremoris opus est, ministrare convenit;* quod intelligendum est juxta doctrinam datam tempore & horâ convenienti, sive loco alimenti, aut medicamenti exhibeatur, etsi nostris temporibus ptissanâ, aut ejus cremore & aquâ utamur ferè semper, non verò loco alimenti, ut docuit Vallesius, quia carnibus magis assueti sunt ratione similibus debet fieri nutritio. Propter quod Hippocrates non dixit absolute ptissanam esse præferendam, sed sic ait, *Ptissana ceteris que ex frigidioribus constant pulverariis rectissime antefertur in his morbis.* Quod idèd dixit, quia cum tunc non ita carnivori essent homines, frugibus alebantur; & sic inter talia alimenta fuit comparatio; quod non tollit carniùm & earum substantiarum excellentiam; jata pro virium reparatione, jam pro consuetudine servanda, etsi in ipsis medicamentosa ratio non prævaleat.

Advertendum tamen omnia dicta quæ in potu sumuntur, aut in sorbitione, aquâ exceptâ, tanquam alimenta adduci ab Hippocrate, & idèd de ipsis agere; dum de victu morborum acutorum scripsit; & ut quolibet utamur, cujuslibet commoda & incommoda adducit. Quod patet: siquidem 1. *acut. text. 20.* quoties ptissana, & quando exhibenda sit nos docet, & consuetudinem cibi servandam esse ait, sic. *Quæ bis die cibum ex consuetudine sumunt, bis quoque Ptissana exhibenda est.* Et *textu 22:* ut occasionem cibandi significet, cum ptissana, dum morbus est in statu cruditatis, alijs alimentis esse utendum docet: sic ait: *Nam si quam aridum esse conjeceris morbum, non ita multum ipsius dare oportet; agebat de ptissana; sed ante sorbitionem; aut aquam; mulsam; aut vinum, prout alterum magis videbitur consentaneum; propinare.* Quibus verbis cum alere intendat; docet ptissanam convenire, dum jam morbus humectatur, id est quando jam excrementa ejiciuntur, quia coctio est, ptissana convenit, juxta illud Hippocratis, *Dum humidum fuerit os; augenda est sorbitionis quantitas;* quando verò cruditatis ratione morbus siccus est, id est nil ejicitur, aquam mulsam aut vinum exhiberi convenit, quominus nutriunt, juxta illud, *si quam aridissimum morbum conjeceris; parum ipsius dare oportet;* propter quod vinum aut aquam mulsam præbet; prout major aut minor expectatur utilitas, quam ratione reparationis esse sumendam scripsit Musa: Et deduci potest ex Galeno *in comment.* in quo reddens rationem cur eam præbeat, & non aquam, sic ait, *Hæc quam aqua magis humectat: quasi diceret - quod hæc substantificè humectet, quod non habet aqua; nam aliter non humectaret magis.*

Cum hac doctrina intelligitur Galenus lib. de ptissana, *cap. 6.* ubi sic ait. *Nec enim illis est administranda qui cum periculo laborant, aut sanguinis missione; aut expurgatione egent, aut chyliter; minus his qui ventriculum habent excrementis refertum; aut magno dolore vexantur; & nec sicissimis morbis convenit illam exhibere.* Et ratio est; quia cum alimenti ratione exhibeatur, juxta illud

1. aph. text. 7. *Vbi morbus extremos habet labores, tenuissimo victu utendum est.* Propter quod etiam. *ac. text. 4. 2.* sic ait Hipp. *In festati itaque dolore, potui dandum est Oxymel, ubi verò sitis cruciat, aquam mulsam, aut aquam.* Quasi diceret, quia laborat corpus, ptissana ob ejus crassitiem non convenit, sed aqua Mulsâ, Oxymel, aut aqua, quæ extreme victum tenuem constituunt. Ob quod etiam in morbis siccis ptissanam negat; per quod non sunt intelligendi morbi ex temperie sicca, sed qui nondum evacuationes materiæ coctæ habent. Sic ait Galenus *com. 2. 2.* *Et sanè superfluitatum nil excernere siccorum morborum omnium notam esse non ignoras.* Et *lib. de Ptissana* idem repetit sic. *Sicci autem morbi sunt pleuritis, & peripneumonia, cum nulla ab eis spua proveniunt.* Et cum in tali casu accidentia infestent magis juxta *textum 28.* in quo sic ait Hippocrates. *Cum ità pleuriticis aliquid notatu dignum excreare, & expurgare ceperint, dolores ipsorum illicò sua sponte desinunt,* ideo ptissanam non esse præbendam docet, sed quòd tenuiorem victum constituat.

Inquit præterea Galenus ptissanam non esse exhibendam, *dum corpus expurgatione, aut sanguinis missione, aut clystere eget,* per quod non est intelligendum absolute, dum talis indigentia est: siquidem ut ipse Galenus docet *cap. 5.* utilis est in febribus, non solum quia frigida & humida, sed quia expurgans, sic ait: *Merito acutis febribus convenire existimamus, non tantum quod illis morbis adversatur, verum etiam quia facillime sit concoctionis, & putrefactos humores ob deterforiam qualitatem expurgat: eos verò concoquet qui jam semiputres evaserunt.* Quibus verbis constat ptissanam non prohiberi quando expurgationis est necessitas absolute, sed quando medicamentum expurgans immediate est expurgandum, aut clyster,

aut phlebotomia est facienda, quatenus alimentum talia remedia esse facienda prohibet. Quod Hippocrates *text. 19. acut.* docuit, sic ait. *Ceterum qui in hujusmodi morbis ptissanâ utuntur, ne unius dieculæ abstinentia est imperanda, sed sine intermissione utendum, nisi quid medicamenti purgantis, aut clysteris causâ intermittendum sit.* Quibus verbis & ptissanam alimentum esse docet, & ut tale non esse exhibendam, dum medicamento, aut clystere utendum est, quia ipsa alimentum impedit.

Ex dictis deducitur, quòd si vino, Mulsâ, aut Oxymelite, Ptissanâ, aut ejus cremore utitur Galenus, alimenta quibus sufficienter alcant ægrotañtem, Galeni & Hippocratis tempore, ipsis non possunt uti extra prandia consueta jejunantes, nisi ratione medicinali sumantur, aut in parva quantitate; aliàs quis dubitabit tales alimentum usos fuisse, & tantò minùs eis poterunt uti, quantò magis alere valeant; & sic necessum est, Mulsâ aut limonatâ, aut vino, communiter loco potùs uti, quia parùm nutriencia sunt, vel non judico securè illa potione uti posse quæ *chocolate* dicitur, præcipuè manè, quia ità validè alit, ut eam accipientes, sine cibo plurimas horas vivant; nec talem potionem per modum potùs sumi, judico satisfacere, nam hoc non tollit alimentum esse, ut tales diceretur jus ex avibus per expressionem extractum, quod nullus ut potum acciperet, sed ut alimentum, & sic ipso accepto jejunare judicaret; nam talis potio tanquam potus ministratur, cum non ob potùs usum, sed ob alios *Chocolate* exhibeatur: nec hoc obtaret, dum verè nutrire habeat, ut valet ptissanæ cremor, & sic nec ipsis securè possumus uti, dum jejunio studemus, contrarium nisi fuerit in consuetudine.





TRACTATUS DE BALNEORVM NATURA ET USU.

SECTIO I.

De Balneo Sanorum.

QVÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit Balneum.

UM victus ratio, etiam si specialiter modum cibandi significet, usum, seu modum utendi omnibus rebus nonnaturalibus continet, ut docuit Vallesius 1. *meth. cap. 12.* juxta doctrinam Galeni 3. *Epid. part. 3. comment. 1.* Et licet balneum nequeat in rigore rem nonnaturalem constituere, est tamen quid quo ferè omnes utuntur tam salutis consequutione & conservatione, quam commoditatis gratiâ: idèd Hippocrates 3. *de diata sanorum*, instituens victum in calida & sicca passione sic ait. *Balneis utatur, & somnis mollibus, & prandio*, & consequenter de victus ratione sermonem instituens *lib. 3. tex. 46.* de Balneis agit ex professo: siquidem ex recta ipsorum administratione plura sequuntur comoda: sunt tamen Balnea ex his quæ extrinsecus occurrunt. Quâ acceptione Mercatus *lib. 6. de recto presidior. usu, cap. 1.* Balnea appellat & dividit ratione rerum quæ possunt offerri, dicens, aliud esse ex liquore, aliud ex vapore, aliud ex solida substantia, & sic sub primo men. bro omnia quæ à quolibet liquore fiunt comprehendit; sub secundo primam partem Balnei juxta Antiquorum institutionem traditam à Galeno 11. *meth.* & tandem sub tertio submersionem corporis intra arenam, salem, triticum, & vinaceum: quæ omnia si fines Balnei respiciamus, ejus rigorosam rationem non habent; siquidem mundificare, Balnei proprium est, ut ex Galeno dicemus, quod à ratione aliarum præter aquam, aut quæ modum substantiæ similem obtinent, alienum existit, & sic Balneum occurfus aquæ, seu aquosi liquoris ad partes externas occurfans, aut ejusdem liquoris profluxio. Ideo Gal. 10. *meth. c. 10* referens cur frigidum Balneum hæcticos lædat, sic scripsit. *Nullum munimen habent quod frigida occursum sine noxa excipiat.* Et cum Balnea communiter ex aqua fiant, sive sponte nascente, sive ab arte disposita, Balneum definiendum, occurfus aquæ partibus externis.

Circa verò Balneorum differentias plura sunt dicenda: nam alia differunt ex parte subjecti quod lavatur; alia ex parte materiæ seu liquoris quo fit Balneum, alia ratione qualitatis ipsius

liquoris, sive actualis, sive potestate; & tandem alia ratione modi administrationis. Quarum divisionum duæ priores non ita principales sunt ad præsens institutum, etsi ad methodum medendi simpliciter faciant; posteriores verò magis ad id quod intendimus enodare conducunt. Dicemus tamen de omnibus.

Balneum igitur ratione subjecti quod lavatur differt quatenus universale, aut particulare est; id est quatenus totum corpus lavatur, aut pars aliqua determinata. Quam divisionem dedit Hippocrates 3. *acut. text. 6.* per hæc verba. *Sin verò parcius quam decet profluxit, lavare convenit, sive corpus universum in reliquis, sive caput dumtaxat utilitatem sentiat.* Galenus in *commentar.* sic ait. *Clarius autem significavit quoniam pacto sapius in domo calefacta agrum absque labro collocent, & caput dumtaxat citra reliquas corporis partes calidâ profundant aquâ.* Docet ergo aliud esse balneum universale, aliud verò particulare: quâ ratione communiter Practici pro affectuum diversitate, hanc aut illam partem lavare solent; caput jam pro somno, jam pro vigilia excitanda, pedes pro revulsione, seu retractione facienda; totum corpus jam pro hæcticis, jam pro febricitantibus aliter, ut constat in Gal. 9. & 10. *meth.* & 4. *acut. comment. 42.* cujus naturæ est communis manuum, faciei & pedum lotio, quæ mundificationis gratiâ quotidie ferè ab omnibus exercetur.

Ex parte materiæ, seu liquoris quo fit balneatio, & balneum instituitur, differt quatenus diversus potest esse liquor ad dictum effectum, & hac ratione tot Balnea esse possunt, quot liquores ad hoc apti, talis est aqua, vinum, acetum, & alioquarum rerum succi, qui ferè naturam aquæ, saltem quoad modum substantiæ, repræsentant, ut fines Balnei consequantur: quod fiet notum si attendamus Balnea pro alteratione hac aut illâ qualitate, & pro resolutione, & pro constrictione, & pro abstersione & mundificatione fieri, ut ex professo dicemus *infra* ex Hippocr. & Galeno 3. *acut.* sed ad dictos usus possunt dicti liquores conducere; ergo & esse Balneorum materia: quâ ratione ex melle, butyro, oleo, aut rebus pinguibus balneum in rigore esse non potest, quia etsi pro alijs finibus faciant, pro abstersione, & mundificatione minimè, quæ est unus ex principalibus Balnei finibus, quo carent omnia illa quæ per modum unctionis applicantur: cum quo non nego medicamenti gratiâ balneum ex oleo & aquâ componi pluries, ut fecit Galenus 5. *de simplic. medic. facult. cap. 5.* ad cujus similitudinem embrocationes, seu fomentationes ex aquâ & oleo pro partium acceptionibus fiunt quotidie, quæ naturam Balnei particularis habent: at cum communiter Balnea ex aqua fiant, de ipsis erit nostra specialis disceptatio, quia pro omni-

bus finibus Balnei est eorum usus, reliquorum verò liquorum solùm medicaminis gratiâ.

Præcipua Balneorum differentia, ratione qualitatis desumitur; quod non est intelligendum quatenus ex diverso liquore fiunt; nam hoc modo non esset divisio alia, sed quatenus idem liquor diversa qualitate afficitur diversimodè, quia habet corpus alterare, sive quia ex propria natura tali diversitate, liquor producitur; sive quia per attem aliquando immutatur; talia sunt Balnea ex aqua, de quibus Gal. 1. *de simp. med. fac. c. 6.* in quo agens de aqua, potabilem frigidum, esse & humidum scripsit, alias verò id bituminosam, sulfureâ, marinam, nitrosam, & similes omnes calidas, sive spontè procedant, sive secus: hoc est sive tales nascantur, sive per artem fiant; æquè autem ac muria marinæque aqua sulfurosæ aquæ, bituminosæ & nitrosæ, chalcantum & misy & chalcitini, vel aliquod ex calidis medicamentis gustu referunt, *inimicæ sunt omnes calidis corporum affectibus. Ex quo claret has omnes facultatibus esse calidas, solam verò aquam potabilem frigidam.* Docet ergo aquas ipsas diversis præditas esse qualitibus, ratione aquarum Balnea differre, notum sit, quod ipse antè his docuerat verbis, *cap. 4. Nam si quis in potabili aqua totum diem innatet, ut etiam non admodum sit frigida, sed velut ex sole tepens, necessariò jam refrigerabitur. At mare ploures juvenum interdum innoxie pertulere, non per diem modo totam, sed etiam adjunctâ nocte.*

Constat ergo ex propria natura diversa concedi Balnea ratione liquoris ejusdem, ob diversas qualitates. Quo fundamento Vallesius *in comm.* sic ait. *Omnes aquas spontè natas, præter potabilem esse calidas indicat; nam nullam aliam spontè nascentè potabile esse præter eas quas Gal. calidas nuncupavit.*

Iuxta hanc divisionem, aut parantur Balnea ea arte diversa pro affectuum diversitate, aut sunt Balnea, ut antiquitus utebatur, juxta doctrinam Hippocratis 3. *acut. tex. 49.* dicentis diversas præparandas mixturas; in cujus *comment.* Gal. & 10. *meth. cap. 10.* Balnea institui docet aquâ calidâ primò dispositâ, deinde frigidâ, ut ab illa in hanc transfret laborans, aut saltem ut permixtâ aquâ post calidum Balneum ad temperiem requisitam trahatur. Sic ait, *in comment. Ob id qui rectè valent à calido balneo sese in frigidam projiciunt aquam; sed qui egrotant, contactum frigidæ non sustinent; quapropter frigidam calidæ mixtione frangimus.* Et 10. *meth.* hoc ipso fundamento tres domos, seu cellulas cum diversis temperiebus ad Balneum supponit, & consequenter 2. *de temp. cap. 2.* tres esse calores aquæ Balneis scripsit, aut quatenus frigida, calida & temperata possunt esse Balnea, aut quatenus taliter temperata debent disponi ad Balneum commune; quâ etiam diversitate adhuc præter naturam reperiuntur Balnea jam calida, jam frigida, jam sicca, jam humida, qualia sunt ea de quibus Galenus 1. *de simplic. medic. facult. cap. 6.* scripsit, frigida & humida quæ ex aqua potabili; calida & sicca, sulfurea, nitrosa, & similia, quæ quotidie reperiuntur diversis in locis, ut refert Plinius *lib. 3. cap. 2.*

Ratione modi utendi, seu administrandi, Balnea non minùs diversificantur; siquidem solùm ex eo quod recto modo administrantur, aut secus, utilia aut nociva Balnea ipsa requisita resultant, ut ipse Hippocrates 3. *acut. tex. 44.* docet; sic ait. *At nisi quis perbellè laetetur, non mediocrem incurret noxam.* quod repetit *text. 60.* post-

quam Balnei plura scripsit commoda. Differt ergo Balneum ratione administrationis, ita ut utile aut nocivum resultet quo Balneum calidum præcedere ad frigidum 10. *meth. c. 10.* in ipsisque parum detineri ægrotantes, aliàs corpus alterabitur nimis, & virtus utroque modo patietur. Hanc divisionem dedit Hippocrates 3. *acut. tex. 44.* Sic ait. *Opus est frequenti lavatione, sed non admodum largè affusa, nisi res ita postulerit.* Quibus verbis aliam esse mediocrem, aliam immediocrem concessit, quod est Balneum, quod quoad modum administrandi mediocrem, aut secus esse: Galenus *in comment.* hanc doctrinam recipiens, postquam fatetur Balneationem non debere esse immediocrem, aliquando ipsam convenire scripsit: Et *comment. 5.* super illa verba, *Celeres sint perfusiones,* inquit, non solùm celeres debere esse perfusiones, quia frequentes, sed quia in ipsa actione celeris debet esse aquæ perfusio. Sunt igitur Balnea quoad modum administrandi utilia, aut nociva, quia mediocra, aut immediocria, quia celeriter, aut lentè fiant, ordine requisito, aut sine ipso.

Explanabuntur hujus divisionis membra seu differentia magis, si attendamus ex una parte ordinem lavandi, & domos quas habebant dispositas Antiqui ad Balneum, de quibus fecit mentionem Galenus, tum *in comment. 3. acut.* tum 10. *meth. cap. 10.* tum ex professo, quatuor esse domos antiquitus ad balneum descripsit, & sic quatuor esse ejus partes. Prima domus erat aère calido plena, ut corpus nudum redderetur: secunda aquâ calidâ constabat, ut corpus ipsâ lavaretur, & humor aliquantulum dissolveretur: Tertia aquâ frigidâ, ut ipsa profusa, aut in ipsa corpore immerso refocillaretur calore à balneo recepto attemperato per frigus aquæ, ut ita corpus etiam fortius resultaret resolutione impedita: Et tandem quarta instituebatur domus aère temperato, ut si aliquid è corpore pellendum erat fuliginosum ipso jam roborato, sudore ejiciat, aut saltem ad debitam trahatur symmetriam vivens, & induatur. Sic ait, 10. *meth. Vtramque verò, facultatem habet Balneum, utpote ex partibus variâ facultate præditis compositum. Quippe ingredientiæ versantur in aère calido, posteaque in calidam descendunt, mox ab hac egressi, in frigidam, postremò sudor detergitur.* Quibus verbis & consequentibus non solùm quatuor partes balneum antiquitus habere ostendit, verùm etiam earum effectus & necessitatem. Ergo si talis perturbetur ordo, & utilitas balnei peribit magis aut minùs, prout major fuerit necessitas.

Hanc veritatem deducemus etiam, si effectus balnei respiciamus; habet enim calidum balneum modicè applicitum, calefacere, frigidum verò è contrâ; quodlibet ut expedit operabitur, si debito modo ipso utatur, aliter minimè, frustratur quidem effectus ob plura pluries, sic ait Hippocrates *lib. de affection. prope finem, Balneum quidem calidum moderatum, corpus emollit & auget, quod verò tempestivum modum excedit, siccas quidem corporis partes madefacit, humidias autem reficcat.* Et veluti reddens rationem 2. *de diata sanorum, post medium,* contrarios effectus evenire qui desiderantur à baneis ostendit. Sic ait. *Calida autem Balnea jejunum attenuant & frigefaciunt: per caliditatem enim humiditatem de corpore auferunt, evacuata autem de carne humiditate, corpus refrigeratur. A cibo accepto eadem calefaciunt ac angustiant.*

mentant, ea qua supereminet in corpore diffundentia in majorem molem. Balnea autem frigida vice versa. Vacuo quidem corpore praebeant caliditatem, &c. Constat ergo balneum etiam ratione modi administrationis ita differre, ut utile nocivum reddat, & aliud modicum alium excedens esse debet, juxta cujusque necessitatem. Quomodo balneum calidum siccas partes humectet, non est hujus loci intelligendum, tamen est liquatione facta, & humido ad partes externas exsiccatas attracto; idem lib. de affect. cit. scripsit. Et sicca quidem humectata, imbecillitatem & animi deliquium inducunt: quia liquatione inducta, hoc evenire necessum est. Et ob eandem rationem 2. de diat. sanor. cit. à cibo ingestio balneum humectare & calefacere scripsit.

Ex dictis duo sunt manifesta. Primum quod balnea communia ex aqua tanquam ex materia fiant, ita ut de ipsis intelligenda sit controversia quae de balneis agat, ubi per communia balnea non significamus ea communia quae reperiuntur respectu cujuslibet; sed omnia balnea de quibus agimus, sive universalia, sive particularia sunt, sive communiter habeantur ab arte, aut natura, sive privata, sive pro cujuslibet commoditate parata; siquidem omnia ex aqua fiunt, & hac ratione de ipsis egit Hippocrates 3. acut. & 2. de diata, & Galenus in comment. & per lib. 6. meth. & de sanit. tuenda, quotiescunque de ipsis scripsit, & Avic. fen 3. lib. 1. doctr. 2. cap. 5. & fen 2. cap. 19. & omnes qui eos sequuntur. Propterea etiam Antonius Musa & Vallesius & plures alij Hippocratem de balneis agere volunt.

Secundò quia cum de aqua egisset, & aqua pro balneis sit, de balneis agere debebant: Ideo Galenus de compos. medic. secund. loc. cap. 1. balneum absolute quod fit ex aqua dulci significare docet, non verò quod sit alijs aquis. Ceterum communis materia auxiliorum ad vocis organa, est qua ex balneis contingit. Manifestum est, quod dulcium aquarum dico. Marina enim balnea & sulfurea, & aluminosa, ac bituminosa propterea quod fortiter resiccant, inepta sunt. Quibus constat balneum communiter ex aqua fieri.

Alterum quod fit ex dictis manifestum est, balnea antiquitus parari sive ex arte, sive per naturam, aere prius calido existente interna domo, ut ibi corpus nudum aliquantulum permanens, cutis mollior redderetur, & sic attenuarentur quae sub ipsa erant. Deinde aqua calida existente in alia domo ut ibi corpus mundificaretur, seu lavaretur, & ut excrementa attenuata ad extra traherentur, & madefactione inducta in cute resolverentur. Tertio aqua frigida in alia erat domo, ut calor inductus attemperaretur, & corpus roboraretur magis, resolutione virtutis impedita, & consistentia quadam in partibus per condensationem inducta, quo corpus firmiter fiebat. Tandem quarto aere existente temperato, ut corporis debita temperies conservaretur, & sudor, si aliquis futurus erat, non impeditur. Totum quod docet expressè Galenus 10. meth. cap. 10. tanquam necessarium ad cujuslibet balneationem, hujus verba non repeto quia prolixè idem significant, & consequenter 3. de sanit. tuend. cap. 4. agens de balneo sanorum, primò lavari in aqua calida docet, deinde in frigida, aut saltem exercitio suppleri calorem & attenuationem in balneo calido faciendam, & inde in frigidam mittantur sani. Quo fundamento scripsit 10. meth.

Henriquez Laurea Medica Tom. III.

cap. 10. Multi juvenes confectis itineribus, ubi illico se in aquam frigidam projecerint, jurantur. Non ergo dubitandum est antiquitus modo debito balnea celebrari.

QUAESTIO II.

Utrum ordine & modo antiquo balnea sint instituenda.

VT dictum est, aquam absolute communium balneorum materiam esse ex Galeno, etiam per balneum absolute, quod ex aqua potabili fit significatur, ut ex ipsis verbis constat: Nam postquam dixit balnea esse materiam auxiliorum, sic ait lib. de compos. medic. secund. loc. citato, Manifestum est quod dulcium aquarum dico, ut inde constet, quod dum ordinem servandum in balneis quaerimus, de illis fit intelligendum quae ex aqua constant potabili; significat enim idem potabilis aqua, ac dulcis, aut aqua absolute dicta: nam cum balneum profluxio, seu aquae occurfus dicatur, & aqua absolute idem sit ac pura aqua omni alia mixtione carens, idem est balneum ac id quod ex aqua potabili ac dulci fit; ita ut alterius naturae balneum significandum, non balneum absolute sit dicendum, sed cum addito illius cuius est: Patet ex Galen. 1. de simplic. medic. facult. cap. 4. ubi postquam dixit refrigerari qui accepit balneum aquae potabilis, calefieri in mari, sic ait. Quod si non semper in sermone adjiciam, potabilem, sed dicam simpliciter, quantum ex se est, aquam esse frigidam, non calumniari oportebit. Nam quae exacte ac sincere aqua est, omni alterius substantiae vacat mixtione. Intelligit ergo per aquam absolute, aquam simplicem, & omni mixtione carentem, quam potabilem appellat: hanc verò esse dulcem. Et in ipso cap. 4. docet Galenus, sic ait. Ex quo liquet aquam potabilem & dulcem secundum naturam suam semper esse frigidam. Suprà dictum est quomodo potabilis dulcis dicatur aqua, & quasi dulcis ab Avic. fen 1. l. 1. tr. 2. c. 16.

Cum balnea etiam reperiuntur innumera ex aqua non potabili facta, sive per artem, sive sponte nascantur, qualia sunt ea de quibus meminit Galenus 1. de simplic. medic. facult. cap. 3. & 7. de compos. medic. secund. loco c. cap. 1. ipsis dicendum est uti prout affectus expostulat; siquidem ipsa medicamenti ratione ministrantur, & sic affectus ipsi ordinem determinant observandum; balnea verò ex aqua potabili etsi pluries medicamenti ratione ministrantur, non semper sic de ipsis est necessaria disceptatio specialis, dicemus tamen postea de alijs ex aqua non potabili quae talia dicuntur, non quia potabilis aqua non fuerit eorum materia, sed quia ex aqua potabili fiunt taliter per artem, aut per naturam disposita, ut potabilis aqua non sit, talia sunt marina, aut sulfurea balnea, quae aut sponte procedunt ratione mineralium per quae aqua potabilis communicatur mixtione aliquarum substantiarum ipsorum, quas secum rapit aqua, aut ratione mixtionis à nobis factae substantiarum similibus, aut talia fiunt, ut docuit idem Gal. 1. de simp. medic. fac. c. 4. cit. ubi sic ait. Si aqua per bituminosa, sulfurea, nitrosa, aut aluminosa loca distillans, substantiarum eorum aliquid absterferit, secumque traxerit, mixta jam ea est, non autem exacte aqua; velut si ipse quoque volueris aut salem, aut alumen,

aut aliud id genus affatim aqua miscere potabili, sicut sane saepe numero facere cogimur in marina inopia. Quibus verbis constat balnea ex aqua non potabili dici, quia jam non potabilis est facta, non quia talis esset ex propria natura: de alijs verò balneis quæ adhuc mixtione facta potabilis aqua relinquitur, ut de potabilibus est loquentium.

Nunc verò difficultas est an balnea communia, id est quæ ex potabili fiunt aqua, ordine antiquo sint administranda; ministrantur tamen in duplici statu, & per sanitatem, & per morbum: de utroque dicemus, si prius de statu sano sermonem fecerimus. Circa quod videtur talem ordinem supervacaneum esse: siquidem, balneum aut est calefaciendi, aut refrigerandi, aut humectandi gratiâ, aut ad resolutionem alicujus humoris, seu excrementi, aut præcisè ad deterfionem, seu sordium corporis mundificationem, ut ex doctrina Hippocratis deducitur; sed ad hos effectus inducendos non videtur necessarius ordo dictus; ergo non est exercendus. Patet: nam si calefacere intendimus, frigidum balneum erit; si refrigerare, calidum, & sic de alijs: ergo nec antiquus ordo est servandus.

Præterea quia corpora sana de quibus agimus, non indigent balneis propter attemperationem alicujus qualitatis excedentis, neque ad resolutionem alicujus humoris, seu excrementi excedentis, sed tantum ad mundificationem sordium. Sic ait Galenus 3. de sanit. tuen. cap. 4. Sed quod ad sanitatem spectat tuendam, juvenis in sermone propositus redeat jam, (agebat de temperato) huic igitur prædicti balnei perexiguus est usus, ut qui omnia jam ex mediocri exercitatione est consequutus. Et paucis interpositis, sic ait. Quare elui sibi in balneo sudorem & pulverem magis expostulat, quam calefieri. Quod etiam docuit Avicenn. fen 3. lib. 1. cap. 5. doctr. 2. Sed ad prædictum usum non est necessarius ordo dictus: ergo non est tenendus.

Tertio, & quod magis balnea communiter per sanitatem sumuntur mundificationis & attemperationis gratiâ, ut docuit Galenus 3. de sanit. tuend. cit. idè per ætatem ut plurimum homines eo utuntur, ad calorem temporis corrigendum ex Hippocr. lib. de salubri dieta, text. 10. sed ad hunc finem sufficit aquæ tepidæ & dulcis balneum; ergo nullatenus frigidum debet subsequi. Major est nota: Minor constat ex Galeno 1. de simplic. medic. facult. cap. 4. per hæc verba. Nam si quis in potabili aqua totum diem innatet, ut etiam non admodum sit frigida, sed velut ex sole tepens, necessario tamen refrigerabitur. Ergo sine usu balnei frigidi refrigerabitur qui balneo tepido utetur; & ex alia parte ad mundificationem, & ad resolutionem fuliginum & excrementorum calefacientium faciet magis: ergo antiquus ordo non est servandus.

Pro solutione quæstionis advertendum, quod licet his temporibus non detur communiter talis dispositio in balneis, ut ordo antiquus servari possit; siquidem neque domos paratas invenimus, nec ministros qui dispositionis habeant integram notitiam: aliud tamen est quod faciendum, aliud quod utilius; hoc quærimus, illud adhuc tempore Hippocratis non servabatur, ut ipse scripsit 3. acut. text. 46. per hæc verba. Rarò balneo ununtur homines, quòd ipsum præparare nesciunt; quippe in paucis admodum domibus vel instru-

menta, vel ministri apti inveniuntur. Ratione cujus sine tali dispositione communiter balnea exercantur, sive ab arte, sive à natura præparata, sive per sanitatem, sive per morbum, solum instrumento apto ad hoc constructo ut in ipso aqua ponatur sufficiens pro corporis lavacro; quod fieri etiam tempore Hippocratis & Galeni constat 3. acut. text. 48. ubi sic ait. Via ad solium brevis sit: in cujus comment. Galenus sic ait. Id est sive in balneo hominem laveris, sive in domo aliqua struxeris pyram, & labrum aqua impleveris. Quod & nunc fit sapius, deficiente balneo.

Licet hoc verum sit, examinare & determinare est necessum, an ordo antiquus in balneis servandus sit, tum ut cognoscamus quod utilius, tum ut modo possibili tali ordine procedamus; quia licet dispositio illa domorum seu cellularum deficiat, & unico instrumento aqua repleto balnea exerceantur, tali dispositione aqua poterit alterari & misceri, ut jam calida, jam temperata, jam frigida existat juxta balnei necessitatem. Quod videtur significare Hippocrates 3. acut. text. 51. per hæc verba. Multa quoque aqua mixtura parantur. In cujus comm. Galenus sic ait. Qui rectè valent, à balneo calido in frigidam sese projiciunt aquam; sed qui egrotant, contactum frigida non sustinent, quapropter frigidam calida mixtione frangimus. Quam doctrinam recipiens in comment. Vallesius, balnea disponenda esse docet aqua calidâ & frigidâ existente, ut juxta necessitatem, jam de illa, jam de hac addatur in balneo, ut ad temperiem requisitam trahatur. Est ergo quærendum quid faciendum.

Ordinem antiquum balneandi utiliolem esse in statu salutis propter autoritatem Hippocr. & Galeni adductam, ostendit ratio: nam balneum in statu sanitatis potius est ad corporis mundificationem & attemperationem, quam ad evacuationem, seu resolutionem alicujus humoris: sed dicti fines consequuntur melius, si prius calidum sit balneum & postea frigidum. Ergo Major constat ex Galeno cap. 4. de sanit. tuen. sic dicente. Quare elui sibi in balneo sudorem, & pulverem magis expostulat, quam calefieri, agebat de corpore exercitato & temperato. Quod recipiens Avicenn. sic scripsit, fen 3. lib. 1. doctr. 2. cap. 5. Huic homini in cujus regimine noster consistit sermo, balneatio resolutionem faciens non est necessaria. Minor constat etiam: nam balneum calidum cutem laxat, aperit poros; & ad resolutionem conducit, etsi admodum desiccationem faciat, quam cutem densat & firmat frigidum balneum supra calidum, resolutionemque impedit, ut docet Gal. 10. meth. cap. 10. ubi sic ait. Tertia balnei pars habet corpus refrigerare, cutem densare, & vires firmare, & hoc utilissimum est. Et idè infra sic scripsit, habet refrigerare innoxie. Ergo ordo antiquus est servandus.

Præterea: nam adhuc illi qui balneo frigido egent, melius se habent si prius balneum ingrediantur calidum: ergo ordo dictus est servandus semper. Antecedens constat primò ex Galeno 1. meth. cit. qui dicens hæcticos balneandos esse in frigido balneo, quia solâ frigefactione egent, prius calido balneo esse lavandos consulit, ne maxime à frigore alterentur & lædantur, sic ait cap. 10. agendo de hæcticis: Nam neque his tutus est frigidis solij usus, nisi prius fuerint in balneo aqualiter excalescenti. Quo fundamento infra prius in calido balneo, & postea in frigido hæcticum

hæctum esse submergendum docet. Quod etiam ratio suadet. Nam balneum frigidum sine læsione aliqua attemperat, dum balneum præcesserit calidum; non ita si immediatè sumatur; ergo post calidum est sumendum. Patet: siquidem laxatis poris magis ejus activitas penetrare valebit, resistente calore, minori violentia operabitur: ergo frigidum balneum post calidum erit exhibendum. Quà ratione exercitio suppleri balneum calidum. consultit: sic ait in ipso *cap. 10. Si quidem cujusmodi nobis est balneum, ejusmodi illis est exercitatio, ut que non tantum calefaciat, sed ut frigidi imperii occurrat, & quò minus violenter in profundum ruens, viscerum aliquod feriat.* Erit ergo ordo antiquus in balneis servandus.

Cùm verò ex alia parte difficilè inveniatur dispositio pro hac balneorum differentia, mixturas parare docet Hippocrates 3. *acut.* per quod non solum intelligendum est aquas diversiformè temperatas esse disponendas, ut non subito de calido in frigidum balneum vivens mutetur, sed de calido in tepidum, & ab hoc in frigidum, ut docet in *comment.* Galen. ne æger lædatur, verum etiam intelligendum est aquas diversiformè temperatas disponendas esse, ut juxta indigentiam balneum ad temperiem requisitam trahatur, mixtione factà illius aquæ cujus fuerit indigentia, ut voluit in *comment.* Valesius, quod diximus insinuare Galen. per hæc verba. *Ob id qui rectè valent, à calido balneo sese in frigidam projiciunt aquam; sed qui agrotant, contactum frigida non sustinent citra læsionem; quapropter frigidam calida mixtione frangimus.* Docet ergo balneum juxta Doctrinam traditam disponendum esse, ita ut prius aqua calida sit, & postea loco balnei frigidi aqua frigida addita in temperiem conducen-tem balneum paulatim trahatur: Nam licet in sanis non ita nocivam judicet Galenus subitam mutationem, nihilominus quamlibet subitam mutationem prohibere non erit præter rem; præcipuè cùm hoc modo balnei consequantur utilitates, quas ex tali modo procedendi adduxit Galenus *locis citatis.*

De utilitate prioris partis balnei nemo dubitat; siquidem aërem calidum convenire prius, ut corpus à vestibus denudetur; cuilibet compertum existit, ut pori aperiantur magis, humores & expellenda liquentur pro ipso balneo calido disponantur; & sic licet domos & cellulas ad hoc non inveniamus dispositas, modo possibili aërem taliter temperatum optamus, & aliter à balneo communitè fugimus. Dubitandum tamen est quomodo, si doctrina dicta verum tenet, Avicenn. *fen 2. lib. 1. doct. 2. cap. 19.* partes balnei enumerans, dicat frigidam esse primam domum, & humidam; secundam calidam & humidam, & tertiam calidam & siccam. Sic ait. *Prima casa est in frigidans & humectans: Secunda calefaciens & humectans: Tertia calefaciens & exsiccans.* Cujus contrarium docuit Galenus expressè 10. *meth. cap. 10.* per hæc verba. *Quippe ingredientiæ in aëre versantur calido, postea in aquam calidam descendunt, mox ab hac egressi in frigidam, postremo sudorem detergent.*

Respondetur tamen Avicennam in præsentia non adducere omnia requisita, ad completum balneum, sed solum de balneo absolute agit quod supponit pro illo quod ex aqua calida fit: quâ ratione & Hippocrates 3. *acut.* de balneis agens, absolute calidum intelligit, ut constat enumerans

quibus utile sit, aut nocivum. Aristoteles etiam 4. *Meteor. cap. 2.* per balnea cibum perfectius coqui scripsit; quod non esset verum, si balneo absolute pro calido non supponeret. Quod significavit Galenus *lib. de salub. diat. comment. 13.* super illa verba, *Semel cibum assumere; balneis super sedere,* sic ait. *Balneum corpus calefaciendo ad digestionem refert, & digestorum appositionem.* Est ergo per balneum absolute, balneum calidum intelligendum; & sic cùm de ipso absolute agit Avicenn. *dicto in loc. & fen 3. c. 5.* manifestum est de balneo calido intelligi. Et cùm balneum debeat fieri mutato corpore ab aqua calida ad minus calidam, & sic deinceps, ut ad frigidam mutatio subita non fiat, idè inquit Avicenn. primam domum refrigerare; quod non significat frigidum esse, primum balneum, sed tepidum, quod refrigerare docet Galenus 3. *de sanit. tuend. cap. 4.* quem sequitur Avicenn. *dicto cap. juxta illud quod 1. de simplic. medic. facult. cap. 3.* docuit Galenus, dicens, *Si quis in potabili aqua natet, non frigida, sed ex sole tepente, necessario refrigerabitur.* Non ergo Avicenna contrarius est Galen. sed potius oppositum constat *fen 3.* nam postquam *cap. 5.* de balneis egit absolute, ibique balnei calidi dedit doctrinam, *cap. 6.* de balneo frigido agit, & sic ait. *Et est cùm hoc fit post ablutioem aquâ calidâ factam, ad hoc ut exteriora fiant fortiora, & ut calor retineatur naturalis.* Constat ergo cùm propter hos fines balneum frigidum concedat Galenus post calidum; idem docere Avicenn. & sic dum primam domum balnei refrigerare dixit, solum significavit parum calidam debere esse primam balnei partem, ut lentè corpus in calidam mutetur, ut docet Galen. 3. *acut. comm. 51.*

Ad argumenta Respondetur, quòd licet corpus exquisitè temperatum & exercitatum, non videatur aliquâ mundificatione indigere, minor noxia fiet, si modo dicto balneum sumatur, saltem quoad dispositionem aquarum.

Ad tertium Respondetur quòd licet aqua tepida frigefacere habeat, non erit utilis balneatio ex ipsa sola, quia non valet calefacere sufficienter pro laxitate & resolutione requisita plurium excrementorum quæ inveniuntur. Si tamen dicas quòd utamur aquâ calidâ quâ postea refrigerabimur; Respondetur, hoc idem esse aquam frigidam miscere, quòd utilius erit quàm permanere intra aquam usque ad ejus attemperacionem, seu frigefactionem, quia corpus patietur necessariò cum tanta mora.

Ad argumentum respondetur quòd licet calefacere fiat à balneo calido, & frigefacere à frigido, non ita commode fit à quolibet scorsim, ut ab utroque simul, juxta dispositionis indigentiam: nam frigefactio dum requiritur, fit sine noxa, membris prius calefactis, sive per balneum, sive per exercitium, ut Galenus docuit, & calefactio requiritur, dum requiritur sine resolutionis periculo, aliquantulum cute refrigeratâ; quòd tamen impedit sudorem venire, ut *capite 10. citat.* docet Galenus: siquidem roboratâ naturâ balneo frigido à laxitate per calidum inductâ.

Ex hujus quæstionis solutione, manet quale debeat esse balneum in statu sanitatis: siquidem aquâ calida debet fieri, non calidissima; & in fine debet fieri mixtâ frigidâ, ut ad teporem aqua trahatur: aut talis reductio est expectanda primum, ut excrementa & humores attenuentur, &

pori laxentur pro resolutione, quam impedit aqua calidissima; & ultimum, ut cute roborata, & calore attemperato, vites firmentur, ut docet Galen. 10. meth. c. 10. & 3. de sanit. tuend. cap. 4. in quo etiam cap. aquam calidam calefacere & humectare docet; calidissimam vero calefacere & exsiccare, frigus condensare certum est. Sic ait Gal. *Dulcium calefactarum aquarum si mediâ sint temperie, vis calida & humida est; si vero tepidiores sint, humida & frigida; Quod si justo calidiores fiant, calida quidem, sed tamen non proinde humida.* Quod recipiens Avicenna, cap. 19. cit. sic scripsit. *Cum aqua multa est caliditatis, cutis horripilatur, & spissantur ejus pori, &c.* Ratione cujus communiter balneum sive naturale, sive artificiale calidum quaeritur, ut dicti fines consequantur: siquidem actuali calore & humiditate, cutis laxatur, & humores attenuantur per resolutionem & frigore quod resolutione factâ resultat, cutis & totum corpus roboratur. Propter quod Galenus 1. ad Glauco. cap. 9. Balnea calida aquae dulcis potentia refrigerate docet, non tamen balneum frigidum absolute sustinetur, tum quia non semper, imò raro corpus ita robustum invenitur, ut ejus alterationem ferat sine noxa, requiritur enim corpus optimam habens temperiem, exercitatum, & sine alicujus partis debilitate, ut ex professo cap. 4. cit. de sanit. tuend. docet Galenus, quem sequitur Avicenn. fen 3. lib. 1. cap. 6. tum calefactione deficiente, & plures fines propter quos balneum requiritur, frustrari est necessum, & sic solum quieti, exercitio calefacti & alterati, sine sensibili noxa in flumina, aqua nondum calefactâ se projiciant; sustinet enim solum eorum robur alterationem ita molestam, & supplet exercitium balneum calidum, ut ex Galeno diximus.

Sed dices: Balnea calidissima habent densare cutem, ut docent Avicenn. & Galen. locis cit. sed balneum frigidum instituitur ad auferendam laxitatem ab aqua calida inductam: Ergo non est ad ipsum corpus trahendum, sed ordine ab Avicenna ita sunt instituenda, ut primùm sit aqua tepida, postea calida calefaciens & humectans, & demùm calidissima, ita ut desiccet. Patet: nam roboratio quae inducitur ex balneo frigido, in tantum inducitur, in quantum impeditur resolutio virtutis: sed cute densata à calore balnei exsiccantis, talis resolutio impeditur: ergo balneum frigidum non est necessarium, praecipue cum ex propria natura opponatur propriae & nativae temperie; & ex hac parte augmentum corporis impediatur, ut cap. 4. cit. scripsit Gal. qui sic ait. *Corpus quod augetur, non est frigidâ lavandum, ne ejus incrementum moretur.*

Responderetur tamen quod tertium balneum valide calidum, cutem densare habet, non ipso corpus roboratur: siquidem tale patiebatur non solum vi laxitatis, sed etiam vi caloris excedentis, qui non corrigebatur, imò augebatur balneo calidissimo, & sic in tali casu potius frigidum balneum pro nativa conducit temperie, augmento tamen & frigidum & calidissimum opponitur.

Dices iterum: Hippocrates 3. acut. text. 56. sic ait. *Neque extrema membrorum partes, neque caput, neque reliquum corpus refrigerari debet.* Sed utile est balneum frigidum, ergo non erat timenda refrigeratio quae fit ab aere, dum corpus à balneo calefit; ergo non est utendum balneo usque ad refrigerationem seu teporem aquae. Nec

valet intelligere Hippocratem de refrigeratione magna & excessiva, qui & ipsam prohiberi docet: Nam de hoc non poterat esse quaestio, & omnibus est notum excessivas alterationes esse cohibendas, & sic de calida non fuit loquutus, aliàs de omnibus debebat loqui. Antonius Musa loqui Hippocratem voluit de aegrotantibus in quibus non trahendum corpus ad balneum frigidum, sed ad tepidum: Et cum constet Galenum doctrinam Hippocratis recipere, & in aegrotantibus post calidum frigidum utatur balneo, ut constat 10. meth. cap. 10. & 3. acut. comm. 49. de omnibus intelligendum est Hippocratem loqui. Tenuit quidem Antonius Musa adhuc in sanis balneo frigido uti, quod praeter rationem est si corpus & tempus, ut Galenus & Autores describunt, inveniatur, illud robustum, calidum & siccum & exercitatum; hoc calidissimum, & tranquillum: siquidem conditionibus his balnei frigidi necessitas invenitur. Hippocrates vero medij frigidam alterationem prohibet, praecipue dum corpus in balneo calido est, quia & ejus effectus impeditur, & cum pori aperti sint, penetrat magis aer, & laedit ad intra.

QUAESTIO III.

Quantum Balneum debeat esse.

CUM illa balneorum ordinatio quae uterentur Antiqui in usu non sit, nostra disputatio in omnibus quae dicuntur de balneis erit eo modo ac in usu sunt nunc: Et primò de balneis aquae dulcis in statu sanitatis agemus, quae ex aqua tepida, aut aliquantulum calidâ constant, qualique in fluminibus aut stagnis communiter aetate habetur, aut per artem disponitur, quantum & quando applicandum sit, scire est necessum, quod cum in subjecto sano exerceatur, non est mensurandum defectu virium: siquidem tunc tantum mensurari, dum quodlibet aliud remedium exercetur, notum est: Praeterquam quod in subjecto secundum rationem operante, virium defectus determinans non expectandus, & sic ex alio capite balnei quantitas est determinanda.

Quantum expediat debitâ quantitate & mensurâ, balnei durationem determinare, nil magis quam effectus ipse valebit demonstrare: siquidem propter ipsum determinatius balneum exercetur, & secundum diversam balnei durationem etiam effectus variatur, ut docet Hippocrates lib. de affection. prope fin. sic ait. *Calidum balneum moderatum quidem emollit & auget corpus; largum vero siccas partes corporis humectat, humiditas vero siccatur.* Idem Galenus sic scripsit 2. de sanit. tuend. cap. 7. ex ipso Hippocrate lib. de Officin. Medici, cap. 15. *Calidum primò auget corpus, deinde minuit.* Quod repetit Avicenn. fen 2. lib. 1. doct. 2. cap. 19. quod non solum in his, verum & ipsis effectibus quos balnea patrare habent per se, diversitas invenitur ob diversam durationem; calefacit enim balneum frigidum, si moderatè sumatur, in juvene carnosio, ratione cujus tetanum solvit, docuit Hipp. 5. aphor. tex. 21. quod de brevi balneo quoad durationem intelligit Mercatus: etsi longum balneum sit, refrigerare necessariò nemo dubitabit, cujus contrarium in balneo calido constat; nam breve calefacit, longum verò, saltem resolvendo, refrigerat, ut 2. de diata post medium, docuit Hippocrates.

Quæst. III. Quantum Baln. esse debeat. 197

Ex dictis constat per effectus quos inducere conamur, durationem balnei esse mensurandam; ad quod attendendum est an effectus balneum per se, an per accidens producere habeat; habet enim utroque modo rationem remedij balneum, ut 10. meth. cap. 10. docuit expressè Galenus, qui sic ait. *Quaedam namque remedia complicata quodam modo, duplicemque habent facultatem, ita ut & prima ratione proficiant, & ex accidenti; quod genus & balneum est.* Attendendum ergo est ad effectum, ut quantum debeat esse balneum deducamus: at cum juxta præsens institutum balneum sanorum requiratur non pro evacuatione alicujus, sed pro conservatione debiti caloris & humiditatis, ut docuit Avicenn. fen 3. lib. 1. doct. 2. cap. 5. ubi sic ait. *Homini in cujus regimine noster consistit sermo (agebat de temperato) balneatio resolutionem faciens non est necessaria, quoniam corpus ipsius est mundum; & neque qui balneo indiget, eget ipso, nisi ut ab ipso habeat calorem subtilem & humiditatem temperatam, vel requiratur, ut docuit Galenus 3. de sanit. tuend. cap. 4. ut corpus mundificetur à fordibus: in ordine ad hos effectus balneum est mensurandum, dicemus tamen aliquid de alijs.*

Cum ergo attemperatio mediocri & mundificatio qualis requiritur, fiat breviter, breve debet esse balneum, id est sine mora: siquidem cum hoc intendimus, conandum est ne virtus patiat, resolutis, aut alteratis humoribus, qui in debita proportione & mensura supponuntur in corpore, quod ex Avicenn. diximus. Quod etiam ipse immediatè docuit cap. 5. cit. per hæc verba. *Quapropter isti in ipso non multam debent facere moram, imò & utantur tina usu tam longo quousque in ea rubeat ipsorum cutis & inflatur, & in principio resolutionis ab ea removeatur.* Quibus verbis non solum breve debere esse balneum significat, verum & signa adducit quibus tempus balneis detur, manere debeat, id est cum inflatur & rubet cutis, quia jam attracti sunt humores ad extra, ut cutis color mutatur, nondum tamen resolutio fit. Propter quod Galenus 2. de sanit. tuend. cap. 7. dixit, *Balneum calidum primò auget, corpus, deinde minuit*, quatenus ipsum ad foras trahere habet quod resolvere valebit, si duret actio.

Hanc doctrinam desumpsit ex Hippocrate Avicenn. lib. de Officina Medici par. 3. text. 16. in quo mensuram balnei per eadem signa determinat. Nam postquam docuit balneum debere esse mediocre, sic ait. *Moderatio autem in perfusione ea est, quod dum attollitur pars, prius quam concidat, desistere oportet; nam primum attollitur, postea attenuatur.* Cum igitur balneum sanorum modicum debeat esse, siquidem finis non est propter quem aliter exhibeatur, manifestum est balneum debere mensurari per signa ab Avicenna adducta. Si dicas Hippocratem loqui de balneo conducente pro fracturis, non de balneo sanorum, inquit, moderatum debere esse: Et explicans quale sit moderatum, verba adducta profert: Ergo absolute per balneum moderatum desinit; & cum ex alia parte ipsum convenire pro sanis constet, eisdem signis esse mensurandum, rectè docuit Avicenna.

Ex dictis etiam fiet notum, cum ipsi effectus balnei mensuram determinent, quod cum resolve conamur contentos humores & excrementa, longum debet esse balneum; mediocre verò cum

hoc non convenit; tale tamen dicitur quod ferè immutare non valet, quod tamen inutile non est. Sic ait Hippocrat. text. 15. lib. cit. de Officina medic. loquens de brevi aut longa quaque perfusione, seu balneo. *Copia verò, ubi laxandum quidem & attenuandum, maxima: ubi autem carne implendum & molliendum, modica, optima est.* Ad quod respiciens Galenus in comm. & 2. de sanit. tuend. cap. 7. docuit, *Calidum primò auget corpus, deinde minuit.* Quasi diceret, ad partes externas movet, à quibus coquantur, durante verò balneo resolvuntur ipsi & partes; ratione cujus plures alij adveniunt effectus præter eos quos per se causare habet: Ex propria natura balneum refrigerat, etsi calida aqua sit, dum longum existit; calefacit tamen etsi frigida, dum breve, & utrumque pro ratione dispositionis corporis evenire docuit Hippocrates 2. de diet. & lib. de affectionibus, cujus verba si præ posui, quem sequutus Avicenna, sic ait, fen 2. lib. 1. doct. 2. cap. 19. *Et cum in balneo diu morantur, & exsiccant propter resolutionem; & cum in eo parum morantur, & humectant, cum corpus ab eo exsiccatur antea quam adveniat sudor: & cum in balneum ingrediuntur jejuni & vacui, exsiccant & macrescere faciunt, & debilitant; & cum ipsum ingrediuntur illico post comestionem, impingunt.*

Constat ergo ab effectibus ipsis quos patrare conamur, balneum esse mensurandum, quod intelligendum potius est in ipsis qui per accidens producuntur, quam in illis qui per se: utroque quidem modo balneum operatur. Dixit Galenus & 10. meth. & 3. de sanit. tuend. cap. 4. & ob hanc rationem ad omnes effectus balnei quantitatem facere docuit. Sic ait cap. 4. *Ceterum ab his incipiendum qua medium temperamentum obtinent, qua per se semper calefaciunt & humectant; evenit tamen ex accidenti, ut aut per habitum digerantur humores, aut supervacanea fluxione corporis, particulas impleant, aut molliant, aut concoquant, aut vires firment vel infirmant; siquidem ad hoc quantitas quoque earum non minus confert.* Quibus verbis non solum docet balneum per se, sed per accidens in nobis effectus patrare, velut & ad ipsos quantitatem balnei conducere: in præsentem tamen cum de balneo sanorum agamus, in quibus solum attemperatio & mundificatio est necessaria; ejus quantitatem seu mensuram mediocrem debere esse propter effectum ipsum, docet Galenus infra agens de juvene temperato & exercitato per hæc verba. *Quia sibi in balneo sudorem & pulverem magis, quam calefieri exposcunt. Ergo transire tantum ad solium usque, non in laconico immorari is debet, immò lotus, ut comprehensum est, ad frigidam festinet; atque ipsa quoque mediocri esto.* Breve igitur seu mediocre debet esse balneum omne tam calidum quam frigidum, si hoc utendum forsan sit.

Modus tamen dignoscendi balneum mediocre calidum, docuimus ex Hippocr. & Avicenn. ex eo quod cutis ruborem & inflammationem aliquam adquirat, quia tunc sine virium dispendio corpus sufficienter est lotum. Restat tamen scire quomodo balneum frigidum mediocre cognoscatur, si ad ipsum perveniendum more Antiquorum procedamus, aut saltem attemperazione aqua frigida, facta ut docuit Gal. Respondeo tamen quod licet balneum quo per sanitatem utimur juxta doctrinam traditam, moderatum debeat esse calidum, & postea frigidum quando non præcedit

corpus exercitatum ; frigidum tamen tantum quando præcessit, cum ferè nunquam in statu sanitatis solum mundificationis gratiâ balneo utamur, & ferè nunquam corpus temperatum sit, sed pluries excrementis aliquibus & sanguine abundans, balneum calidum aliquantulum debet excedere mediocritatem, ut talium substantiarum liquatio & resolutio fiat ; & sic in tali casu non est desistendum à balneo calido cum rubet cutis & inflatur, sed cum jam diminuitur per resolutionem, ut ex Hippocrate vidimus.

Circa mensuram balnei frigidi dicendum est ipsum semper mediocre debere esse, ut docuit Gal. *cap. 4. cit.* tum quia alteratio illa sine incommodo non tolleratur per tempus aliquod, tum quia finis propter quem sufficienter consequitur mediocri duratione ejus ; est enim finis cutim laxatam roborare, & virtutis resolutionem impedire, & ad debitam temperiem corpus trahere calore balnei attemperato, cujus mensura dignoscetur optima, si corpus post ipsum facile in proprium calorem & calorè trahatur levi frictione factâ, quod docuit in ipso *c. 4. Gal.* *Ipsam vero immorandi tempus à quotidiana experientia est conjectandum: nam si egressus frigida coloratio ex frictione cito redditur, mediocriter moratum indicat ; quod si tardius ei calor redeat, & decolor diutius maneat, plus aequo moratum docet.* Quod idem repetit Avicenn. *fen 3. lib. 1. doct. 2. cap. 6.*

Notandum tamen est quod balneum frigidum, præcipuè in sanis, non debet esse aquæ frigidæ valde adhuc in fine, sed minùs quàm tepidæ, ut docet ipse Galenus *cap. 4. cit.* per hæc verba. *Esse verò & aqua ipsa nec tepida, nec planè cruda & glacialis: Altera namque repercussum caloris non efficit, altera ferit insuetos, ac refrigerat.* Quibus verbis non solum qualis debeat esse aqua docet, verùm & rationem reddit: si ergo finis frigidi balnei est resolutionem impedire, & cutim roborare, aqua tepida neutrum faciet, & frigidissimam molestare est necessum. Idèd Avicenn. *cap. 5. fen 3. lib. 1.* valde timet post balneum calidum ad refrigerationem suscipiendam exponi, præcipuè medijs. Sic ait. *A Balneo verò egredi debet, si tempus fuerit hyemis, suis bene cooperiti pannis.* Diximus enim ex Hippocr. aëris alterationem timendam valde esse propter penetrationem ad intrâ: quare *cap. 6. sequenti* ipse Avicenn. ex Galeno in ipso *cap. 4.* dum sine vento debere esse docet adhuc in Galeno frigido.

Circa numerum balnei, quoties sit sumendum, examinare oportet, quod dupliciter est intelligendum: aut quia in una hora pluries balneum conveniat; aut quia diversis diebus, aut partibus diei. De hoc ultimo notum est toties balneum convenire, quoties necessitas occurrat, conditionibus existentibus, sive sit ratione mundificationis, sive ratione resolutionis, seu attemperationis alicujus. Et licèt idem dici possè appareat de repetitione in eadem hora, non est ità; quia quærere quoties sit balneum sumendum, est quærere quoties erit necessarium pro unica vice, ut finis intentus consequatur: nam de repetitione balnei loquendum est, ut de quolibet alio remedio; toties enim sanguinem mittimus, quoties permittit facultas, & morbus petit, & sic de balneo est loquendum: dubitamus tamen de repetitione ingressûs in aquam pro unico balneo.

Non posse unico ingressu fines balnei consequi, videtur significare Galenus 3. *de sanit. tuen.*

cap. 4. Nam postquam dixit pluribus diebus balneum posse sumi calidum & frigidum, de frigido bis tamen posse sumi scripsit, non amplius. Sic ait. *Procedente tempore ad eundem modum frigidum item ingredi jubebimus, post eam quæ priori ingressui successit frictionem. Verum tertio eam ingredi non laudo.* Ergo bis balneum sumendum est de sententia Galeni. Quod ipse loquutus est de balneatione pro unica vice sumenda, constat: nam immediatè antè, primo, secundo, tertio, & quarto die balneum esse sumendum consultit. Ergo non quod non debetur tertio scripsit, de repetitione pro unico balneo loquitur, quod immediatè ostendit, rationem reddens per hæc verba. *Nam & iterum id fecisse, abunde satis mihi esse videtur; cum pro arbitrio nostro immorari hominem jubere liceat.* Ergo cum repetitio sit in supplementum moræ faciendæ in balneo, & de hoc loquens dicat bis balneum esse sumendum, non unico ingressu fines balnei consequuntur.

Hanc sententiam deducit Galenus ex Hippocrate 3. *acur. text. 50.* dicente, *Celeres ergo habeant perfusiones.* Per quæ verba non solum celeriter debere fieri aquæ irrigationes intelligit, verùm & frequenter. Sic ait in *comment.* Galenus. *Celeres referre oportet non ad ea solum quæ in perfusione sit actionem, verùm quoque & ad illud quod actiones interjacet, spatium.* Quibus verbis perfusiones seu balneationes frequentes esse debere docet: Ergo repetendum est balneum pro unica balneatione, ut dejectiones pro unica purgatione repetantur. Quod Avicenna recipit *fen 3. lib. 1. doct. 2. cap. 6. sic.* *Et est cum post fricationem & caloris & coloris reversionem, iterum aquam ingreditur.* Ergo balneum non unicâ aquæ perfusione est faciendum, sed repetitâ. Quod adhuc agens de balneo hæcticorum docuit Galenus 10. *meth. cap. 10.* per hæc verba. *Nec capiti infundâ quidquam velim, cum sit satis id quoque bis terve unâ cum toto corpore in aqua mergi. Mox hinc eductus, in frigidam semel totus tingatur.* Ergo balneum repetendum est calidum, cum dicat, semel tutum esse sumere frigidum.

Contra hanc doctrinam stat difficilis ratio ex ipso Galeno desumpta: nam ipse docet *capite 4. citato,* posse pro arbitrio Medici hominem in balneo immorari: sed si immoretur donec appareant signa ostendentia finem esse consequutum, inutilis, & potius nociva balnei repetitio: ergo non est ingrediendum bis in aquam pro unica balneatione. Major est certa, minor constat, cum ipse Galenus quem sequitur Avicenn. ut durationem in balneo convenientem determinet, signa adducit in ipso *cap.* ostendentia finem esse consequutum. Pater. Nam ubi solum mundificatio requiritur absque evacuatione aliqua partium, intumescencia est respicienda: dum verò evacuatio requiritur, ipsarum externarum est diminutio attendenda: Ergo semel corpus est in aquam immergendum pro unica balneatione.

Nihilominus utiliùs judico balneum repetitâ aquæ ingressione esse sumendum, ut docuit Galenus & Avicenna *locis citatis:* Nam cum parum seu moderatè esse immorandum doceant ipsi, & hunc terminum non facile cognoscamus, etsi dicta dentur signa, utiliùs est bis balneum ingredi: siquidem tali proportionem majori securitate operabimur, ità ut cognoscamus

cognoscamus quando sistere, aut ulterius procedere debeamus: nam priori Balneo est facta, aliquo interposito temporis spatio, quantum deficiat cognoscetur facilius, ut si in altera minus, aut plus esse immorandum deducamus pro consequitione finis. Quod docuit in ipso *cap. 4. lib. 3. de sanit. tuend.* Galenus. Nam postquam scripsit ex reditu caloris ad antiquum statum mensuram Balnei cognosci, sic ait. *Si ergo cutis notis intentus sis, facile cognosces an par tempus postea in frigida immorari conveniat, an potius ad majus minusve aliquid sit mutandum.* Utilius ergo est Balneum duplici aquæ perfusione partiri: Nam licet Avicenna de Balneo diversorum dierum hoc intelligat *cap. 6. citat.* Galenus absolute loquitur, & sic de utroque est intelligendum; præcipue cum hanc doctrinam adducat immediate, postquam dixit Balneum esse iterandum, & non ter repetendum.

Advertendum tamen hanc doctrinam proprie intelligi de Balneis quæ in fluminibus accipiuntur, aqua à sole temperata: nam cum ipsa raro plusquam tepida sit, & de ipsa affirmet Galenus 1. *de simplic. medic. facult. cap. 3.* corpus refrigerari raro unico ingressu, consequitur resolutio requisita & refrigeratio, quibus ferè semper adhuc in statu salutis corpora egent, dum Balneo utimur: Nam cum illius aquæ calor moderatus valde sit, remissè ad resolutionem facit: & cum postea cutis ab aqua refrigeretur, fuliginis seu vapores detinentur, & major sentitur calor, ut pluries experientiâ est comperitum. Idè Avic. *fen 3. lib. 1. cap. 6.* post Balneum frigidum majorem calorem ortiri scripsit, sic ait. *Aqua frigida lavari calorem subito ad intra pellit, postea confortat ipsum, ut fortior fiat, & egrediat extra in duplo plusquam erat multum.* Ergo est iterum in aquam tepidam ingredi, ut sufficiens duratio sit ad excrementorum resolutionem, aut si minus quam tepida aqua sit, ut majoris frigoris vincat activitas; si verò Balneum sit quale per artem in domo communiter paratur, ex aqua supra teporem calida, non ita necessaria est repetitio, præcipue in morbis in quibus virium specialis est habenda cura, & infra subsistere melius est, quam plurimum evacuare: siquidem unico ingressu potest fini satisfieri; in sanis tamen utilior erit repetitio, ut moderamine dicto ad terminum requisitum veniamus, in quibus vires non facile labascunt. Opposita contra nos ex dictis manent soluta.

QUÆSTIO IV.

Quando Balneum sit conveniens.

NON quærimus quando sit Balnei necessitas; hæc enim existit quando aliquid cujus sit auxilium Balneum inveniatur, quod constabit dum Balnei utilitates adducemus. Difficultas tamen est, necessitate existente, quando Balneo utendum sit, quod est quærere & examinare conditiones Balnei, & dispositiones quæ requiruntur ut Balneum exhibeatur, necessitate petente, & facultate constante in statu sanitatis; nam de morbofo constabit *infra* ex professo. Neque ex eo quod aliqua dispositiones reperiantur in nobis, propter quas utimur Balneo per sanitatem,

dicendum est nos in verbis implicari; siquidem sanitatis status nil permittit Balneum petens; hoc enim non obstat, quia statum sanitatis nominamus, dum corpus nullo afficitur sensibili vitio, propter quod in operari lædatur, etsi aliquantulum à debita recedat moderatione, quia pro tunc ut sanum vivens habet se; tum quia adhuc in corpore temperato Balnei necessitatem cognovit Galenus 3. *de sanit. tuend. cap. 4. & Avic. fen 3. lib. 1. doct. 2. cap. 5.* cum de ipso agentes Balnea ad sanitatem conservandam instituantur. Ergo adhuc in statu sanitatis habet locum Balnei necessitas, ad ejus conservationem.

Ad Balneum dispositiones ex duplici sumuntur capite, & ex parte temporis, & ex parte subiecti, quarum quæ à tempore sumuntur, facile explicantur à Galen. *cap. 4. cit. de sanit. tuend.* per hæc v. rba. *Est igitur anni tempus, æstatis initium, dies quam maxime tranquillus, & quod id tempus feret, calidissimum, cujus etiam delictidam esse calidissimam partem nemo dubitet.* Ergo ex parte temporis calor est necessaria dispositio, & tranquillus dies, propter quod utilius æstatis tempus. Quare Avicenna idem repetit *fen 3. lib. 1. cap. 6.* Et licet id proferant Galenus & Avicenna agentes de Balneo frigido, idem de Balneo calido intelligendum venit; cum potius calor sit necessarius in medio, dum Balneum ipsum quod calefaciat curamus: Idè Hippocrates 3. *acut. text. 54.* agens de Balneo calido scripsit, *Nec caput ipsum modo, verum & extrema, & quamvis aliam corporis partem à frigoris injuria prohibere convenit.* Quibus verbis expresse docet frigidum medium nocere valde, ut ostendit in *comment.* Galenus, & consequenter loquitur Antonius Musa *comment. 44. ejusdem libri*, per illa verba, *Aqua copiosa & crebra lavatione est utendum*, dicens aquam debere esse copiosam, ne partes extra aquam existentes ab injuria medij alterentur, si; ut decet, non est calidus aer.

Sed dices: Galenus 10. *meth. cap. 10.* expresse docet aërem in omni domo requisitum pro Balneo debere esse temperatum, maleque dictum est tempus & diem debere esse calidum. Antecedens patet per hæc verba. *Esto autem & aer cujusquam domus nec summo calore, neque etiam frigans, sed admodum temperatus & humidus modice:* non ergo tempus calidum est eligendum.

Respondetur, hæc non contrariari inter se; verum enim est aërem debere esse temperatum in omni domo Balnei, ut corpus temperie conservetur mediocre: idè Hippocrates refrigerari timet corpus extra Balneum, quia temperatum frigidum est respectu calidi; ad hoc etiam dies & tempus calidissimum est eligendum, ut ejus excessiva temperies valeat aquam Balnei ad calorem conducentem; frigore aquæ resistente, consumptis & extractis pluribus excrementis frigidis & humidis, quæ ex temperie hyemis in aqua communiter existunt: Quapropter Galenus dum aërem temperatum debere esse docet, id fiet si aqua temperata ex labro sit liberaliter projecta sic ut profluat per omnes domos. Quibus verbis aërem temperatum reddi ratione irrigationis copiosæ factæ aqua temperatâ docet: quasi diceret, cum tempus calidissimum debeat esse, & aer temperatus, irrigentur domus aqua copiosè, ut ad temperiem requisitam aer trahatur; quod, ut dixit, locum habet in Balneis fluminum, in quibus tantus calor requiritur in temperie, etsi

aërem ad mediam temperiem trahere utiliùs esset in Balneo; in Balneis verò quæ in domibus parantur, medij solum requiritur attemperatio, siquidem aqua ab igne disponitur.

Difficultas major est de conditionibus requisitis ex parte subjecti ut Balneum exerceatur, & inprimis cum de corpore agamus sano, nullum est impedimentum ex propria natura, præter illud quod ex accidenti evenire potest: contingens enim est corpus cibum assumpsisse, vel secus, vigilasse, aut dormisse, plenum aut inanimum esse: Et cum non medicamento ratione Balneo utamur, taliter debet esse dispositum corpus, ut medio modo se habeat in his. Quod docet Avicenna *fen 3. lib. 1. cap. 6. sic. Qui Balneum agere voluerit, gradatim in ipso procedat, & calidiore die, & sibi caveat ne ventus sit ibi, & ne illud post coctum peragat, nec post cibum qui non sit digestus, nec post vomitum, nec evacuationem, nec post cholericam passionem, nec vigilias, nec corporis debilitatem, nec stomachi, nec post exercitium.* Quibus verbis principales conditiones ad Balneum posuit: supponit enim *in princip. cap.* corpus esse rebus, rectè temperatum, & in juventute; quod cum conditionibus dictis rectè poterit Balneo uti. Et licet de Balneo frigido hoc scribat Avicenna, de utroque eadem est doctrina; quam etiam docet Galenus *3. de sanit. tuend. cap. 4.* per hæc verba. *Esto illi ætas quarti maxime septennij medij, nulla in ipso die, nec qua eam præcessit, nocte alterata, sed pristinam salubritatem ad unguem servantem.* Et *5. de sanit. tuend. cap. 12. sic. Quippe quod Balneum non tutum est nisi prius corpus inanimum sit.* Ergo ex mente Galeni Balneum corpore bene se habente, nullâ alteratione præcedenti debet exerceri.

Sed contra ea quæ dicta sunt opponuntur plura. Primum: Balneum ad coctionem juvat: ergo utile erit post cibum nondum digestum. Antecedens ostendit Philosophus *4. meteor. cap. 2.* in quo postquam docuit coctionem à proprio calore fieri, sic ait. *Etiamsi auxilio aliquo eorum qua externa sunt compleatur, ut cibus per Balneum, & alia ejusdem generis adjumenta conficitur.* Ergo Balneum ad coctionem facit, ac per consequens post cibum rectè poterit administrari. In quo hæret *lib. de salub. diata comm. 13.* Galenus, dicens Balneum ad digestionem & digestorum appositionem facere per calorem: ergo post cibum erit utile. Jacobus *in comment.* inquit loqui Avicenn. de Balneo frigido, dum non convenire post cibum indigestum scripsit, quia frigore ejus impeditur digestio; Philosophum & Galenum de Balneo calido loqui, cum ipsum ratione caloris ad ciborum digestionem facere ostendat.

Hæc tamen solutio non satisfacit: Primò quia licet de Balneo frigido agat *in diet. cap. 6. in 5. anteced.* de calido agens sic scripsit: *Qui sanitatem vult conservare, Balneum ingredi debet postquam digestum est quod est in stomacho.* Ergo non solum Balneum frigidum, sed calidum etiam prohibet cibus indigestus. Et *cap. 19. fen 2. lib. 1.* Balneum calidum post cibum, obstructions facere docet; ipso enim indigesto attracto, non erit post cibum Balneum sumendum. Quod manifestum magis facit Hippocrates *3. acut. tex. 55.* per hæc verba: *Et neque post recentem sorbitionem, neque post potum lavandum, neque statim à Balneo forbendum aut bibendum.* Ergo ita cibus Balneum prohibet, ut nec ante, nec post exhibendum sit

Ostendit hoc etiam Galenus *in comment. sic. Non in agris modò, verum & in sanis nullus confestim à cibi vel potus sumptione lavari debet,* agebat enim Hippocrates de Balneo calido: Ergo ipsum cibus prohibet, ac per consequens malè Jacobus ob frigiditatem balneum prohibendum docet, post cibum præcipuè; cum *in eodem comment.* Balneum frigidum post calidum conducere dicat ad roborandam cutim, & calorem naturalem ad intra, juxta doctrinam Gal. *10. meth. cap. 10.* Ergo in tali casu adhuc balneum frigidum utile erit post cibum.

Secundò opponitur quod Balneum aquæ dulcis tandem refrigerare habet, ut diximus, propter quod utile esse judicavit Galenus *1. ad Glauc. cap. 14.* exhibentibus, ut docuit etiam *3. acut. comm. 58.* Malè ergo inquit Avicenna non convenire post cholericam passionem, cum talis affectus calorem & siccitatem arguat.

Tertiò: nam *in ipso cap.* Avicenn. docet Balneum frigidum post exercitium convenire juxta doctrinam Galeni *10. meth. capit. 10.* malè ergo inquit infra Balneum frigidum post exercitium convenire.

Nihilominus nobis dicendum est Balneum nullum convenire in casibus dictis, ut docet Avicenna, siquidem facultate patiente Balneum, quod ad ejus labefactionem facit nocivum est, quod constat ex argumentorum solutione.

Ad primum dicimus quod licet Balneum ad coctionem ciborum faciat, quatenus calorem communicat, post cibi assumptionem inutile est, quatenus calidum trahit cibum ad extrà antequàm coquatur, obstructionsque parit, ut docet Gal. *3. acut. c. 55. lib. de salubri diata, c. 12.* Ob quod sic scripsit Avic. *cap. 5. fen. 3. lib. 1. Qui impinguari desiderat, balneum post comestionem ingrediat, si non timeat oppilationes.* Quod totum intelligendum est, si modum exceßerint; nam breve calidum calorem ad coctionem sine attractione, aut resolutione communicat, ut voluit Philosophus *4. meteor.* & Galenus *lib. de diata.* Breve tamen frigidum tetanum solvit, ut *5. apho.* docet Hippocrates: Et hoc modo intelligendum est *1. de diata,* dum hæc scripsit. *Balnea frigida vacuo corpori brevem caliditatem; at cibo ingesto ac humido detrahuntur, & frigidum existens siccitate replent, primò expressione succi humidi partium externarum ad intrà replet corpus quod frigidum erat.*

Ad secundum Respondetur quod quando Avicenna docuit post cholericam passionem Balneum non convenire, intelligit cholericam morbum, non passionem aliquam animi, iram, seu furorem dictam; & in tali morbo patitur valde facultas, propter quod Balneum interdicit frigidum, quatenus retinet excrementa acris & mordacia ad intrà, & quæ fluxionem & morbum augent. An alvo fluente, aut vomente stomacho balneum conveniat calidum; dicemus ex professo dum de balneo ægrotantium agemus.

Ad tertium Respondetur velle Avicennam forte debere esse subjectum, ut balneum post exercitium exhibeatur, propter debilitatem quæ ex ipso processit, & sic prohibet balneum post exercitium dicens, *ni forte subjectum sit.* Quod confirmat, dum balneum frigidum post exercitium concedit, suppositis requisitis loquitur. Quod explicat *in sine capit.* dicens non esse faciendum nisi si subjectum sit valde forte; quo casu balneum frigidum concedit Galenus ut remedium in cholera

lera morbo 1. de remed. cap. 26. quia longa alteratio solum in subjecto robusto sustineri potest. Ex parte etiam subjecti aliam dispositionem requirit Galenus 10. meth. cap. 10. dicens non esse lavandos qui excrementorum mordacium quantitate abundant majorem quam resolvi potest, laxitate cutis per balneum inducta: è contrà verò qui aut excrementa non habent mordentia, aut cutis laxa est, pro eorum resolutione lavandi sunt; excitant enim humores mordentes horrorem dum resolvi non possunt & agitantur, ut in ipso cap. docet Galenus. Horreri tamen balneum non convenire significat; sic ipsum evenire cum intempestive sit balneum, scripsit etiam Galenus, & Avicenna ipsum fugiendum esse docet cap. 6. fen 3. lib. 2. per hæc verba. *Perseveret in balneo quantum tolerare valeat, antequam superveniat horripilatio*: Cum ergo horror frigidus sit, & ab humoribus mordentibus evenire doceat Galen. balneum non esse exercendum dum tales humores abundant cum densitate cutis impediende resolutionem, agitatione à balneo facta: idè postquam doctrinam dictam dedit Galenus, sic scripsit. *Ergo quamobrem horreant in balneis, omnes jam causas invenimus; pari modo & cur non horreant in balneis quibus aut nullum est excrementum in corpore mordens, aut tantillum, ut facile evacuetur.*

Sed dices balneum esse utile in febribus causatis ab humore acri & mordaci, docet Hippocrates 3. acut. tex. 58. in comment. cum dicat convenire in febribus ardentibus & æstuantibus: sed humor faciens talem intemperiem biliosus est & acris: ergo quando ipsi abundant humores, utile erit balneum. Quod clarius constabit 5. de sanitate tuen. cap. 12. per hæc verba. *Quibus mordax calor naturâ, adè ut fumida gignat excrementa, his balneum salubre est.* Ergo abundantii humore mordaci utile erit. Ratio est nota; nam balneum aquæ dulcis humectare habet & madefacere: sed humectatio & madefactio valent humorum acrimoniam evellere, ad quod conducit frigiditas, quæ tandem ex ipso balneo resultat: ergo utile erit dum humores acres sunt, etiam si cutis densitas resolutionem impediât. Quod significavit Galenus 1. de us. part. cap. 13. per hæc verba. *Nihil itaque invenias, quod valido æstu occupatos præsentium refrigerare, aut magna frigiditate affectos promptius calefacere, quam balneum possit.* Cum enim naturâ humidum sit, & moderate calidum, humiditate quidem natam ex caliditate siccitatem irrigat, &c. Quasi diceret, pro imbibitione substantiæ madefacit & humectat, & consequenter acrimoniam cohibere valet.

Respondetur, quod cum balnei frigiditas tanta non sit, ut valeat interiorem calorem corrigere, humores potius per coarctationem pororum agitantur magis (loquor nunc de frigido balneo) calore ad intrâ retento: tanta verò frigiditas, ut veniat iterum excrementorum calefactio & activitas, non est tuta; nam forsan interiora ustionem patientur majorem, aut calor natus suffocabitur forsan, nî subjectum valde forte sit, & cum signis coctionis; in quo casu balneum frigidum concedit Galenus 11. meth. cap. 9 in febre ardenti: Propter quod Galenus 7. aphorif. cap. 42. in febribus balneum non convenire docet, nî humores cocti, aut evacuati sint; quod non esset necessarium, si utilis esset refrigeratio vehemens, balneum tamen calidum potius calore mordacitatem auget, tum densitas

cutis resolutionem impedit: docet tamen 10. meth. cap. 10. balneum horrorem parere, & qui cruditate laborant, & qui excrementis acris abundant, & qui extra declinationem febre afficiuntur, quia humores commoventur & agitantur, quando resolvi non possunt; ad quod & acrimoniam majorem conducit balnei calor, ut docet ipse Galenus 2. de caus. sympt. cap. 3. nî coctio, aut inanitio præcedat, videlicet 3. acut. comm. ult. balneum pro febre ardenti conveniens docet.

QUÆSTIO V.

De utilitatibus Balnei & nocumentis.

EX hujus quæstionis resolutione, quibus balneum utile, aut nocivum sit, constabit in statu sanitatis, & id quod pro morbo facere debet, saltem generaliter, erit notum. Pro cujus perfecta intelligentia perpendere oportet verba quæ adducit Galenus 10. meth. cap. 10. ubi sic ait. *Si quis enim balneum ingressus non inhorruit, sed laxata est illi rarefactaque cutis, huic planè necessario prædicta succedent, excrementorum evacuationum, æqualis per totum corpus calor, exiguorum meatuum rarefactio, tensorum relaxatio, & densatorum fusio.* Quibus verbis, suppositâ corporis dispositione balneum non impediende, quæ significatur per illa verba, *si quis non inhorruit*, docet balneum laxare, & rarefacere cutem, humores, & excrementa resolvere, corpus æqualiter calefacere, tensa emollire, & densa fundere: id est, ea quæ dura sunt, laxando emollire, seu cecidit facere, & humores liquare. Quod totum de balneo calido est intelligendum; & sic de prima & secunda parte balnei id docet Galenus. Diximus supra primam & secundam partem balnei, domum calidam & aquam calidam esse, & consequenter balneum absolute calidam partem significare; & idè inquit, *Si quis balneum ingressus*. Et infra: *Neque his tutus est frigidi solij usus, nî prius fuerint in balneo æqualiter calefacti.* Et infra: *In frigidum solum post balneum ingredimur.* Et ulterius. *Cujusmodi nobis est balneum, ejusmodi est illis exercitatio, ut quæ non tantum calefaciat, sed etiam infiti caloris motum à profundo corpore extorsum concitet.* Et consequenter hæc in eodem capite scripserat. *Transeamus ad secundam balnei partem, qua erat id, quod maxime proprium lavacrum vocant.* Ergo de balneo calido loquendum est in præsentem: siquidem de frigido cutem roburare, resolutionem impedire, & vires firmare, dictum est ex Galeno.

Juxta doctrinam dictam loquitur Gal. pluries per libros de sanit. tuend. & meth. meden. & alibi, sequens Hippocratem 3. acut. & 2. de diet. & lib. de affectionib. sic dicentem. *Balneum calidum moderatum, emollit & auget corpus; quod verò opportunum modum excedit, siccas partes humectat, humiditas verò resiccet.* Nos tamen in præsentem de balneo moderato agimus; nam excedens nec pro sanitatis conservatione est, nec calidum sub dubio immoderate agere, & consequenter effectus diversos causare, juxta ejus activitatem. Quâ ratione Avicenna fen 3. lib. 1. cap. 5. postquam docuit in corpore rectè temperato & disposito balneum esse solum ad ejus temperiem conservandam, non ad evacuationem alicujus: Et postquam

quàm dispositiones corporis significavit conducentes, aut non conducentes, ut balneum ministraretur, sic scripsit. *Balneum est calefaciens & infrigidans, humectans & desiccans, juvans & impediens; & ejus juvamenta sunt somnum facere, aperire, abstergere, resolvere, digerere, & nutrimentum ad cutis superficiem trahere.* Quibus verbis effectus per se & per accidens, quos balneum facere valet, enumerat: quod intelligendum est in requisita moderatione, ut juvamenta dicantur; nam ultra ipsam nocumenta esse docuit ipse Avicenna.

Fient tamen manifestæ balneorum utilitates, aut nocumenta, si effectus per se considerentur, ex quibus effectus per accidens deducendi sunt juxta proportionem balnei, id est juxta modum in exhibitione. Habet quidem balneum aquæ dulcis tam in qualitate, quàm in duratione, calefacere & humectare, ut docet Galenus 1. *de usu part. cap. 13.* ubi sic ait. *Cum enim balneum naturâ humidum sit, & moderatè calidum, humiditate natam ex caliditate siccitatem irrigat: caliditate verò ortam ex gelu frigiditatem persanat.* Quod idem ostendit Avicenn. *fen 2. lib. 1. cap. 19. ita.* *Scire autem debes quod operatio naturalis balnei est calefacere suo aëre, & humectare sui aqua.* Quod de moderato intelligendum est, cum imdiatè post oppositos adducat, qui ex balneo eveniunt immoderato tam ex parte qualitatis quàm ex parte durationis: Ergo balneum tale calefacere & humectare habet per se, attenuare humores, cutem laxare, & consequenter ad extrà resolvere per accidens necessum est, moderatè saltem. Idèd verba adducta scripsit Galenus 10. *method. & 2. de simplic. medic. facult. cap. 4.* sic. *Si temperata adhibeatur aqua, & moderatè calida, laxare, rarefacere, fundere, & digerere;* calor enim & humiditas ad laxitatem & tenuitatem inducendam conducunt, sic ad resolutionem & motionem humorum ad extrà.

Ex hac doctrina facilè deducitur balneum frigidum adstringere & condensare, & ad expulsionem ad intrà facere, frigefacere extrà, intrâque calefacere, nisi ità vehementer agat, ut ejus activitas interiora & exteriora vincat. Idèd Galenus 2. *de sanit. tuen.* calida ad extrà movere docet, frigida ad intrà, & 2. *de simplic. medic. facult. cap. 4.* sic ait. *Apparet enim aquam, si frigida applicetur, condensare, consipare, contrahere, constringere, & repercutere.* Quo fundamento ultimam partem balnei frigidam instituit 10. *method.* ad cutem roborandam, & resolutionem impediendam, & tetanum solvere concessit ex Hippocr. 2. *aphor. comment. 21.* dum calorem nativum non vincet; nam vincere & non vincere scripsit. Sic ait. *Aqua frigida occursus aut vincit nativum calorem, aut colligit: vincit quidem, cum debilis fuerit, colligit cum fortis calor augetur, frigore resolutionem impediente.* De hac frigefactione loquitur Avicenn. *fen 3. lib. 1. cap. 6.* dum dixit majorem calorem sentiri ad extrà, frigidum post balneum; ipso interiùs roborato; nam cum frigoris activitas vincit, tardus, aut nullus est calor ad extrà reditus, ut ipse *in eodem cap.* scripsit.

Balneum refrigerare duobus modis docet Avicenn. *fen 2. lib. 1. doct. 2. cap. 19.* quia frigidum, & quia humidum. De primo dictum est refrigerare ad extrà, dum breve. Id est dum ejus frigiditas non vincit interiorem caliditatem, refrigerare tamen absolutè dum ejus activitas vincit. Restat

verò an aliter frigefacere habeat. Sic ait Avicenna. *Duobus namque infrigidat modis: unus est quoniam aqua naturaliter est frigida; quare infrigidat in ultimo rei, licet calore accidentali calefaciat, qui non permanet, sed tollitur, & remanet operatio naturalis propter illud quod ex aqua penetravit in corpus, & est infrigidatio; & etiam quia aqua sive sit calida, sive sit frigida, est humida.* Quibus verbis non loquitur de frigido balneo ab aqua frigida factò, non enim tale absolutè balneum appellat, sed quamvis ut quid notum supra balneum refrigerare, dum aqua frigida est, scribat de balneo loquens, quod ex calida paratur aqua, duobus modis docet refrigerare, & quatenùs frigiditate naturali aquæ, tandem corpus refrigeratur, hoc est in fine balnei, quamvis aqua calida sit, & quatenùs humidum balneum est. Primum significavit Galenus 1. *de simplic. medic. facult. cap. 3.* dum ait. *Si quis in aqua potabili totum diem innatet, ut etiam non admodum sit frigida, sed ex sole tepens, necessario refrigerabitur.* Et 1. *ad Glauco. cap. 9.* dicens, *Balnea calida ex aqua potabili prosunt, nam omnia humectant, & potentia refrigerant,* ut constet aquam calidam refrigerare, saltem reductione factâ.

Quomodò balneum quatenùs humidum frigefacere habeat, difficile apparet: nam humiditas per se, non est productiva frigoris, per accidens tamen non constat: nam licet Avicenn. *fen 1. lib. 1. doct. 3. cap. 1.* doceat intemperiem simplicem non diù durare, quin alteram pariat, & sic humidam frigiditatem parere, non habet in præsentem locum; loquitur enim tunc Avicenna de intemperiebus viventis, quatenùs ad hanc aut illam intemperiem corrigendam conducunt, sive ad productionem harum, sive ad consumptionem excrementorum, seu calida parit siccitatem, & frigida humiditatem; hac humidum balneum hoc modo non refrigerat, quia non conducit pro hoc aut illo humore consumendo, aut generando: Ergo non valebit refrigerare.

Sanctus Thomas *lib. de vitæ longitud. aut brev. lect. 3.* humidum frigefacere docet, quatenùs suffocare habet, quod ostendit: nam docens ad longitudinem vitæ conducere calidum & humidum proportionari, sic ait. *Si enim humidum esset quantum, id est magne quantitatis, & non quale, id est non benè proportionatum, tunc calidum consumeretur citò, & suffocaretur à multo humido.* Quibus verbis docet ratione suffocationis frigidam humidam parere intemperiem. Noster Petrus Garcia *disp. 9. supra Avicennam cap. 12.* non rectè loqui S. Thomam conatur ostendere, ex eo quod suffocatio non ità ab humido quàm à corporatura fiat, & sic intemperies humida solùm valebit suffocare, quatenùs ad generandum humorem suffocantem conducit: quod idem de qualibet intemperie poterat affirmari, cum quælibet ad humorem generandum possit conducere, quod de balneo intelligi non potest.

Licet id quod objicit Noster Petrus Garcia verum sit, si de humido qualitativo loquamur, Avicenna balneum sive calidum, sive frigidum frigefacere docet, quia humidum quatenùs suffocare valet. Per quæ verba non est intelligendum idèd suffocare quia humida qualitate afficitur, non est ità; suffocat enim per corporaturam, sed quatenùs humidum est, prout humidum fluxile significat, juxta mentem Philosophi 4. *Meteor. cap. 1.* rectè humidum frigefacere docet, quia quod

quod fluxile est, specialiter ad fluxionem facit, quatenus facilius applicatur, & intra partes ponitur, ut dispositiones suffocantes resulent. Quia ratione loquitur Avicenna *cap. 19. cit.* dum rationem reddit propter quam balneum humidum frigefacere valeat, sic ait. *Ideo cum multum humectaverit, calorem constringit innatum propter multam sui humiditatem, & extinguit ipsum, & infrigidabit; cum vero humiditas non valeat extinguere calorem, id suffocando efficiet;* ideo calorem constringere dixit, id est veluti comprimit, & ad densitatem impossibilem trahit. Et hac ratione etiam rectè ostendit S. Thomas humidam intemperiem suffocatione parere frigidam, quia ad generationem fluxibilem humorum, humidorum scilicet suffocantium conducit.

Et si modis dictis balneum frigidum frigefacere valeat, aliter etiam frigefacere docet cum experientia Hippocr. 2. *de dieta post medium*, sic. *Calida autem balnea jejunum attenuant ac frigefaciunt.* Quod non est intelligendum solum juxta doctrinam datam, quatenus tandem ad antiquum reducit statum, sed quatenus resolvere habet calorem naturalem, ratione cujus frigidum corpus refultat. Quod fiet manifestum si deinceps legamus, sic ait: *Per caliditatem enim humiditatem de corpore auferunt, evacuata autem de carne humiditate, corpus perfrigeratur.* Conducit ergo balneum ad frigefactionem quatenus ad resolutionem caloris facit, loquitur enim Hippocrates prout calor in humido conservatur, ut docet Avicenna *fen 1. lib. 1. doctr. 4. cap. 3.* Ideo etiam *fen 2. lib. 1. doctr. 2. cap. 19.* sic ait. *Est namque, quum accidit balneo ut suo infrigidet aere propterea quod multum caloris resolvit innati; & ut membrorum etiam substantias exsiccat.* Propter quod balneum moderatum debere esse diximus; aliàs dum calefacere & humectare intendimus, frigida & sicca sequetur passio.

Sed dices: frigefactio quæ sequitur ex resolutione caloris per longum balneum causata, jam non minus debet timeri corpore jejuno, quam corpore repleto. Ergo non rectè docet Hippocrates hoc evenire corpore jejuno. Antecedens patet. Nam resolutio in quolibet habet locum, & hæc durante resolutione causari debet à balneo resolvente, ac per consequens de omnibus aequaliter esse loquendum.

Respondetur, quod cum Hippocrates docet balneum calidum frigefacere jejunum, de balneo quoad omnia temperato loquitur: quod si jejunum corpus non sit, potius ad augmentum facit, ut ipse Hippocrates docet; à cibo autem accepto, calefaciunt ac humectant. Quo fundamento & *lib. de salubr. dieta comm. 14.* & *2. de sanit. tuend. cap. 7.* Galenus calidum balneum primò augere corpus, deindè minuere docet: quia cum balneum ad cutem trahat, si antea quam attractum resolvatur, balneum cesset, augmentum facit; si verò duret, resolvit & diminuit; & sic in corpore jejuno cum parum trahendum sit, facillè resolutionem causat & refrigerat; in pleno ad coctionem & commutationem juvat, ut constat *ex comment. 13. de salubri dieta*, quod repetit Avicenna *cap. 19. cit. sic.* *Cum balneum ingrediuntur jejuni, exsiccat & debilitat; & cum ipsum ingrediuntur post saturitatem, impingnat, &c.* Quæ ratione intelligendus cum *in ipso cap. sic a t.* *Etiam balneum resolutione calefacit, dum invenit nutrimentum non digestum, aut humorem frigidum.*

Cujus reddit rationem, dicens, *Illud enim digerit, & hunc maturat*, id est, ad resolvendum superfluum, & ad coctionem illius quod non poterat coqui, conducit.

Dices iterum: Balneum ex aqua intensè calida, potius resolutionem impedit; ergo non valebit refrigerare. Antecedens ostendit Galenus 3. *de sanit. tuend. cap. 4.* per hæc verba: [Dulcium calefactarum aquarum, si mediâ temperie sint, vis est calida & humida; si tepidiores sint, humida & frigida; quod si justò calidiores fiant, calida, sed non proindè humida, quippe horrere corpora, contrahique ex illis eorum meatus subigunt, ita ut nec madescere possint, nec excrementi quod intus latet quidquam emittere;] & consequenter Avicenna *cap. 19. sic ait.* *Cum ergo balneis aqua multa est caliditatis, cutis ex ea horripilatur, & inspissantur pori.* Ergo balneum calidum non refrigerabit ratione resolutionis quam facit.

Respondetur, quod cum balneum resolutionem facere valet, dicimus refrigerare; dum verò multæ caliditatis est, potius resolutionem impedit, calefaciens & exsiccans, ideo 2. *de simplic. medic. facult. cap. 4.* Galenus, Aquam intensè calidam adurere scripsit; sic ait. *Apparet enim aquam, si frigida applicetur, condensare, si fervida, adurere.*

Habet ergo balneum calefacere & humectare, & quæ ad hæc sequuntur, laxare scilicet, aperire, attrahere, attenuare & resolvere, utilia aut nociva, juxta subjecti dispositionem; hoc tamen moderatè fieri ferè semper convenit, etsi aliqua nocumenta ferè semper sequantur, ultra ea quæ ex prava administratione sequi necessum est. Docuit id Hippocrates 3. *acutor. text. 5.* tibi sic ait: *Tanta ex lavacro proveniunt commoda, quibus nimirum omnibus indigemus; quod si in apparatus, vel in re unica peccatum incidit, tantum abest ut prosit, ut etiam noceat: Itaque ut habet debitam temperiem, coctionem, & distributionem alimentorum servare balneum rectè administratum, etiam alia incommoda causat.* Sic ait Avicenn. *cap. 19. fen 2. lib. 1.* *In balneo cum multis ejus juramentis adsunt nocumenta; facit enim superfluitates ad membra in quibus est debilitas, leviter descendere, laxat corpus, impedit nervos, & resolvit calorem innatum, & comedendi desiderium dejicit, & coeundi debilitat virtutem.* Quod in corpore bene valente locum habere non potest, nisi per longam moram, seu repetitum usum eveniat, ut docet *cap. 5. de compos. medic. secund. loc. cap. 1.*

Inter commoditates balnei adjunxit Avicenna somnum conciliare; de quo specialis est dubitatio: siquidem alios effectus à balneo causari notum est, ratione caloris & humiditatis ad ipsos conducentium. Difficultas tamen est quomodo somnum conciliet. Jacobus *in comment. id evenire docet*, quia delectat, humectat, & resolvit spiritus animales; & quia fumos acres ex capite ad cutem; trahit quod non apparet omnino verum, quia defectus spirituum non adducit, ut somnij causa. Ab obstructione quidem potius evenire receptum est magis de sententia Philosophi, Galeni, & Avicennæ, de somno agentium, seu de affectionibus soporosis: at quia ab aliquibus ut causa somni adducitur, difficilius est somnum conciliare per retractionem fumorum à capite. Nam Hippocrates 3. *acut.* Balneum prohibet dum sanguis è naribus fluit; quod licet Anton. Musa ratione virium intelligat *in comm. fallitur siquidem;*

dem, dum non completè fuit, balneo esse utendum docet *in ipso comment.* Galenus, ut sanguis moveatur: Ergo balneum dum fluit sanguis è naribus nocet, quia movet in caput. Nec ob aliam causam balneum prohibet Galenus, dum vapor aut flatus in caput ascendit. Sic ait 4. *acut. comment. 42.* *Verum cum spiritus calidus flatuosusque ad caput fertur ob humorum pravitatem, lavare hos non confert.* Et 2. *de compos. medic. secund. loc. cap. 1.* in dolore capitis ab ardore balneum damnat. Sic ait: *Vitanda maxime sunt vinum, sol & balneum:* Ergo non conciliat somnum retractione humorum acutorum.

Hoc non obstante, dicendum nobis est somnum conciliari per balneum, quatenus vapores ascendunt in caput humidi, & à caliditate & mordacitate temperati; habet enim balneum fluxiones commovere, & sic ut ruant in caput vapores obstruentes conducit: Et ex alia parte dum in parva quantitate sunt vapores acres, ipsos resolvit, & aliquantulum corrigit, secus verò dum in magna quantitate sunt: Nam tunc potius movet eos magis, ut irritent. Idèd 6. *Aphor. comment. 31.* super illa verba, *Dolores oculorum, meri potio, aut balneum,* convenire docet Galenus, dum humores acres dolorem causant, & corpus plenum non est. Et 7. *aphorif. comment. 45.* super eadem ferè verba, dum plenum est corpus, inutile esse balneum scripsit, juxta illud quod docuerat 10. *method.* scilicet balneum utile esse dum vapores seu humores acres in quantitate sunt, ut per cutim resolvi possint; dum verò cutis densitas pro resolutione eorum obstat, balneum horrorem causat, rectèque dictum est balneum somnum conciliare, quatenus vapores acres resolvit, dum in parva quantitate sunt; & ad elevationem aliorum humidorum, & pro somno conducendum juvat: qua de causa, dum plures sunt humores acres & calidi, & balneum nondum ipsos attemperare & refrigerare valuit, sive ob parvam moram, sive ob majorem calorem ejus, tantum abest ut somnum conciliet, ut potius agitatione facta, vigiliam concitet, & pro operari vapores moveat, & dolorem augeat; idèd ipsum prohibet Galenus in dolore capitis.

Balneum syncopem causare, & facultatem debilitare, dum ultra requisitum procedit, nil mirum est, ut docet Avicenn. *fen 3. lib. 1. cap. 5.* qui sic ait. *Balnei tamen impedimenta sunt, debilitare cor, si multum morati fuerint, & facere syncopem & nauseam, & humores quietos movere, & eos ad putrefactionem præparare, & cum eis ad membrorum debiliùm receptacula declinare, ita ut accidant apostemata.* Quod idem significat *cap. 19. fen 2. lib. 1.* juxta Hippocratis mentem 3. *acut. text. 61.* in quo docens quibus balneum non conveniat, sic ait. *Lavacro committi non debent hi quibus vires imbecilles sunt, aut qui fastidio, aut vomitione affecti sunt:* habet enim balneum ad evacuationem humorum acrium seu biliosorum facere, & sic ventriculum turbare. Erit ergo inutile ubi cibi existit fastidium, sive nauseabundus invenitur ventriculus, quia tenues ad ipsum concitat vapores irritantes; quod præcipuè evenit dum balneum modum excesserit; nam moderatum ipsos ad extrà movet, excessivum verò & virtutem minuit, & attenuat valde; ita ut ad ventriculum fluat, quod nauseam & fastidium excitet: Et hac ratione nil mirum quod fluxiones in partes debiles moveat, & ad putredinem agitatione

humores præparet, præcipuè mixtione pravorum facta cum bonis. Nec aliter intelligi potest extraneos augeri humores per balneum, nisi quatenus biliosi moventur & agitantur & melancholici, resoluti tenui, contumaces redduntur magis; nam ex se ad ipsorum generationem facere præter rationem est.

Per balneum vias aperiri docet Avicenn. *in ipso cap. 5.* dicens, *Somnum facere, aperire &c.* juxta doctrinam Galeni 10. *meth. cap. 10.* docentis medicamenta deobstruentia debere esse quæ sine calore aperiant, tale esse balneum scripsit, quatenus tandem refrigerare ostensum est. Quo fundamento *cap. 9.* omnes evacuationes movere docuit. Sic ait. *In hoc tempore si vinum aquosum bibatur, omnes evacuationes movet, idem faciet & temperaturam dulcis aqua lavacrum: sed hoc, nisi valeat vias aperire, non faciet:* Ergo balneum aperitivum est.

Sed dices: Balneum obstructions causat; ergo non est aperitivum. Antecedens ostendit Galen. *lib. de salub. diet. comm. 12.* per hæc verba. *His qui habent in jecinore artos transius alimenti, lavacra obstructions creant:* Ergo non sunt aperitiva.

Respondetur Galenum loqui in præsentia de nocimento quod advenit dum post cibum exercitatio fit, & tunc inquit evenire si balneum exhibeatur, quia cibo nondum digesto, obstructions facere necesse est: sic per balneum ipse in vias strictas moveatur. Propter quod Avicenna *cap. 5. & 19. citatis.* Balneum post comestionem ad impinguandum facere scripsit, nî obstructions faceret, movendo materiam crudam: at balneum ipsum ex se aperire notum est; idèd Hippocrates 3. *acut.* urinas ciere scripsit.

QUÆSTIO VI.

De modo administrandi Balneum.

TANTA debet esse ad Balneum ministrandum præparatio, ut propter hoc præcisè non esse communiter in usu possit judicari. Nam cum Hippocrates 3. *acut.* doceat quòd si in re unica peccatum inciderit, potius balneum noceat; quid mirum, ut non minus per defectum in administratione, quàm in quolibet alio non exerceatur: siquidem dum plura concurrere necessum est, ut debite ministraretur, cum non facile propter quid eveniat noxa, percipiatur, non facile corrigitur id quod à balneo factum est. Si non habetur ut decet, pendet ex ignorantia Medicorum, maxime non cognoscentium ea propter quæ utile aut nocivum existat: idèd Mercatus *cap. 13.* de balneis agens *lib. de recto presidior. usu,* sic scripsit: *Hoc ego unum certo scio, nullum esse in Arte Medica tam utile, tam commune, tam securum presidium, nî id, nescio quæ rustica timiditas ex auxiliorum gremio depulisset. Propter quod, ut ipse de Balneis scripsit, nos eorum omnia requisita ex professo explanare tentamus.*

Notum tamen est balneum ex aqua dulci tepidum communiter in statu sanitatis exerceri, utileque esse non solum pro corporis mundificatione & deterfione, sed etiam pro aliquorum excrementorum resolutione, & caloris attemperazione, ratione cujus utilis est, & refrigeratio quæ aut mixtione aquæ frigida advenit in fine, aut reductione

reductione factâ, etsi pro aliis particularibus effectibus, hoc aut illud balneum speciale utile sit, ut videmus dum de curandis morbis agimus. Cum ergo quantitas & tempus balnei, ex dictis determinata sint, solum restat scire modum utendi ipso: ad quod etiam attingere videtur præparatio quæ ad balneum requiritur; quærimus semper in balneo de quo agimus, humectationem, & sic nec validè calidum balneum, nec frigidum esse debet; habet enim utrumque adstringere, densare & siccare, ex Gal. 2. de simpl. medic. facult. c. 4. sic dicente; apparere enim aquam, si frigida applicetur, condensare & constringere: sicut si extremè calida, adurere; idè balneum temperatum in calore applicamus, quod humectare docuit idem Gal. 3. de sanit. tuend. c. 4. Et ob hanc rationem medium humidum debere esse scripsit Avic. fen. 2. lib. 1. c. 19. sic. *In balnei terra multam projiciant aquam, ut vapor multiplicetur, & aer humectetur.* Et c. 5. fen. 3. sic. *Et aer in circuitu eorû aquâ dulcè fundendo humectetur.*

Circa modum administrationis examinare debemus an totum corpus, an aliquâ parte seclusâ balneandum sit: an celeriter in ipsum, an lentè projici debeat; an cum variis motibus, an quieto existente corpore, & sic de aliis. Circa primum non est dubium balneum particulare competere pluries, ratione particularis partis affectæ, ut dum capite distemperato ipsum aquâ irrigat Galen. 4. acut. comm. 42. dicens. *Sanè capitis solius, quovis aliter modo habentis, caliditatem balneum juroabit.* Quod idem de qualibet alia parte intelligendum est: in quo casu aliam partem lavare, forsân nocere valebit. Difficultas tamen est dum balneum universale ministratur; id est dum in statu sanitatis balneo utimur, vel ad mundificationem, vel ad resolutionem aliquorum excrementorum totius & attemperationem simul, an caput etiam lavandum, vel ipsum à balneo servandum.

Ratio tamen difficultatis stat; quia experientiâ pluries compertum est, post balneum dum caput etiam humectatur, dolore capitis molestari: Ergo balneum non debet tangere omnes partes. Pro quo etiam facit id quod Gal. 4. acut. comm. 42. scripsit, scilicet, *Cùm spiritus calidus statusus in caput fertur, lavare non confert.* Et 2. de composit. medic. secund. loc. Balneum prohibet in ardore capitis dolorem causante; ex eo quod humores attenuare habet ut in caput moveantur: non ergo totum corpus balneandum est, ità ut caput humectetur. Hoc videtur insinuare Avic. c. 19. sic dicens. *Marina autem aquæ caput ejus, qui in eis balneatur, repellent:* ergo non est caput in aqua lavandum, sed fugiendum est quod aquâ tangatur. Quod universaliter magis docuit Gal. 6. de sanit. tuend. cap. 9. dicens, *Calidarum aquarum noxius est usus in capite.*

At si res ut decet pertractetur, inveniemus, quod dum pro toto remedium quærimus in balneo, totum etiam secundam omnes partes balneandum esse: Id insinuat Hipp. 3. acut. tex. 54. dum inquit, *Quantum fieri potest nec caput ipsum modò, verùm & extrema, & quamvis aliam corporis partem à frigoris injuria prohibere convenit.* Quæ verba corpus secundum omnes partes in balneo fuisse submersum docent. Quod etiam invenimus in Gal. 10. meth. cap. 10. qui agens de balneo hæctico-rum sic ait. *Nec capiti ejus infundi, quidquam velim, cum sit satis id quoque bis terve una cum toto corpore in aquam mergi, hinc eductus in frigidam semel totus tingatur.* Quibus verbis tam balneum calidum quàm frigidum in omnibus partibus fieri

docet Gal. Ergo nulla excludenda est pars. Quod ratio suadet: siquidem totum corpus auxilio eget; ergo nulla pars est ipso privanda; ad quod conducit Doctrina Gal. & Avic. quam adducemus, imperantium subito & non lentè balneum esse sumendum, ut omnes partes simul alterentur, ne horror accidat paulatinâ immutatione; faciet frigidus occursum vaporû mordentium retractionem in partem non alteratam; hoc est in caput, non ergo à balneo caput excludendum est, ac per consequens simul cum toto est lavandum. Dum vero Autores balneum in capite prohibet, aut loquuntur de medicinali balneo, quod in calido affectu, aut capite calido, calidum prohibet Gal. nam major fit vaporum calidorum commotio & attractio: non tamen negat quod ex aqua dulci conficitur; aut loquuntur de partis balneo ex aquâ dulci quod in capite prohibet Galenus ob alterationem quam causat, nî forsân inanitum corpus sit; quo casu balneum commendat Hippocrates.

De modo ingrediendi balneum, non minus est loquendum. Circa quod Gentilis super Avic. paulatim balneum esse sumendum scripsit, dicens, *Non statim ac quis ingressus est primam domum, pertranscat ad secundam, nec statim ad tertiam, sed aliquod tempus est immorandum in qualibet, antea quàm in alteram transeat.* Quod idem servandum esse voluit ad egressum, ne subitam mutationem corpus patiatur. Quod videtur coherere verbis aliquibus Avic. quæ talia sunt. *Prater à sibi caveant ne cito balneum ingrediantur.* Quæ verba videntur docere; paulatim debere fieri regressionem à balneo, ut ingressum ob rationem dictam.

Si Gal. respiciamus, tantùm abest ut doceat paulatim debere fieri ingressum & regressum, quod ex professo moneat subito balneum esse ingrediendum, & in nulla domo moram esse faciendam. Sic ait 3. de sanit. tuend. c. 4. *Transire autem ad solium usque, non in laconico immorari is debet, sed nec immorari in piscina huic est opus; imò lotus ad frigidam festinet, atque ipsa quoque mediocrius esto; ab his in frigidam descendat; non tamen cunctanter, sed celeriter, vel etiam semel totus insiliat, huc utrobique spectans, ut uno maxime tempore omnibus corporis partibus humor circumfundatur; quippe cum si sensim, his accedat, horrorem concitaturus sit.* Quibus verbis subito esse sumendum balneum; seu saltu in ipsum esse ingrediendum docet, ut corpus secundum omnes partes alteretur simul: Et rationem reddens inquit, ne horror excitetur; humore magis in unam partem quàm in alteram alterato & moto: Quod idem repetit 10. meth. c. 10 sic. *Se ab exercitatione in frigidam immittant.* Et infra *Esto autem media domus tantò scilicet primâ calidior, quantò tertiâ frigidior est.* Et paucis interpositis, *Tantis per in prioribus domibus morabuntur, dum in alteram transferantur demum.* Non ergo lentè balneum est ingrediendum aut egrediendum, sed breviter. Idè Hipp. 3. acut. tex. 50. sic ait, *Celeres fiant perfusiones.* Et suprâ, *Celeriter perfundere multam aquam oportet.* Quod totum brevem debere esse actionem ipsam fundendi, seu ingrediendi in balneum significant, ut docet in comment. Galenus.

Sed dices: Contra hoc stat Gal. quia non solum 3. de sanit. tuend. cap. 4. Verùm 3. acut. comment. 49. ità renuit subitas alterationes in balneis, ut potius aquas diversimodè temperatas debere esse supponat, ut corpus non à calido in frigidum immediate & subito mutetur; nec è contrâ, sed à calido

calido in minus calidum, & ab hoc in minus frigidum. Sic ait 3. *acut. Probè autem faciet qui à calido balneo tepidas trium generum aquas parabit. Prima quidem admodum tepida sit; secunda verò minus tepida, & tertia que magis ad frigus declinet; ut paulatim à calido ad frigidum procedat.* Ergo non est subito balneum sumendum, ut etiam *quæst. 2.* diximus.

Respondetur, hæc non contrariari: Nam dum subito esse sumendum balneum docet, & non lente, non permittit subitas alterationes; sed solum ostendit, simul debere submergi secundum omnes partes, ut æqualiter alterentur: dum verò balnea ex aquis parum differentibus constituit, subitas & violentas alterationes renuit; attamen non tollit totum corpus simul esse submergendum, & sic dicta non contrariantur.

Et si tota doctrina ex Galen. adducta de balneo loquatur frigido, & de ipso agens etiam Avicen. *fen 3. lib. 1. c. 6.* dicat, subito in frigidam post exercitium corpus esse submergendum, quoad hoc idem intelligendum est de ingressu in balneum calidum; tum quia Hipp. de calido balneo agit, dū celeres esse perfusiones scripsit: siquidem idem est perfundi aquam celeriter, ac subito balneum intrare; nam finis est ut partes omnes aqua tangantur breviter, ne aliqua ante alias alterentur, & accidat horror, & inæqualiter humores moveantur: tum quia ipse Gal. non de balneo omnino agit, sed ex illo quod ex aqua repente in sole fit, quod refrigerare docuerat *1. de simpl. medic. facult.* & hoc est communiter in usu, tum quod saltu dimittuntur exercitati, ut experientia compertum habemus. Ergo non solum ingressus in frigidum, sed etiam in calidum balneum subito debet esse. Sic ait *lib. 3. cap. 4. de sanit. tuen. Lotus ad frigidam festinet, atque ipsa quoque mediocris esto, utpote ad medijs temperamenti corpus.* Et infra. *Esto verò & aqua ipsa nec tepida, nec planè cruda, & glacialis.* Et *10. meth.* exemplum adducit juvenum qui in flumina se conjiciunt; agit ergo de balneo communi, & de ipso inquit saltu esse sumendum, etsi in fine capituli de balneo hæcticorum agens, verè frigidum convenire scribat.

Ex hac doctrina constat non rectè loqui Gentilem, dum Avic. non esse egrediendum subito dixit, hoc enim significat non esse trahendū corpus à calido in frigidum subito, nec è contrà, sed paulatim, ut molestæ alterationes cohibeantur; erit tum ex balneo subito egrediendum ad temperiem non dissimilem. Quod constat ex verbis quæ sequor, hæc sunt. *Nec citò è balneo egrediatur & caput post ipsum discooperiant, & corpus ad recipiendam frigiditatem exponant, egredi debent, si fuerit hyems, suis bene cooperiti pannis.* Ergo molestam alterationem fugit, non egressum è balneo subito.

Ex dictis venit examinandum, an exercitati subito sint in aquam submergendi immediatè post exercitium; an verò quiescendum prius sit: siquidem Avic. jam unum, jam alterum faciendum esse significat, *cap. quidem 5. fen 3. lib. 1.* sic ait. *Oportet præterea ne exercitatus ad balneum velociter pergat, donec perfectè quiescat.* *Cap. verò 6. in fine,* Balneum prohibet post exercitium. Quod idem videtur significare ac prius esse quiescendum; in ipso tamen *cap. 6.* sic ait. *Deinde post exercitium in aqua frigida subito natet, ut ipsius membra simul dura fiant.* Quod videtur cohærere cum doctrina Gal. *10. meth. cap. 10.* sic dicentis. *Multi juvenes ejusmodi conseculis inieribus, ubi illicò se in aquam*

frigidam conjecerint, juvantur. Quod repetit infra, sic. *Se ab exercitatione in frigidam saltu dimittunt; siquidem cujusmodi nobis est balneum, ejusmodi illis est exercitatio.* Constat ex Gal. illicò post exercitium in balneum frigidum corpus esse submergendum doceri, ut pueri communiter faciunt, Nec potest intelligi loqui de ingressu ipso, quod non tollit prius post exercitiū esse quiescendum, siquidem exercitium supplere balneum calidū docuit, calorè inducendo in corpore resistentem frigori, qui non esset, si corpus non quiesceret prius.

Dicendum tamen nobis est, Avic. diversis in locis loqui de diversis balneis: *cap. 5.* loquitur de balneo calido; & ad ipsum non esse perveniendum immediatè post exercitium, ne calor calori exercitij addatur, & major adveniat noxa, suffocatio scilicet, & respiratione pro tanto calore deficiente, seu non sufficiente: *Capit. verò 6.* loquitur de balneo frigido, ad quod illicò post exercitium esse perveniendum esse docet, ut illicò post balneum calidum ad frigidum pervenire scripsit Galen. quia tunc melior est dispositio, ut balneum frigidum sumi possit: siquidem & calor qui resistat frigori est, & humores pro resolutione dispositi: Quod intelligendum est non factà mutatione de extremo ad extremum, ut diximus, nisi affectus ille expostulaverit, ut in hæctica, aut vires valentes sint; ut accidit in juvenibus pluries inordinate procedentibus: idè de balneo calido loquens Hippoc. *3. acutor. Via ad solum brevis sit, facilisque tum egressus, tum ingressus.* Cujus ratio est ne exercitium procedat, debilitans & alterans.

Cum igitur ita commendet Hippoc. ne virtus patiatur, ad balneum viam debere esse brevem: quod est dicere, aut balneum debere esse propinquum, aut sine labore ad ipsum perveniendum, & ab ipso revertendum: manifestum est in balneo corpus quietum debere servari, præcipuè in calido, ne virtus valdè resolvatur. Quod *text. 48. 3. acut.* sic docuit. *Qui lavatur componat se se, taceat, & nihil agat: sed alios perfundere & detergere sinat.* Quibus verbis constat omnino juxta regulas Artis procedere, qui in balneo à ministris lavari, fricari, & quomodolibet tractari consuevere, ut majori voluptate, & minori virium dispendio finem consequatur; in quorum defectu quam minus operari debet qui lavatur: propter quod utilius judicatur balneum, quod aqua debito modo temperatà exercetur in loco fluente impetu quodam, non tali ut laboriosè fiat, sed commodè, & cum voluptate: Et in tali casu aqua circa humeros impetum facere utilius erit, ut ad pedes fluat, & versus ipsos aliquantulum humores commoveat: idè judico antiquitus balnea non fieri per submersionem intra aquam, sed per irrigationem, seu perfusionem aquæ supra corpus, & sic communiter fit. Quod docet Hipp. dicens, *Perfundere autem multam aquam oportet, & celeres debent esse perfusiones:* quod utilius sit quia perfusio à parte superiori debet esse, ut humores à capite retrahantur in partes inferiores.

Totum hoc verum habet, & intelligendum est dum exerceri corpus in aqua non est necessarium, id est dum balneum pro exercitio non sumitur, ut fumebatur antiquitus; Natalio teste, & balneum inter exercitationis genera trahente, ut etiam docet Aristoteles *2. de partibus animal. cap. 2.* qui ob laborem cursui natationem comparat. Et ob eandem rationem Gal. *3. de caus. symp. cap. 1.* Balneum Rationem vitæ appellat. Sic ait. *Voco Rationem*

vita, equitationem, venationem, balnea, ambulationes, & omnia denique in quibus aliquid corpore agimus. Quod recipiens Andreas Bazius lib. 7. de Thermis, cap. 8. inquit antiquiorem fuisse natationum usum, quàm balnea: siquidem ex usu exercendi se in fluviis & stagnis, homines, balnea ad alios fines instituta fuere; erat enim, quæ nunc appellatur natatio in aqua frigida facta, ad mundificationem corporis instituta in subjectis robustis, ut simul ad fugienda aquæ pericula homines apti fierent, & exercerentur: Et sic dum balnea antiquis parabantur diversitate domorum, seu cellularum, prior disposita erat domus quædam seu spatium in quo natabant homines, tum ut exercitarentur præcisè, tum etiam ut ad balneum exercitio disponerentur.

Diximus ex Gal. & Avic. ab exercitio in balneum corpora mitti; at cum exercitij ratione jam pro balneo, jam sine ordine ad ipsum, domus illa aqua frigida plena constitueretur major quàm pro balneis communibus instituebatur, quia major multitudo in ipsa concurrebat. Et hac ratione judico loquutum fuisse Avic. cap. 1. g. cit. dum primam domum quasi frigidam constituebat.

Merito exercitij ratione natatio exercebatur in aqua frigida, id est minus quàm tepida, quia balneo calido magna fieret resolutio & calefactio; & sic dicimus balneum debere esse quieto existente corpore; quia supponendum est corpus in balneum moderatè calidum intrate, ut mundificetur, & attemperetur, resolutis excrementis aliquibus calidis, ita ut tandem refrigeret ad temperiem mediam: aut supponendum est in aquam frigidam mitti post balneum calidum, seu post exercitium, quatenus unum alterius supplet calorem. Cum verò in fluviis seu stagnis balnea assumuntur, quæ antiquitus natationes dicebantur, calor aquæ remissus est potius ad frigefactionem corporis conducens, jam resolutione aliqua, jam reductione aquæ facta ad propriam temperiem, & sic utilis est agitatio seu natatio, cum circumstantiis positis, quod non habet locum in balneis quæ privatim parantur in tina, seu labro ligneo, aut aliter confecto; in quo cum aqua calefiat plus quàm tepidè, sufficit sine exercitio pro resolutione & mundificatione, & ut fines desiderati consequantur, præcipuè si attemperatio aliqua aquæ expectetur, dum alij sunt consequuti fines.


Non minus ad modum administrandi balneum, conducit cognoscere an corpus unguendum sit oleo, aut aliquo alio liquore ante aut post balneum. Nam Gal. 10. meth. cap. 10. mediam domum quæ ante balneum est ad corpus oleo perungendum instituit. Sic ait. *Esto autem media domus, non tantum sui media, sed etiam temperie. In hac domo oleum tepidum esto, quo ager super sindone illarus protinus perfundatur: hoc facto tertiam ingrediatur domum ubi solum est.* Quibus verbis ante ingressum in solum, hoc est in balneum, oleo unguendum esse corpus ostendit. Avic. cap. 19. fen. 2. lib. 1. corpus unguendum esse docet post balneum calidum: nam de ipso agens sic ait. *Qui balneum ingrediuntur, ut humectentur debent in aqua mergi, & postea ex oleo inungi.* Quod confirmat cap. 6. fen. 3. lib. 1. Ergo ante balneum & post ipsum, corpus perungendum esse docent Autores.

Antonius Musa 3. acut. comm. 52. hæc componere conatur, dicens corpus oleo perungendum esse juxta aliorum consuetudinem, quæ jam non

prævalet ante balneum, & post ipsum ratione finis quem consequi intendimus; si enim balneum ad detergendum sordes est, ante balneum unctio est facienda, ut sordes emolliantur oleo, & facilius detergeantur balneo: si verò sudor expectandus erat, olei unctio post sudorem convenit; nam ante ipsum impedit, meatus occludendo, sicque unctio sudorem prohibere conatur; ideo unctio propter diversos fines fieri fatetur, & consequenter propter ipsos jam in uno tempore, jam in alio debere fieri. Quod videtur insinuare Gal. 3. de sanit. tuen. cap. 4. in quo sic ait. *Dehinc oleo, prout assuevit, fricetur, & inde exercetur: ab his in frigidam descendat.* Et paucis interpositis sic ait. *Exeunt verò ab aqua fricari oleo, id quod pluribus expedit.* Docet ergo diversis temporibus olei unctio convenire, quod juxta diversitatem finium est intelligendum.

Hoc unum norandum est in fine quæstionis, quod balneum frigidum actu exhibere non convenit in ætate augmenti, quia cum comprimere, condensate & adstringere habeat partes externas, habet repellere nutrimentum à partibus, & consequenter earum impedit augmentum & nutritionem. Conveniet tamen quando augmenti non est necessitas, ut 3. de sanit. tuen. cap. 4. docet Gal. qui sic ait. *Corpus quod augetur non est frigidum lavandum, ne ejus incrementum moretur; ubi verò abundè est auctum, jam frigida quoque assuefaciendum.* Non ergo balneum actu frigidum indiscriminatim est exhibendum. Dixi actu frigidum, nam quod tale est potentia, ut voluit Gal. 1. ad Glauco. cap. 9. ex aqua frigida actu non fit, sed ex calida. Sic ait; *Balnea calida ex aqua potabili profunt: nam omnia humectant, ac potentia refrigerant;* juxta id quod 1. de simplic. medic. facult. cap. 3. dixit de aqua sole tepida necessariò refrigerante. Balneum quidem est refrigerare habeat reductione aquæ facta ad propriam temperiem, non ita prohibet augmentum; quia cum calidum primò supponatur, attrahere valet alimentum ad partes; & cum ejus frigiditas remissa sit, non valet pro expulsionione condensare, præcipuè cum partes calidas calore actuali supponat: Balneum tamen frigidum actu non supponit calidum, aut ejus activitas major debet censeri; & sic intensè condensare valebit & constringere.

Advertendum etiam est, quod cum humectare intendimus intensè, olei unctio utilissima est, sive ante frigidum, sive post; habet enim oleum ob ejus modum substantiæ validius humectare, ut docuit Hippocr. 2. de diet. post med. ubi sic ait. *Unctio verò calefacit, humectat ac emollit;* ideo in balneis particularibus, seu embrocationibus oleo & aqua utimur dum emollire aut humectare partem conatur, juxta doctrinam Gal. 5. de simplic. medic. facult. cap. 5. sic. *Oleum & aqua calida humectant simul & calefaciunt; quod si ambo in unum misceantur, multò magis tunc calefaciet, tum humectabit.* Circa quod 3. de aliment. facult. cap. 15. uti eo consulit, dum oleum deficit, & consequenter in balneis ita esse faciendum juxta consuetudinem plurium frigidatum regionum. Sic ait. *Quod si partem aliquam butyro inunxeris, cernes cutem pinguem non aliter ac si oleo fricasses; Quin imò homines in frigidis pluribus regionibus in quibus oleo carent, butyro ununtur.*



SECTIO II.

De Balneo ægrotantium.

QVÆSTIO I.

Quid sit ægrotantium Balneum, & quotuplex.

PRÆCEDENTIS sectionis non est possibilis completa notitia, quin hujus doctrinam adducamus, nec istius dabitur manifesta quin ex præcedenti plura sumamus: non enim balneum sanorum perfectè administrabitur, si plura quæ in statu sano inveniuntur, an balneum impedire valeant, vel secus, non cognoscamus. Nam licet in rigore cum statu sanitatis simpliciter non cõpatiantur, cum non constituent corpus in statu morbofo, hoc est impediunt operari, status sanitatis dicitur, saltem ut nunc: Et cum talia accidentia sint quædam quæ morbum instituunt, philosophandum est de eis, ut de ipsis philosophatur dum morbum faciunt, & sic ex hujus sectionis resolutione, quid faciendũ constabit, corpore alvum humidam aut constrictam plus justo habente, aut aliquo alio modo patiente, extrahes statum morbosum, neutro scilicet corpore: & sic similiter, cum balneum ægrotantium generalè rationem balnei supponat, ea quæ dicta sunt prævidenda, ut quid balneum, quibus dispositionibus & conditionibus applicandum sit cognoscamus, quantum, quando, & quale, juxta morborum diversitatem, & sic una sectio integrè intentum manifestare non potest.

Dictum est sanorum balneum esse quod pro conservatione propriæ temperiei corporis conducit, & pro mundificatione ejus, sine alteratione sensibili; propter quod Gal. corpus nullatenus alteratum ad balneum requirit 3. de sanit. tuen. c. 4. quia non ut remedium, in sanis est exhibendum, & sic notum est ægrotantium balneum esse quod corpus in propriam & nativam dispositionem attrahere habet, sive alterando, sive evacuando, sive aliquo modo disponendo, & consequenter ægrotantium balnea sunt propriè quæ fiunt ex aqua medicinali, sive per artem, sive per naturam; id est quæ ex aqua supra modum alterata fiunt, aut quia naturaliter tales oriuntur aquæ, aut marina, aut sulphurea; aut quia per artem aqua medicinalis fit, ut dum mixtione aliquarum rerum talis resultat, aut alteratione aliqua, aliòque modo aquam mixtam appellat Galenus 1. de simplic. medic. facult. cap. 4. ubi sic ait, *Et enim si salem aqua miscueris ex confesso fuerit composita; sic multo magis si igneam, aut essentiam aut qualitatem adjeceris, compositam quodammodo effeceris.*

Erunt ergo balnea ægrotantium juxta affectuum diversitatem diversa, quorum ea quæ ex aqua naturaliter medicata procedunt, solum corporibus morbofis conveniunt, ut sunt sulphurea, nitrosa, bituminosa, falfuginosa, & similia; quia cum eorum facultates activæ valdè sint propter miscellam mineralium talem activitatem habentium, solum in corporibus ægrotantium locum habent, id est solum ubi morbus, seu ejus causa alium balneorum activitati resistat, aliàs non si-

ne noxa exercentur; sunt enim omnia quæ mineralium naturam referunt, calida, ut docet Gal. 1. de simplic. medic. facult. cap. 6. nam postquam omnium mentionem fecit, sic ait. *Ex quo claret has omnes facultatibus esse calidas, solam verò aquam potabilem esse frigidam.* Quod respiciens in comment. Vallesius, sic dicit. *Aqua omnes spontè nascentes præter potabilem calida sunt.* Ex quo deducendum est corporibus calidis necessariò nocere, prodesse verò dum morbus frigidus est: calefacere & exsiccare docet expressè Hippocrates 2. de diat. post med. Gal. 7. de composit. medic. secund. loc. cap. 1. idem refert de omnium mineralium aqua agens.

Ut aquæ mineralium naturam eorum referunt, & similes qualitates in activitate ostentant, & sic balnea spontè nascentia inveniuntur talis naturæ, ut quæ calida & sicca sint saltem in virtutes, alia etiam reperiuntur metallorum naturam referentia, & eorum qualitates in agendo, qualia sunt quæ per loca, aurum, argentum, ferrum, plumbum, & similia metalla generantia, communicant, quorum imitantur naturam, aqua chalcantosa, quia ex materia metallorum conficitur chalcanthum, de quibus Galenus diversis in locis. Avicen. verò cap. 19. sen 3. lib. 1. omnium mentionem fecit, & vires enumerat, quem sequitur Mercatus lib. de recto præsidior. usu, cap. 13. dixitque metallorum balnea frigida & sicca esse, propter eaque æris aut chalcantini naturam referunt, quæ omnia habent calefacere, exsiccare tamen expressè est in Gal. 7. de composit. medic. secund. loc. cit. & in Avicen. in ipso cap. 19. præcipue Gal. 1. de simplic. medic. facult. cap. 4. sic ait, *Alia aqua universa ulcera desiccant*, agebat de potabili. Et 1. de sanit. tuen. cap. 7. sic. *Balnea quæ medicam vim præse ferunt, omnes exiccant.*

Difficilius tamen est quid dicendum sit de balneis metallorum quoad frigefactionem, quia Avicenna dum effectus aquæ æræ, salsæ & ferreæ adducit, sic ait. *Invant in ægritudinibus quæ sunt ex frigiditate & humiditate*: Ergo sentit talium aquarum balnea calida esse, aliàs potiùs nocerent. Et licet Gentilis in comm. ferreas & æreas aquas frigidas dicat, non rectè pro Principe satisfacit; siquidem inquit conferre dictas aquas, quatenus calidæ in declinatione pro resolutione conducunt, frigidæ verò in principio ad repellendum, & omnes ad confortandum; quod etiam dissonum, ut de quolibet remedio calido aut frigido possit dici convenire in quolibet morbo, ratione diversorum temporum.

Gal. verò 1. de simplic. medic. facult. cap. 6. omnes aquas spontè nascentes præter potabilem calidas appellat. Quod Vallesius in comm. tanquam verum recipit. Et quamvis videatur Gal. loqui de aquis mineralium, & quæ referunt naturam medicamentorum calidorum, non satisfacit, nam ipse absolute sic ait. *Ex quo claret, has omnes facultatibus esse calidas, solam verò aquam potabilem esse frigidam.* Si autem aliqua aliæ aquæ frigidæ essent, non solum potabilem excluderet. Quod ostendit Vallesius: nam postquam dixit omnes spontè nascentes præter potabilem esse calidas, inquit. *Merito dictum est spontè nascentes, nam arte rectè possunt aqua confici frigida ex decoctione rerum frigidarum.* Quod si verum est, etiam metallorum aquas calidas appellat, cum spontè procedant aliàs excluderentur à Galeno & Vallesio.

Tot reperiuntur pro utraque parte patroni, ut difficile

difficile quid dicendum sit inveniatur. Gentilis & Jacobus *super fen. 2. lib. 1. doct. 2. cap. 16. & 19.* aquam metallorum frigidam appellant. Idem sentit Andreas Badius *lib. 1. de Therm. mixt. cap. 2. & Mercat.* stat etiam ratio ostendens frigidam posse esse aquam spontè nascentem: Nam sicut mixtione rerum frigidarum per artem talis resultat pluries, cur per naturam talis esse non poterit? Ad quod metalla frigida esse, ut est ferrum, plumbum, argentum, &c. ac per consequens quæ ex eorum materia aliquid participant, frigida quoque debere esse certum apparet; non minus sapor qui in aquis apparet aliquibus spontè natis, earum ostendit frigiditatem; siquidem sapor acidus ex Gal. *4. de simpl. medic. facult. cap. 6.* frigiditatem ostendit: sed plures reperiuntur aquæ acidæ spontè natæ, ut oppido de Almagro notum est; Ergo datur aqua spontè nascens frigida præter potabilem.

Nec valet si dicas Gal. & Valles. dixisse omnes spontè profluentes aquas præter potabilem calidas esse; metallorum verò quæ frigida, potabiles esse; & sic rectè compati non potabiles quæ sunt frigida: sub quibus comprehenduntur ferrata & argentea, & plumbosa: Hoc inquam, nil valet; nam etsi ad usum medicos utilis sit aqua ferrata in potu sumpta, ut docet Avic. *cap. 19. cit.* Nihilominus ad communem usum inutilis est omnino, tum quia communis potus humidus esse debet, aqua tamen ferrata sicca est, ut diximus, & ita sitim mitigare non valet; tum quia est ad gustum inepta, seu molesta; præterquam quod Galenus *1. de simplic. medic. facult. cap. 3.* per aquam potabilem dulcem intelligendam esse docet: non ergo accipienda est aqua ferrata aut plumbea pro potabili; siquidem tales aquæ neququam dulces dici possunt eo modo ac potabilis dulcis à Medicis appellatur.

Mihi tamen videtur dicendum quamlibet spontè nascentem esse calidam præter potabilem, ubi per potabilem, eam intelligo, quæ à Gal. dulcis appellatur, & per spontè nascentem quamlibet aquam naturam cujuslibet mineralis aut metalli sapientem ex propria natura; id est talem emanantem, ad differentiam aquarum quæ per artem medicata sunt, & calidæ & frigida possunt esse juxta naturam rei permixtæ. Hoc placitum ita certum apparet in Gal. ut solum aquam potabilem secludat à calore inter spontè procedentes, ut videre est quoties de ipsis aliquid refert. Quo fundamento loquutus fuit Vallesius. Avic. verò de aquis his sermonem instituit, effectus facere docet qui solum cum calore connexionem habent, & in ipsis proprium ventriculum roborare, ad coitum, & morbos frigidos facere, & ad splenis resolutionem conducere, etsi præter siccitatem hoc evenire velint Gentilis & Jacobus, quod difficile est. Nam ut docet Gal. *5. de simplic. medic. facult. cap. ult.* sicca sine calore non valdè exsiccare habent, quod erat ut humiditatum necessarium consumptio reperiretur, & ut partes roborarentur. Sic ait Avic. *Illam enim in qua virtus ferri superat, jumentum præstat ad hoc, ut interioribus fortitudo tribuatur, & ut exsiccetur virtutes aperitiva.* Et infra: *Ferrea quidam splenem resolvunt, & non coire valentes adjuvant.* Quod idem repetit *cap. 19. Et conducebant in agritudinibus frigidis.* Ergo sunt calida.

Non minus constabit hæc veritas, si attendamus aquam ferri sive spontè procedentem, sive igne-

factione factam, obstructions aperire ex communi Medicorum placito, quod proprietate quadam fieri voluit Gentilis & Jacobus *super Avicen. comment. præter rationem tamen est, & sine fundamento talis virtus concessa, ubi sufficit calor, nec gravitate propria fieri est dicendum, ut ostendunt aquæ terrestres & plumbosæ, graves & deobstruentes: Nec est dicendum procedere condensatione facta ipsorum viscerum intensè, ita ut cavitates augeantur: nam etiam cavitates minores resultare debebant, si totum visceris corpus constringeretur; dicendum tamen est fieri ratione liquorum vaporum, seu exhalationum, quæ elevantur de materia ex qua metalla conficiuntur; quæ exhalationes calidæ sunt, & aperire habent, etsi metallum ipsum postea frigidum resulter. Quod confirmat Galen. *7. de comp. 1. medic. secund. locos cap. 2.* ubi docet aquam per plumbeos canales derivatam, seu procedentem, dysenteriam facere, ut etiam *cap. 16.* repetit Avicenn. Ergo quia partes aliqua ex ipso communicantur mordaces.*

Probat hanc partem fortiùs materia quæ ex communi Chymistarum doctrina, est sulphur, & argentum vivum: sed ex metallorum materia elevantur vapores, aquam hujus, aut illius naturæ facientes: ergo aqua quæ metallorum naturam sapit ex propria natura, seu spontè procedens calida debet esse, cum calida sit materia ex qua elevantur vapores permixti. Patet in sulphure quod calidum est, quod idem judico dicendum esse de argento vivo, etsi plures frigidum esse dicant; non tamen video probabile resolvere, attenuare & penetrare, quod habet cum frigiditate, præcipuè cum ex ipso tot inveniantur transmutationes calorem significantes, ut est pulvis de Soliman, sublimatum & præcipitatum, quæ omnia calida sunt, & ex argento vivo igne conficiuntur.

Sed dices: Sicut per artem fit aqua marina, sulphurea, nitrosa, bituminosa, aluminosa, & salæ naturam referens, quæ non solum per saporem talis apparet, qualis quæ spontè procedit, verum & eisdem facit effectus, ut docet Gal. *1. de simplic. med. facult. cap. 3.* quo modo per artem ferrea, plumbea, aut similis naturæ aqua non fit qualis spontè procedit, cum nec ejus saporem manifestum ostendet, nec ejus vires. Nec valet dicere talem esse aquam chalybeatam quæ communiter utimur in fluoribus alvi, & in dysenteria, & sanguinis dejectionibus, quæ propter siccitatem dictam cohibet fluxiones, ulcera sanat, & adstringit. Hoc inquam, non valet, quia nec saporem habet, nec effectum, ut illa quæ spontè procedit, quæ per artem fit non cognoscitur talis, nisi quia ita factam fuisse constet, cui actioni saporem astringentem quem habet, tribuimus; quæ verò metallica est ex natura ejus refert accidentia, & effectus adhuc plures, & efficacius patratos alvum movet, urinam & sudores, ut docet Andreas Badius, quod faciet metallica per artem facta.

Respondetur tamen hanc esse differentiam inter aquam mineralium & metallorum, quod cum quælibet fiat ex vaporibus qui elevantur de materia ipsorum, & ipsi non sint nisi in loco in quo minerale aut metallum generatur, tales aquæ solum possunt ex propria natura esse in locis generationis talium rerum: Idè dixit Gal. fieri mixtione ipsarum. Sic ait *cap. 4. cit. Si qua verò per bituminosa, sulphurosa, nitrosa aut aluminosa loca distillans,*

Qu. II. Qualis Aqua acida, & ejus Baln. 211

non est calida : quo fundamento plumbo loto utimur ad revulsionem plurium fluxionum, præcipuè oculorum.

Nobis tamen res difficilis apparet, saltem quoad acidas aquas ; dicendum tamen videtur cum Galeno, Avicenna, & Dioscoride, aquas omnes mineralium spontè procedentes calidas esse, etsi simpliciter acidæ sint frigidæ. Quod ut intelligatur, advertendum est, non quomodolibet aquam spontè nascentem hunc aut illum comparare saporem ; sed magnâ quantitate vaporum existente, quæ sufficiat ad hoc ut continuò fluat aqua, aliàs jam uno, jam alio reperiretur sapore, prout substantia mixta esset, aut deficeret. Cùm ergo continuò aqua nascatur hujus aut illius naturæ, quæ etiam permanent per multum tempus, necessum est causam esse permanentem intra terræ cavernas, & in magna quantitate ; in illis tamen multa alia reperiri potest, nisi minerale, aut metallum, aut vapores & substantiæ ex quibus ipsa fiunt (nil enim aliud intra terræ cavernas invenitur præter ignem, ærem & aquam) : sed metallum, minerale & vapores eorum non possunt non facere aquam calidam, quidquid sit de sapore adveniendi : ergo aquæ spontè procedentes calidæ debent esse.

Ità certum est suppositum, ut non alia de causa nascantur aquæ aliquæ actu calidæ spontè, nisi quia ignis generatur quotidie, sufficiens pro aquæ calcificatione in cavernis terræ ; & aqua frigida fluit, aut quia nil calidum est quod generetur, aut quia vincitur ab aqua, idèò flumina, lacus & maria nunquam calida visuntur, quia pro tanta aqua nullus generatur naturaliter ignis, etsi pro parvis portionibus sit quæ cum multitudine miscetur & occultantur, ut ex Vitruvio docet etiam Andreas Bazius : cùm ergo intra terram nil inveniatur præter dicta, non est verè aqua spontè procedens, cùm aliam possit participare qualitatem.

Hoc placitum deduci potest ex Dioscoride *lib. 6. cap. 7.* in quo agens de veneno aconiti, inquit venenatos aconito medicari vino in quo extinctum fuerit aurum, aut argentum, aut ferrum : sed nullo remedio utitur in toto capite nisi calido : ergo calidum putat id remedium, ac per consequens aqua metallorum talis erit ; & Galenus omnem metallorum aquam calidam appellat, cum quibus Avicenna pro affectibus frigidis commendat aquas metallorum omnium, & calida enumerat omnia ex quibus acidæ fiunt aquæ, ut patet *lib. 2. cap. 170.* & ubi de quolibet agit minerali : dicendum ergo est calidam aquam calorem aliquem habere supra frigiditatem.

Sed dices experientia compertum est, acidam ità refrigerare, ut pro affectibus calidis nullum detur majus remedium quàm id quod acido constat sapore, & aquâ tali utimur pluries, ut videtur est dum aliquid olei vitrioli injicimus in portionibus quibus utimur dum sitis ingens est in febribus malignis & ardentibus ; ergo talia refrigerare habent.

Non esset dubium solvere si attendamus ea quæ dicta sunt ; diximus enim nullam metallorum aquam, neque quæ illorum excrementorum naturam sequuntur, calorem intensum habere adhuc virtute, sed remissum. Verùm si Galenum consulamus *lib. de Officin. Medic. part. 3. comm. 15.* certum est tales aquas refrigerare affectus calidos, & calefacere frigidos : siquidem quod

modicum habet calorem, calidum est respectu frigidi, & frigidum respectu calidi, quod de balneo dulcis aquæ docuit per hæc verba. *Balnea aquæ dulcis eos calefaciunt qui ex itinere immodico frigore moriuntur, exustos verò non laedunt.* Clariùs tamen habet *lib. 1. de usu part. cap. 13.* sic. *Omnis calida moderatè humiditas urisquæ immoderationibus scilicet frigiditatis & astus, æqualiter prodest.* Nil itaque invenies quod valido æstu occipatos potentiùs refrigerare, aut magna frigiditate affectos potentiùs calefacere quàm balneum. Cùm ergo balnea metallorum, & præcipuè acidæ, calida remissè sint, nil mirum quod refrigerent calidos, & calefaciant frigidos, effectusque utriusque activitatis juxta subjecti capacitatem eliciant. Ad id accidit quod acidus sapor tenuitatem magnam partium petit, ut Galenus docuit *4. de simplic. medic. facult.* ratione cujus magis penetrare habet & refrigerare consequenter magis quàm alia quæ frigidiora sunt, cùm propter eandem rationem citius enecare venena frigida doceat Galenus *3. de simplic. medic. facult. cap. 20.* dum calida exhibentur, quia magis ejus penetrat frigiditas.

Difficultas tamen est quomodo compatiatur balnea metallorum & acidæ remissè calida esse, si acidæ resultat aqua ex mixtione floris æris, seu chalcanti ; siquidem ex tali excremento chalcantum fieri docent Auctores, quod permixtæ humiditate acorem comparat : Et Galenus de aqua chalcanti expressè asserit ità calidam esse, ut corporibus calidis & affectibus calidis noceat : non ergo est remissè calida ; nam quod tale est, potiùs refrigerat & corrigit affectus calidos : Ergo si eos lædit, calidissima est : præcipuè cùm æqualiter de aqua chalcanti & sulfuris loquatur. Sic ait *lib. 1. cap. 6. de simplic. medic. facult.* *Quæcumque sulfur, aut bitumen, aut chalcanthum, aut misy, aut chalcatin, aut ut simpliciter dicam, quæ calidorum naturâ medicamentorum gustu aliquod referunt, omnes inimicæ sunt calidis corporum nostrorum affectibus.* Ergo nulla est remissè calida ; nec flos æris qui præcipuè materia ad aquam acidam est ; nec flos cujuslibet metalli remissè est : ergo nec aqua quæ ex ipsa resultat acidam.

Respondetur tamen aquam calidam non fieri quomodolibet ipsa participet de vaporibus chalcanti, seu de flore, aut excremento metallorum, sed dum de ipsis tali determinata proportionem participat ; ità ut cùm ipsi naturam chalcanti similem reddunt, et est misy & melantheria, aquam non acidam, sed acorem, fortem calidissimam & siccissimam faciunt, naturam causticam habentem, & chalcanti saporem referentem, potui omninò inutilem, seclusâ ratione medicinali : dum verò vapores ipsi in parva quantitate sunt cum humiditate multa, acidæ resultat aqua quæ inutilis judicatur omninò pro potu ; etsi ejus plures inveniuntur medicinales usus, est verò remissa caliditate, minùs tamen est, quæ minùs talium vaporum recipit, & potui apta magis, etsi pro usu medicinali non sit ità, ratione cujus etiam aqua quæ ex loco nitroso, aut aluminoso procedit, quæ communiter nitri, aut aluminis accidentia refert, dum eorum vapores in parva quantitate recipit, acidæ resultat, ut compertum est in aquis juxta tales locos repertis, ut Andreas Bazius demonstrat *lib. 5. cap. 11.*

Hujus doctrinæ manifesta est ratio : nam multitudo vaporum habet trahere aquam ad acci-

dentia ipsorum, secus verò dum aquæ quantitas vincit; dum autem medio modo se habent, tertius resultat sapor duorum, ut constat dum aliquid amarum cum insipido miscetur: nam si amarum vincit, amarum redditur totum; si insipidum, amaritudo non percipitur; si medio modo se habet, salsus resultat sapor, ut patet in lixivio ex mixtione aquæ & cinerum amarorum, & in pituita salsa ex mixtione bilis amaræ, & pituitæ insipidæ, ut cum Avicenn. *fen 1. lib. 1. doct. 4. cap. 1.* docent communiter Medici. Et hoc modo etiam judico pituitam acidam resultare ex permixtione atræ bilis, etsi acida atrabilis non sit, sed quia sicca, & tenuium partium, est mordax.

Dixi aquam fieri acidam spontè procedentem mixtione vaporum chalcanti &c. & sic cum aliquo calore mixtione alicujus succi acidi frigidi ex propria natura, ut si oxalidis succus aut aggregatæ misceretur, quia non est per naturam possibilis tantus succus ut aqua spontè acida procedat in fonte, ut est possibile permanere meatus mineralium, metallorum ex quorum flore, aut excremento aliquid communicetur acorem faciens, cum quo rectè compatitur acida simplicia frigida esse, quia non ex mixtione fiunt, sed ex propria temperie ad talem saporem facientem, quæ frigida est cum reuivente partium, ut docuit Galenus. Ad illud de plumbo dictum est metalla tandem resultare frigida; etsi aliqua ejus partes naturam sulfuris sapiant: nil mirum ergo quod infrigident ratione partium crassarum, & quæ veram naturam talis metalli compararunt: nec mirum est quod partes tenues, quæ magis habent de natura materiæ quàm ipsius metalli calidæ sint, ratione cujus oppositi effectus inveniuntur in plumbo: refrigerat propter id quod crassum ipsius plumbi, quod ex mortario terendo extrahitur; calefacere & abstergere propter tenue & sulfureum materiæ, quod ad dysenteriam Galenus & Avicenna facere docuerunt.

Ægrotantium ergo balnea sunt quæ medicinalia dicuntur (nam quæ ex aqua dulci fiunt, etsi ipsis ægroti utantur, non ipsorum propria, sed sanorum) aut arte, aut spontè procedentia, calida, aut frigida, humida, aut sicca, diversa juxta diversitatem aquarum quibus constant; quod est, diversa esse juxta diversitatem effectuum quos faciunt. Nã etsi metallorum & mineralium balnea ferè conveniunt in qualitatibus primis, quia, ut dictum est, omnia sunt calida & sicca, ex quibus deducuntur effectus alij ratione diversitatis quam habent, diversos habent producere effectus, de quibus seorsim dicemus; sunt enim alia sulfurea balnea, alia bituminosa, alia aluminosa, alia nitrosa, alia atramentosa, alia ferrea, aut his similia ex arte, aut natura; ex arte tamen tot erunt, quot diversorum simplicium potest esse mixtura.

✠

QVÆSTIO III.

De utilitatibus Balneorum medicinalium.

NON est difficultas de illis quæ per artem fiunt refrigerandi & humectandi gratiã; siquidem de ipsis eodem modo est loquendum ac de balneo aquæ dulcis, cujus *infra* erit specialis disputatio, quale sit circa ægrotantes,

& quid faciat. Difficultas existit de balneis medicinalibus spontè aut per artem talibus, qualia sunt quorum aqua naturam alicujus mineralis aut metalli sapit, seu repræsentat, aut eorum natura constat, ut acida, quæ nullius ostentat accidentia; quorum, si Andream Baziium legamus, ita ex professo sermonem fecit, ut mira & laudabilia adducat, diversis in regionibus balnea, ob diversos & mirabiles ipsorum effectus, quisque per otium legere potest: latè sanè de ipsis scripsit, & latiùs quàm pro nostra tractatione expediat, non tamen sine magna eruditione & doctrina: dicemus verò quid pro nostra faciat.

Cùm ergo balnea medicinalia omnia juxta doctrinam datam calida & sicca sint ex Galen. 1. *de simplic. medic. facult. cap. 3. & 7. de compositione medic. secund. loc. cap. 1.* & quoties de ipsis agit, & etiam docet Hippocrates 2. *de diat. post medium*, sub nomine salis, quos sequitur Avicenna *fen 2. lib. 1. cap. 16. & 19.* valide ad resolutionem humorum crudorum & crassarum conducunt; siquidem ipsos attenuant, & pro resolutione disponunt; calida enim & sicca medicinalia resolventia sunt, dicente Galeno 5. *de simplic. medic. facult. cap. 9.* docente talia esse emollientia prout ad resolutionem faciunt. Idèd 4. *aphorif. comment. 2.* talia balnea æqualiter evacuat totum corpus scripsit, ac per consequens utilia pro talium humorum functione, & pro affectibus ab ipsis procedentibus, nisi aliàs corpora calida & sicca maximè sint; tunc est cum attentione procedendum, ne affectus tollere conantes, in habitum contrarium corpus trahamus: dum verò humiditatibus abundat, audaciùs est procedendum; nam substantiæ illæ excrementitiæ consumendæ activitati resistunt, ut corpus non possit præternaturam calefieri & exsiccati: sic extenuatis periculosum balneum hoc. Cùm verò Hippocrates *lib. de salubri diat.* plus gracilibus convenire docet, quàm corpulentis seu carnosiss, loquitur de salubri & communi balneo quod humectare habet: præterquàm quod magis elucet cujuslibet balnei actio in gracilibus.

Habent etiam prædicta balnea diversos elicere effectus, prout intensio qualitatuum differunt: sic acida quia minùs calida, non ita intalia in corporibus calidis & effectibus ejusdem intemperiei, talia tamen minùs pro resolutione facienda, etsi pro attenuatione humorum crassarum conducant, & consequenter lapides frangunt, arenulas dejiciunt, nec tamen ventrem & urinas movent pluries, quod ferè omnibus medicatis aquis commune est dum in potu sumuntur: Idèd Galenus 4. *de sanit. tuend. cap. 4.* curam lassitudinis ulcerosæ adducens, considerandum docet, an quis assuetus sit purgari usu aquarum medicinalium. Aquæ verò quæ ex arte metallica sunt, potiùs adstringentes sunt quàm laxantes; spontè tamen procedentes, nitrosam, aut sulfuream habent magis, quia magis de materia metallorum participant, & sic licet propter siccitatem adstringant & corroborent, calore etiam consumente, nihilominùs ratione acrimoniæ & mordacitatis irritare, & ad expulsionem facere notum est: quarum nitrosæ adstringunt minùs, detergent, & ad resolutionem faciunt magis; cujus naturæ sunt salsuginosæ omnes; at prout ratione qualitatuum, activæ sunt magis, pro affectu medicando valent etiam. Sic metallica quæ minùs calidæ & siccæ magis pro affectibus cali-

judicetur, plura supponuntur, sine quibus præter rationem & inutile erit: in primis virtutis tolerantia est necessaria, ut in quolibet alio evacuatorio auxilio vires debilitante, seu spiritus resolvente: idem non esse lavandum, inquit Hippocrates 3. *acut. text. 59.* debiles, aut qui affectus debilitantes habent, qui in morbis alvum plus justo humidiores habent, lavandi non sunt, nec quibus vires languent, nec cibum fastidientes, &c. In cujus commentar. Galenus sic ait. *Nempè hos viribus ita defici metus est, ut succedat ea que stomachica appellatur syncope.* Non ergo sine respectu virium Balneum exhibendum. Quæ Balnei requiratur necessitas, & ejus existat indicatio, cuilibet notum est: nam quodlibet sine necessitate exerceri remedium, quam præstabit utilitatem? At cum tot efficere Balnea cognoscamus, difficile est indicationem propter quam exhibeatur deficere; sic pro quolibet morbo balneum commendat Andreas Bazius, & Mercatus loco citato. sic ait. *Profectò morborum genus nullum propè est quod in medicatis fontibus suum remediū non inveniat;* quapropter defectu indicatis non ab ipso est abstinendum, sed ratione alicujus impediētis, quod hoc sit, & quoruplex est explicatione dignum, constabit tamen de accidentibus agendo.

Dum dicimus virium indicationem esse perpendendam ut Balneum exhibeatur, dicimus de Balneo esse loquendum ut de quolibet alio remedio vires petente: nam ut sanguinis missio aut purgatio suspecta, non solum dum vires deficient, vel dum timentur lapsuræ, seu accidentia ad hoc facientia existunt; sic Balneum nec cum vires deficient, nec cum deficere timemus, aut accidentia hoc minantur, non est exhibendum. Dixi de Balneo loquendum esse ut de quolibet remedio vires petente, quatenus per remedium, medicamentum & victum, seu alimentum intelligo, quia cum hoc vires etiam petat, eodem modo de omnibus est philosophandum; ita ut nec cum adsunt, nec cum venturæ sunt accessiones, victus & Balnea exhibenda sunt, sed cum declinant aut cessant, & cum maximè ab initio distare videntur, ut docet Hippocrates 4. *acutor. tex. 34.* ita ut accessiones, seu accidentia ipsa, propter vires, tempus, seu occasionem Balnei demonstrant, ut de victus ratione dictum est.

Ordinem & modum assumendi Balneum non minus perpendere debemus, ita ut talis habeatur, qualis pro affectus necessitate requiritur, calidum pro frigido affectu, frigidum pro calido, ita ut vires firmentur & non labantur, ut docet Galenus 11. *method. cap. 10.* vel quia moderatum Balneum sit, aut quia frigidum post calidum minus lædit. Quod respicit Hippocrates 3. *acutor.* dum inquit, *Tergimine indiget ager, ut fumus non accedat, aqua abundantia que non sit impetiosa, via ad solum brevis, ingressus & egressus facilis sit; qui eluitur taceat & quiescat: caput siccandum, quin reliquæ corporis partes a frigoris injuria tueri debent.* Quibus verbis modum quem debet servare qui balneo utitur adducit, ut commodè & cum utilitate exerceatur, aliàs nocivum erit. Propter quod sic scripsit *text. 60.* *Quod si in apparatus, vel in re unica, vel pluribus peccatum incidit, tantum abest, ut prosit, ut etiam noceat.* Quod in *comment. & 10. meth.* docet quoque Galenus, & Avicenna *fen 3. lib. 1. cap. 5.*

Tria habet generaliter Balneum, aut evacuat, aut implet, aut attemperat: sic Hippocr. *lib. de*

Affect. prope finem. Balneum calidum moderatum emollit & auget corpus: quod verò opportunum modum excesserit, siccæ corporis partes humectat, & humiditas reficcat: Habet ergo dictos effectus facere: Idem Gal. 1. *de us. part. cap. 13.* ad quamlibet intemperiem Balneum utile judicat. Et 4. *aphorif. comment. 2.* corpus totum æqualiter docet evacuare; ipsum tantum replere *lib. de salubr. diat. cap. 14.* Totum quod repetit Avicen. *cap. 5. cit.* attemperat enim quatenus qualitatibus quas habet, corporis intemperiem excedentem corrigit; evacuat prout ad resolutionem facit; replet verò prout circa partes alimentum trahit, & suo calore ad coctionem seu commutationem facit: Cujus videtur rationem reddere *comm. 13. sic. At verò Balneum corpus calefaciendo maximè foris ad digestionem confert, & digestorum appositionem.* Quali diceret, Balneum per calorem alterat, foras trahit, quo modo ad digestionem facit, & ad digestorum coctionem, id est attrahendo humores, facit ad ipsorum concoctionem, & coctorum conversionem. Ex quibus effectibus quomodo se habeat in morbis deducemus; siquidem propter ipsos optatur aut prohibetur Balneum, & sic ex ipsis quibus conveniat, aut non, conabimur manifestare.

Erit ergo utile Balneum quando aliquod invenietur indicans effectu aliquo ex his quos valet facere balneo indigens, quod vel erit intemperies, vel repletio, aut inanitio; illa attemperationem petit, hæc repletionem, & inanitionem alia ex Hippocrate 2. *aphor. text. 22.* dicente, *Morbos quos causat repletio, sanat inanitio: quos verò inanitio, repletio curat, & illorum contrarietas.* Quod est intelligendum, sive per se, sive per accidens fiat; nam utroque modo Balneum se habere docuit Galen. 10. *meth. cap. 10.* Alterat enim per se, & per accidens; replet verò & evacuat non ita, sed per accidens semper: alterat quidem per se, prout qualitatibus quas habet, similes sunt affectibus, ut dum calidum calefacit, & frigidum refrigerat; per accidens tamen dum contrarij sunt, ut dum calidum & humidum resolutione refrigerat & exiccat, ex Hippocr. 2. *de diat. post medium,* sic ait. *Calida Balnea jejunium attenuant & frigefaciunt;* idem facit frigidum moderatè; ut dum in juvene carnosio tetanum solvit, ut ex Hippocr. 5. *aphor. text. 21.* Indicat ergo intemperies Balneum; repletio tamen & inanitio Balneum quoque indicat, ut ex dictis constat: nam cum resolvere & evacuare habeat, ex Galeno, pro his indicationibus convenire, nequit dubitari. Et hac ratione ab affectibus pluribus indicatur, quatenus hoc modo laxare, emollire, extenuare, acrimoniam hebetare, lassitudinem tollere, aut è contrà, reficere, impinguare, & similes effectus facere Balneum habet; sic pro morbis pluribus conferre, aut non conferre est dicendum, ut videre est in Gal. *per libros de sanit. tuen. præcipue in 3. c. 4. & 7. & in libris meth. in 20. & Avic. fen 2. lib. 1. c. 19. & fen 3. c. 5.* Quod docuit Hippocr. 3. *acut. text. 60. sic. Lateris dolorem mitigat, materiàmque maturat & educit, faciliusque reddit, satiationem lenit, articulos & ambientem cutim emollit, urinam ciet, capitis gravitatem solvit.* Quod modo dicto est intelligendum.

Cum Balneum oppositos eliciat effectus per accidens, saltem medio uno & eodem effectu per se, advertendum est hoc non posse veritatem habere, si de eodem Balneo eodem modo disposito & applicato agamus: nam idem in quantum idem, semper idem debet facere; evenit tamen hoc Balneo immutato, saltem

saltem quoad quantitatem, ut ex Hippocr. *lib. de affectionib.* diximus; siquidē moderatū calefacit & replet, excedens verò extenuat, refrigerat & resolvit; quod adhuc quoad primas qualitates præcisse fieri est notum, siquidem in juvene bene carnoso moderatum & frigidum, calefacit; longum verò refrigerat, ut *5. aphorif. comment. 21.* docet Galenus; hoc quia vincit calorem, illud quia non ita, sed retrocessum facit ad intrā, & sic valde considerare expedit; juxta affectūs necessitatem, quale, quantum & quando exerceri debeat balneum: nam, ut diximus, corpore jejuno extenuat, post cibum verò replet; ex Hippocrate *2. de diat.* & consequenter quod balneum habeat facere, ex dictis est deducendum, ut inde ejus indicantia completè cognoscantur, ratione quorum applicari debeat, aut non.

QUÆSTIO V.

Utrum plenitudine, aut inanitione existente Balneum conveniat, & quomodo.

UM balneum evacuare habeat, & plenitudo evacuationem indicet, meritò sub dubio cadit, an ita balneum indicetur à plenitudine, ut ipsa existente, balneum exhibendum sit; quod non ita intelligendum est, ut necessariò sit exhibendum, & an possit exhiberi sine noxa; aliquam balneum plenitudinem tollere manifestum est. Partem affirmativam ostendit Galenus & ratio. Nam *4. acut. comm. 19.* docet pluries balneis plenitudinem deposuisse. Sic ait. *Neque etiam plethorica facta syndrome sanguinem semper mitimus, sed & frictione, & balneis multis & abstinentiā ad id quod naturale est revocamus.* Idem repetit *4. & 13. meth. cap. 6.* Ergo balneo possumus uti plenitudine existente. Quo fundamento *3. de sanitate tuenda; cap. 8.* lassitudinem tollere docet ex Hippocr. *text. 58. 3. acut.* Ratio quoque idem ostendit: nam balneum evacuare habet rotum corpus æqualiter, ut docet Galen. *4. acutor. & 2. aphor. comm. 27.* Balneum in quinto ordine evacuationis omnium humorum adducit: sed plenitudo evacuationem desiderat ex ipso Galeno, & *lib. de plenitudine & de sang. missio. & 13. meth. cap. 6.* Ergo utile erit plenitudine existente.

Non minùs hanc partem ostendunt affectus alij quos balneum facere habet: nam ex Hippocr. *lib. de affect. & 3. acut.* balneum moderatum emollit, ex laxatione aliquo modo acrimoniam humorum obtundit: sed ij effectus utiles sunt, in qualibet plenitudine; Ergo & balneum ipsos causans. Major est nota. Minor probatur: nam laxatio & emollitio tollit tensionem in plenitudine ad vasa necessariò repertam, quatenùs ad resolutionem humorum replentium valet, evacuatio acrimonie lassitudinem ulcerosam tollit, & pro plenitudine ad vires etiam utilis est: Ergo & balneum in qualibet plenitudine utile erit, ut dicitur *3. de san. tuen. cap. 8. & 4. cap. 4.* quibus in locis lassitudinibus quæ non sine humorum multitudinis, aut acrimonia inveniuntur balneum accommodat; ergo & cuilibet plenitudini.

Si verò Galenum legamus *7. aphorif. comm. 46.*

inveniemus plenitudine existente nullatenus balneum convenire: nam super illa verba Hippocr. *Dolores oculorum balneum solvit*, sic ait. *Nec vinum, nec balneum tolerat plethorica dispositio, absque maximo detrimento.* Ut super similia verba *6. aphorif. comment. 31.* balneum convenire docet dum corpus plenum non est. Et *5. de san. tuen. cap. 12.* sic ait. *Quippe quod balneum tutum non est, nisi prius inanitum corpus sit.* Non ergo exhibendum est plenitudine existente. Quod etiam ratio demonstrat: nam balneum trahit partes externas, ut docet Galen. *4. de san. tuen. cap. 6.* idè post cibum frigidum esse, ne obstructions causet, docet Avicen. *fen 2. lib. 1. cap. 19.* sed corpore existente pleno necessum est quod humores in majori quantitate moveantur ad cutem; quam possint resolveri; ergo causabit obstructionem; quod est magnum inconveniens ac per consequens non est faciendum. Major & Minor patient in Galeno *10. meth. c. 10.* ubi docet balneum convenire dum humores mordentes, & acres in parva quantitate sunt, ita ut possint resolveri; dum verò ipsi abundant, nullatenus, quia tum horrore excitatur; ergo quando humores abundant, non poterunt resolveri à balneo, ac per consequens moti obstruunt, & febrem agitati causabunt.

Pro resolutione quæstionis advertendum est; aliud esse balneum conducere ad deponendam plenitudinem, aliud verò an securè ministrari possit plenitudine existente. Primum verum est; ut docet Galenus *locis citat.* cum quo rectè comparatur non sine detrimento ministrari, ut *locis cit.* dicitur; quia licet evacuare balneum habet, non valet pro multitudine auferenda, ac per consequens cum ex alia parte humores habeant moveri versus cutim in majori quantitate, quam valet resolvere, ventilationem impedit, facta profus obstructione, febrisque excitabitur. Quo fundamento judico loquutum fuisse Hippocrate *lib. de salub. diat. text. 11.* hæc scribens. *Gracilibus plus convenit balneum quam corpulentis;* quia cum propter multitudinem illam carnis; resolvere non valeat quod movet, plus convenit gracilibus in quibus quod alteratur resolvitur. Quod est fundamentum ut balnea medicinalia in corpulentis febres excitent, & minùs profint quam in gracilibus; quia in illis multum movent & calefaciunt quod non resolvitur ob corpulentiam, & sic excitatur febris; in gracilibus verò quod movetur, facilè evanescit: non ergo balneum utile erit corpore existente pleno, præcipuè si febris adest, quia causa ejus augetur à tenuitate & calefactione: dum verò febris non adest, minori periculo balneo utimur. Propter quod Galenus *13. meth. cap. 6.* plenitudinem tollendam esse docet sanguinis missione, aut balneo, aut frictione, aut inedia, dum febris non est; febre verò existente, phlebotomiā, aut purgatione, non verò alijs, quod non tollit quod quando corpus ex se sine humorum redundantia existit; nulla precedat evacuatio ad balneum, ut in hæctica, in extenuatis, affectibus sicis, & nudis intemperiebus; ut ex Gal. *7. de san. tuen. cap. 3. & lib. de Marc. cap. 7.* constat.

Licet verum sit balneum pro resolutione facere, & consequenter evacuare, non quomolibet est ministrandum, ut tunc producat effectum: nam si modicum sit, potius contrarium habet facere, ut Hippocr. docet *lib. de affect.* sic ait. *Balneum calidum moderatum emollit, & auget corpus*

corpus, excedens verò siccatur, juxta id quod *lib. de Offic. Medic. part. 3. text. 16.* docet, dicens. *Quibus aqua calida desuper infunditur.* Quod explicans Galenus 7. *meth. cap. 6.* sic ait. *Vbi carne implere corpus studemus, id calefaciendum est dum intumescat; ubi verò digerere & evacuare cupimus, eatenus continuandum est, dum quod prius intumuit, subsidat:* quod non quomodolibet hoc facit balneum, sed moderatione quadam per repletionem & curatione majori per inanitionem. Quod etiam *cap. 19. lib. 1.* docet Avicenna. *Et est cum in ipso diu morantur, & exsiccatur propter resolutionem; Et est cum in ipso parum moratur, & humectat, cum corpus ab eo exsiccatur antequam egrediatur sudor; Et est cum balneum ingrediuntur jejuni & vacui, & vehementer exsiccatur, & macrescere facit; cum verò ipsum ingrediuntur illico post saturitatem, impinguat, quia materia trahitur ad exteriora.* Quibus verbis non solum docet quomodo balneum utrumque faciat, verum & rationem reddit & quando balneum exhibendum sit ad utrumque effectum. Totum quod *cap. 16. de Opt. Med.* docet Galenus, qui sic ait. Quocirca aquæ calidæ & ob corporis modum, & ob diuturniorem & breviorum usum contrarij effectus videntur, quoniam corpore inani digerit, magis quàm evacuat; at repleto, magis evacuat quàm digerit, cum parvo tempore admota implet amplius quàm detrahat: sed si longior mora in perfusione sit, digerendo plus potest quàm implendo.

De balneo exhibendo inanitione existente constabit ex adducta doctrina, si advertamus non quamlibet inanitionem balneum indicare, sed illam quæ in partibus externis invenitur, tabes, seu extenuatio dicta, balneum enim moderatum implet attractione ad extra; ergo inanitione existente in partibus internis, balneum nullatenus juvabit, idè extenuare jejuno existente ventriculo, impinguare verò post cibum, docet Avicenna. *cap. 19. cit.* & Hippocr. *lib. de salub. diat. gracilibus plus quàm corpulentis convenite.* Quod verissimum est quatenus attractione factâ ad partes externas ab internis, has inaniri, & illas repleri est necessum: Et hoc modo 7. *meth. cap. 6.* Galenus balneum commendat donec intumescat corpus, dum ipsum carne replere conatur, juxta id quod docuit etiam *comment. 12. lib. cit.* Est ergo utile balneum ad replendum carne partes externas, & ad evacuandum ex internis, dum moderatum est: quo modo voluit Mercatus intelligendum esse Hippocr. dicentem balneum excedens humiditas partes exsiccare, & siccas humectare, quatenus attenuatas & siccas externas humiditate attractâ humectat, & internas humiditas siccatur, ablatione humiditatis ad extra.

Nec in hac re rectè tenet Mercatus: Nam hoc in balneo moderato invenitur quòd partes externæ humectantur per attractionem ab internis quæ siccæ relinquuntur; cum verò posita de balneo excessivo sint, non possunt intelligi modo dicto, potius balneum excedens extrinsecus & intrinsecus trahens ad extra exsiccatur, & attractum resolvens, juxta id quod docet Hippocrates *lib. de Offic. Medic. text. 15.* *Multiitudo perfusionis ad laxandum & attenuandum plurima, ad carne implendum moderata, optima est.* In cujus comm. Galenus, & 7. *meth. cap. 6.* docet balneum moderatum ad intumescentiam facere, alimento ad extra attracto, excedens verò ad resolutionem

intumescentia, ac per consequens ad exsiccationem absolutè, ut *cap. 15. cit.* docet Avicenn. Habet ergo balneum replere inanitionem extrinsecè dum moderatum est, inanire verò interius, utrumque verò dum excedit. Quo modo siccatur humectet partes, explicatum est supra.

Constat ergo ex dictis balneum convenire, prout replere & evacuare habet, nullo existente impedimento, de quibus postea, dum corpus tabidum seu extenuatum est; dum humores à partibus internis ad externas, hoc est à centro ad circumferentiam avocare conamur; dum plenitudo talis seu tanta non est, ut magna timenda sit avocatio humorum obstructivum ad extra, & eorum est necessaria evacuatio, & partium laxatio; & dum excrementorum, seu humorum cutim fædantium est necessaria resolutio. Sic in hecicis seu extenuatis balneum commendat Galenus *cap. 17. de Mat. core,* & dum purgationes sistere conamur, 4. *Aphor. comment. 5.* & in lassitudinibus, 3. *de sanii. tuen. cap. 6.* & in icteritia, 9. *de compos. medic. secund. loc. cap. 1.* Et hoc modo etiam pluribus confert morbis, in doloribus partium externarum & renum tam ex lapide quàm ex humore, illic laxando, hinc revellendo & evacuando; convulsionibus, sive evacuando, sive humectando; scabiei & impetigini, & oculorum doloribus tam ex crasso quàm ex humore mordaci, plenitudine depositâ, huic fundendo, & illic humores consumendo, ut 6. & 7. *aphor.* videre est, sicut in plurimis alijs morbis compertum est in Galeno; etsi Mercatus in dolore oculorum, ubi spiritus flatulentus est, balneum prohibeat, quando ob humorum pravitatem procedit, ex eo quod Galenus 4. *acutor. commentar. 42.* sic ait. *Cum spiritus calidus flatuosusque ad caput fertur ob humorum pravitatem, luare hos non confert.* At cum Galenus de balneo solius capitis agat, rectè ipsum prohibet, dum ob ascensum vaporum ad caput dolor oritur; siquidem balneum potius vel vapores habet, vel refrigerando resolutionem impedit; at cum nos agamus de universali balneo, dum plenitudo non obstat, adhuc cum vapor ascendit, balneum utile est. Quod verò Galenus de balneo particulari capitis agat, constat ex littera; sic enim ait. *Sanè capitis solius, quovis aliter modo habentis, caliditatem balneum juvat; cum spiritus calidus, &c.*

✠

QVÆSTIO VI.

Utrum intemperie existente Balneum conveniat.

RRÆCIPIUM indicans pro balnei exhibitione, intemperies est; cum ipsa per se contrario remedio corrigi desideret, est balneum commune quod ex aqua dulci constat pro qualibet intemperie corrigenda valeat, & sic ab ipsa indicari dubitabit nemo. Quod docet Galenus 1. *de usu part. cap. 13.* per hæc verba. *Nil invenies quod valido astu occupatos presentius refrigerare, aut magnâ frigiditate affectos potentius calefacere quàm balneum possit: cum enim natura humidum sit, & moderatè calidum, humiditate quidem natam ex caliditate siccitatem irrigat.* Idem *lib. de Offic. Medic. part. 3. comm. 15.* clariùs tamen

Quæst. VI. An Baln. conven. in Intemp. 217

lib. de Marcore cap. 7. sic ait. Etenim hoc admirabile habent balnea, quod & calidas & frigidas passiones juvant, quemadmodum & hoc, quod non sitientibus sitim accendunt, & sitientibus eandem tollunt. Quibus verbis balnea & refrigerare & calefacere docet, tanquam medium inter extrema; hoc est per se humectare semper, nisi per excessum resolutione exiccant; juxta id quod diximus ex Hippocrate lib. de affect. non tamen ipsis ad exiccandum utendum, nisi forsitan medicinalia sint.

Hoc supposito, quæstio est an ita indicet intemperies balneum, ut ipsa existente sit exhibendum: Nam cum alia conducant præter balneum pro intemperiei ablatione, non quærimus an debeat, sed an possit balneum administrari, ut de plenitudine diximus. Quod debet intelligi nullo alio dato impediente, propter id quod intemperies indicans ex propria natura habuerit: nam impedimento dato, nil mirum quod fugiendum sit balneum; & cum distemperies simplex calida sit, aut frigida, humida, aut sicca, de qualibet est dicendum, verè constabit de composita intemperie. Circa quod unum tanquam certum supponendum est, quod balneum commune pro sicca intemperie auferenda est utilissimum, reliqua verò pro humida intemperie medicanda. Quod fiet manifestum 7. de composit. medicam. secund. loc. cap. 2. ubi sic ait Galenus. Ceterum communis materia auxiliorum ad vocis organa, præter reliqua, est qua ex balneis contingit. Manifestum est autem quod dulcium aquarum dico: Marina enim balnea, & sulfurea, & aluminosa, & bituminosa, præter ea quod fortiter resiccant, inepta sunt. Docet ergo balneum commune humectare semper, reliqua verò exicare. Propter quod 1. ad Glauc. cap. 9. sic ait. Semper igitur in balneis intentio sit ut corpus madeat atque humectetur, at idcirco nec nitrum, nec sal inspergere oportet. Quod idem videre est 1. de temperam. cap. 2. & 1. usu part. cap. 13. Ex professo tamen 1. de simpl. medicam. facult. à cap. 3. ad 7. in quibus aquam potabilem & ejus balnea humectare docet, reliqua verò siccare. Quod intelligendum est secluso intenso calore exiccante & adurente, ut cap. 4. lib. 2. de simplic. medic. facult. docuit.

Constat ergo balneum commune convenire quoties humectatione indigemus: idè Hippocrate 3. acut. text. 60. sic ait. Peripneumonicis magis quam febribus ardentibus auxiliatur lavacrum; nam lateris & pectoris & dorsi dolores mitigat, sputum matrat & educit, spiritum facilem reddit, fatigationem lenit, articulos & ambientem cutim emollit, & nares humectat. Quibus verbis & effectus enumerat quos facit, & rationem reddit quare magis quam ardori in peripneumonicis conveniat, quia non solum attemperat, verum & humectando ad dictos affectus facit, qui pro tali affectu utilissimi sunt. Quæ etiam ratione in tabidis, in laxatione, in parotidis, in passionibus animi, utile censendum est balneum commune; medicinale verò in hydrope, in paralyssi, in sopore, in distensione replete, & in affectibus in quibus humiditas prævalet, & siccitas desideratur; præcipuè cum calore, in quibus etiam utile judicatur, quatenus aqua eorum ebibita ad humores dejiciendos & excrementa deponenda conducit, ut medicamentum expurgans, ut docet Galenus 4. de sanit. tuen. cap. 4.

Difficultas tamen est de intemperie calida, aut

frigida: nam cum balneum commune calorem actualem habeat, etsi tandem refrigeret, ut docet Galenus 1. de simplic. medic. facult. cap. 3. & 1. ad Glauc. cap. 9. dubium est utrum qualibet intemperie calida, aut frigida existente, balneum conveniat & exerceri possit. Calidis intemperiebus ab omni materia destitutis, balneum convenire, esseque proprium remedium; ex dictis in principio quæstionis certum apparet: Siquidem contraria contrariorum sunt remedia; & cum balneum commune frigidum tandem sit, pro intemperie calida utile erit, juxta id quod 1. de usu part. docuit Galenus, & lib. de Marcor. Ad rem tamen 6. de sanit. tuen. capite 3. in quo balneum commendat pro intemperie calida & sicca affecto. Quod etiam intelligendum est, si balneum frigidum actuale ministraretur in duratione convenienti, subjecto robusto, & valentibus viribus, ut 11. methodi capite 9. docuit Galenus: Nam aliàs aut intemperiem augebit calidam, retrocessu factò, aut corpus frigore valde alterabitur, quod fugiendum est; idè in tabidis non esse exhibendum docet Galenus 10. methodi, capite 3. nisi calidum præcedat, ne convulsio, aut quid simile accidat ac Alexandro, ut libr. de causis procatartics, cap. 2. constat.

Hinc fiet manifestum juxta Galeni doctrinam 10. methodi, capite 10. & capite 7. de Marcore, hæcticis utile esse balneum pro intemperie illa calida & sicca auferenda: nam cum talis febris à causa non pendeat remedium indicante, juxta Galeni mentem, in quo cum diariis convenire docuit, & intemperies solum per contrariam alterationem tollatur, bene stat balneum commune quod tandem refrigerare habet, pro tali intemperie, seu pro febre hæctica auferenda conducere. Et licet Galenus balneum actu frigidum pro tali febre curanda commendat ob majoris calotis permanentiam & adhærentiam, ita ut hæc scribat 10. methodi. Qui hæctica febricitantes ad balneum accedunt, nisi in frigidam sint dimissi, nil juvantur. Nihilominus non ita intelligendum est, ut in qualibet hæctica in frigidum balneum post calidum submergendum corpus sit, sed in marasmo torrido in quo mortis imminet periculum; ita ut utiliùs judicet Galenus tale corpus in marasum mutari, quam in periculo versari: at in aliis hæcticae speciebus sufficit ut ad tepidum ex balneo moderatè calidum trahatur corpus, ut ipse Galenus docet in ipso 20. method. habet enim aqua ex sole tepens refrigerare corpus, ut ex 1. de simplic. medicam. facult. docuimus.

Ut in hæctica utile judicatur balneum pro intemperie calida aut sicca auferenda, in febre diaria utile etiam judicatur balneum commune, à quacunque proveniat causa; est enim talis febris intemperies independens, ut de hæctica dicitur à Galeno 8. method. cap. 9. in quo postquam docuit hæcticam à nulla dependere causa, sic ait. Illud namque commune cum diariis hæctica habent, quod videlicet non amplius fiant, id est quod non habeant causam à qua incrementum suscipiant, omitto occasionales, quæ in quavis reperiuntur febre, balneumque non impediunt, dummodò per accidens putredo, aut plenitudo non inveniatur; nam hæc jam per se impediunt ratione febris: Vitur namque Galenus Balneo 8. meth. à cap. 2. ad 7. in curatione

Avicenna hoc placitum patrociniatur. Siquidem *fen 1. lib. 4. tract. 2. cap. 7.* agens de cura febrium putridarum in communi, post phlebotomiam & clysterem, resolutionem commendat, ad quod sic ait. *Deinde fac ipsum sudare, & aperire meatus cum illis in quibus non sit calor fortis, scilicet cum inunctione ex oleo chamæ. & cum aqua dulci tepida.* Quod etiam *cap. 20.* supponit ad curam febrium acutarum: & *cap. 39.* de cura tertianæ, sic ait. *Balneo ne approximet nisi post digestionem; post ipsam autem & apud declinationem ipsa melior est curatio.* Et *cap. 40.* de tertiana non pura. Et *cap. 42.* de causone sic ait. *Et cum declinat agritudo manifeste, tunc non est malum uti balneo, cujus aqua declinat ad frigus, & illi, in quibus magis diligitur balneum ex eis, sunt quorum febris est ex phlegmate falso; & consequenter cap. 55.* de cura phlegmatis febris falsæ, post declinationem balneum commendat, etiam *cap. 58.* ipsum prohibeat in syncopali humorosa. Et *cap. 63.* de cura quartanæ balneum utile judicat; sic ait. *Et de illis quibus fit juramentum, est sessio in aqua dulci calida ante cibum omni die, & balneatio qua humectat, & non facit sudare, nec excitat caliditatem.* Quod ter in ipso capite repetit: Ergo de mente Avicennæ balneum convenit in febribus putridis.

Rasis ita suspectum judicavit balneum, ut pro qualibet febre ipsum inutile appellat, ex eo quod tor dentur balneum prohibentia dicenda & examinanda *infra*, ut sunt cruditates, humores & alicujus partis debilitas, raro corpus invenitur quod aliquo dictorum non afficiatur; & sic raro est etiam cui balneum utile sit, præcipuè in putridis in quibus materia pro putredine majori disponitur magis calore & humiditate balnei, & agitatione facta, ut forsan obstructione causata, humoribus ad partes externas convocatis, & nondum resolutioni dispositis.

Pro hoc placito videtur facere Galenus *13. meth. cap. 6.* in quo postquam docuit plenitudine existente, au phlebotomia, aut frictione, aut balneo esse utendum, febre existente non esse per balneum evacuandum scripsit. Sic ait. *Si jam febricitet ager, nec exercitatione vacuare exuperantiam licet, nec unctioe qua excalefaciat, nec multa frictione, nec balneo, imò sanguinis missione, unà cum inedia, vel purgatione aliqua: at si nondum febricitat, omnibus jam dietis utare.* *11. meth. cap. 20.* docet partem debilem, & primarum venarum cruditatem balneum impedire: sed nulla datur febris repetens in qua pars debilis non sit; siquidam non aliam causam adducit Galenus repetentiæ febris per circuitus, nisi partem debilem recipientem, aut generantem, ut videre est *2. de different. febr. cap. ultimo.* Ergo balneum nocivum est in qualibet febre per circuitus repetente. Patet: nam balneum habet humores redundantes commovere & agitare, ita ut in partem debilem commoveantur; ergo existente parte debili in ipsa movebuntur; ac per consequens deteriore facit morbum: propter quod podagrâ, seu articulari morbo laborantes, balneo malè se habere docet Galenus *in ipso cap.* Ergo balneum in febre putrida incommodum est.

Hippocrates *7. aphor. text. 42.* sic ait. *Si febris ex bile non habeat, multa aqua calida capiti superinfusa, solvitur febris.* Quibus verbis videtur docere in aliquibus febribus putridis balneum convenire, in aliquibus minimè. Cum quo cohæret

Gal. *in comm.* sic dicens. *Febris siquidem quæ ab usione ac frigiditate sunt, à talibus balneis utilitatem sentiunt, nec minùs quæ ex lassitudinibus sunt.* Et *infra.* *Non tamen ubi inflammatio aliqua, aut alique inflammatione humoris putredo igneum calorem accenderit, balnea utiles sunt, antequam noxij humores evacuentur, aut concoquantur.* Constat ergo balneum non absolute in qualibet febre convenire, neque absolute interdicendum esse in qualibet febre putrida, cum dicat utile non esse, quoties putredo calorem accendit ante evacuationem aut coctionem humoris noxij. Quod est dicere, quando est febris: nam cum coctus aut evacuatus est humor putridus, febris cessat, cum non alio modo curari febrem doceat Galenus *cap. 89. Art. Medic.* quàm evacuatione, aut coctione causâ.

Pro hac parte stat etiam ratio ex doctrina Galeni & Autoribus desumpta. Galenus *10. meth. cap. 10.* dum convenientiam balnei in febribus ostentare conatur, sic ait. *Si quis enim balneum ingressus non inhorruit, sed laxata illi est, rarefactaque cutis, huic planè necessario prædicta succedent, excrementorum vacuatio, æqualis per totum corpus calor, exiguorum meatuum rarefactio, tensorum relaxatio, & densorum fusio.* At vacuatio quidem excrementorum omni febre est utilissima, pari modo & rarefactio: fusio tamen & calor non item: sed calor omni febre est inimicus; ar fundi succos non perpetuè est utile. Ubi docet Galenus quod balneum plura habet facere; inter quæ calor per se lædit; fusio pro fusione humorum facit, quod periculosum est, & quia pars debilis ferè semper existit, & quia in partem principem poterunt humores ruere: ob quod in morbis acutis certas judicat prænuntiationes salutis aut mortis Galenus *2. aphor. comment. 19.* alia etiam quæ utilia sunt adhuc non ita certè sequuntur, ut non possit fieri major humorum inculcatio, & consequenter major febris, si forsan aut cutis densa sit, aut pori adstricti, ita ut pro resolutione non sufficient, ut *in ipso cap.* docet Galenus: Ergo non erit utile balneum in febribus putridis.

Balneum convenire in febribus putridis eum tota antiquitate docet Hippocrat. *3. acut.* & Galen. *loc. cit.* & etiam Celsus docet. Quod ratio demonstrat: nam febris putrida curatur evacuatione & resolutione causæ remedio non calefacienti: sed balneum id habet facere; ergo est ministrandum in febribus putridis. Antecedens probat Gal. de ipsarum curatione agens *11. meth. cap. 9.* & *10.* sic ait *cap. 9.* *Expellenda quæ putruerunt per urinas & alvum & sudorem sunt.* Et paucis interpositis, sic. *Vinum aquosum omnes evacuationes movet; id faciet & temperatum aqua dulcis balneum.* Et *cap. 10.* sic: *Vbi autem quæ obstruunt detersa, dissectaque sunt; per urinas, sudorem & alvum tentandum evacuare: idque agendum ut quam minimè calefaciat materia deligetur, quemadmodum in hoc casu balneum.* Ergo utile erit in febre putrida, cum habeat movere materias per regiones convenientes ad terminationem ejus. Præterea utor ratione ipsius Galeni *11. method. capite 20.* Balneum habet humores, & fuliginosum calorem evacuare, & resolvere: sed hoc utilissimum est in febribus, ut *10. methodi* vidimus: ergo balneo debemus uti in febre putrida; febris per se indicat refrigerationem & humectationem, ut *capite 7. de marcor.* docet

docet Galen. sed balneum habet refrigerare & humectare, ut constat 1. ad Glauc. ergo balneum indicat, ac per consequens applicari debet.

Ut quæstionem resolvamus, advertendum est quod in quolibet remedio applicando, non solum respiciendum est id quod per se, verum etiam id quod per accidens facit, 1. de simpl. medic. facult. cap. 2. docet Galen. ut quale id sit dignoscamus, & consequenter ut convenientiam medicamenti inveniamus. Quod habet locum præcipue dum composita est indicatio in curatione, qualis invenitur in febre putrida, cum indicet affectus attemperationem; & hæc non solum per se debeat fieri ab aqua balnei, sed per accidens etiam quatenus causam resolvit, id quod utroque modo facit est dignoscendum, ut qualis sit præstantior effectus inveniamus, & consequenter an sit applicandum balneum: habet enim balneum commune, quod moderatum esse significat, aliquantulum calefacere, attenuare, & agitare humores quietos, ipsosque ad cutim trahere pro resolutione, ut docet Galenus 2. de caus. sympt. cap. 5. sic. Sol. & balneum, & exercitatio, excrementa quæ prius quieverant, calefaciendo, attenuando, & in spiritum vertendo, ad motum excitant. Quod hoc modo etiam ad resolutionem faciat, ex dictis est notum: fiet tamen resolutio cum balneum vincere habet quæ intra corpus sunt excrementa, ut ostendit ratio, & ipse Galenus etiam 10. meth. cap. 10. sic dicens. *Horroris causam esse dico excrementorum confertim actorum citatiorem motum. Proinde quibus horum est abundantia, caro verò, ac cutis densa, sive balneum sint ingressi, sive quoquo modo sint dimoti, his horror accidit. Contra, quibus hæc pauca sunt, & corpus ut laxetur à balnei calore, & non modò horrent, sed etiam meliores redduntur, excrementis vacuatis.* Docet ergo non quamlibet excrementorum quantitatem posse balneo resolvi, sed proportionatam, ac per consequens tunc cum erit ministrandam, evacuatio necessaria est, & humores in quantitate sint, ut non solum agitari, verum etiam resolvi à balneo possint.

Ex hoc deducitur quod primò balneum ministretur humoribus existentibus proportionatis pro balnei activitate: si in parva quantitate sint, alterare valebit juxta qualitates quas habet; quod cum moderatè calidum sit, & tandem aqua refrigeretur, potius attemperare habet in fine, resolutis in principio excrementis aliquibus. Præterea balnea medicinalia prohibenda sunt semper in febribus, quia extremè calefacere habent: Et licet ad humorum resolutionem & evacuationem faciant magis qualitatibus propriis, alterant validè & movent, ut ostendit Galenus 1. ad Glauc. cap. 9. ubi sic ait. *Marina autem aqua & salsa, plus quidem bilis educunt, sed minus quam potabiles; profunt; plus quidem qualitatibus nocent, quam evacuationibus juvent.* Dum verò humores in majori quantitate sunt quam possint resolvi à balneo communi, sive ob quantitatem præcisè, sive ob modum substantiæ resistentem agitantur, & pro majori putredine disponuntur, & horror causatur; & si pars aliqua debilis est, in ipsam moventur: totum quod non sine incommodo est. Idè Gal. 11. meth. cap. 20. tria consideranda docet ad febrem: sic ait. *In tribus his balneo quod in febribus adhibebis intentus sis oportet: uni, ut citra horrorem sit administratum: Secundo,*

quod nullum prima nota visus sit imbecillum. Tertio, quod multitudo crudorum humorum in primis venis non inveniatur. Cujus ratio est quia cum balneum movere & agitare habeat; si corpus plenum est, aut humores habet plures quam valeat resolvere, horrorem causat, aut in partem debilem ruere poterunt, inflammationemque causare, cum quo etiam cruditates primarum venarum adducit, ne per balneum ante coctionem ad partes externas trahantur, & obstructions causent, ut cap. 19. lib. 1. docet Avicenn.

Cum ergo horror causetur quoties balneum non valet humores, sive excrementa quæ alterat & movet, resolvere, quia non tam ejus valet alteratio, quantum densitas cutis, & multitudo aut crassities humoris resistit, balneum fugiendum esse constat in principio & augmento, & statu morbi, quoties cruditates, aut humores mordaces abundant: siquidem humores commotione agitati, cute pro resolutione ineptà, necessariò mordent, & incitant tempore principij & augmenti, & ferè usque ad totum statum, cutis & caro densa pro resolutione incapax, cum humores crudi aut multi sunt, idem apparet, & consequenter horror excitatur. Totum quod docuit Galenus 10. meth. cap. 10. ex professio, & latè, idè verba non adduco; propterea corpore existente pleno, aut aliquà in flammata parte, aut febre à pituita pendente, balneum prohibet Galenus 3. acut. comment. ultim. quia fluxio excitatur & horror. Sic ait. *Si balneum non evacuato corpore exhibeatur, membris affectis fluxionem parit, quo fit ut ex febre ardente laborantibus his tantum opituletur qui sine timore vel phlegmones, vel erysipelatos laborant: fervente in illis per totum corpus bile. Verum, si ardens febris ob salsam pituitam oritur, adversissimum est balneum, nec enim pituitosus humor, ut biliosus per cutem evacuat, tum quia crassus & glutinosus sit, nec extinguitur, longà egens coctione.*

Dicendum igitur nobis est, balneum in febribus putridis solum convenire materià existente coctà, quod est in declinatione, aut plenitudine deposità. Quod docet Galenus 7. aphor. comm. 42. per hæc verba. *Non tamen ubi inflammatio aliqua, aut absque inflammatione humoris putredo igneum calorem accenderit, balnea utiles sunt, antequam noxi humores evacuentur, aut coquantur.* Quibus verbis manifestè docet balneum convenire plenitudine deposità, aut humoribus coctis. Quod etiam 3. acut. comm. ult. significat sic. *Quo fit ut ex febre ardente laborantibus his tantum opituletur, qui sine timore laborant, fervente in ipsis per totum corpus bile: quod si coctionis signa habuerint, his multò magis confert.* Docet ergo non semper coctionem prærequiri, præcipue dum bilis peccat; cum dicat præcipue conferre dum signa coctionis sunt. Quæ verba significant sine ipsis signis utile in febre ardenti balneum, ut etiam 1. ad Glauc. c. 9. constat. Nam postquam lavacrum convenire docet in tertiana, sic ait. *Si verò etiam coctionis signa ostendantur, tum si sapius laveris, nil deliqueris:* Ergo sine signis coctionis utile est judicandum balneum, si corpus vacuum sit. Pro quo facit id quod c. 10. de tertiana notha docet idem Gal. sic ait. *In tertianis verò non exquisitis neque statim circa initia balneare expedit, sed cum jam coctionis signa apparuerint.* Supponit ergo in aliis sine talibus coctionis signis convenire, plenitudine deposità, ut dixerat ipsis capitibus.

Sed dices : balneum non est utile quando cutis densa est, & pro resolutione quam intendit balneum inepta; sed ante declinationem, etiam si corpus evacuatum sit, cutis est densa, & resolutioni inepta: ergo balneum ante declinationem nunquam est utile, corpore antè vacuato, ac per consequens solum erit utile dum signa coctionis sunt, & corpus vacuatum, non quando unum aut alterum adest. Majorem ostendit Galenus 10. meth. capite 10. Sic. *Quibus caro, aut cutis densa est, si balneum sint ingressi, his horror accidit.* Minor etiam in ipso capite constat: nam ostendens cur ante declinationem balneum lædat, sic Galenus. *Quippe densata hoc tempore coarctataque est & cutis ipsa, & qua sub hac habetur, carnea substantia:* concludit ergo. *At in febris inclinatione, & nos sapè, & alij Medici multi saepenumero egrotantes lavantes non parum his contulimus.* Præterea 11. meth. cap. 9. agens de cura putridarum, dum balneum frigidum pro febre ardenti commendat, signa coctionis requirit, sic ait. *Ergo si vires cuncta valentes sunt, & febris ardentissima, & coctionis nota planè evidentes, etiamsi in frigidam naturam hunc demittas, nequaquam lædetur.* Malè ergo 3. acutor. commendat in febre ardente absque signis coctionis.

Tertio, quia dum humor movetur intrà, non est occasio, ut ipsum ad extrà revocemus sine magna violentia, quam semper fugere debemus; idè ad expurgationem naturam adminiculantem desideramus, ut docet Galenus 1. aphorisi. commentar. 22. sed in augmento & in principio morborum materia ad intrà retrahitur, propter quod est pulsus coarctatus, & extrà minori calore & cum densitate: Ergo tunc non est balneum ministrandum, quod ad extrà habet movere; siquidem violentia magna induceretur naturæ quæ contrarium motum elicere conatur. Propter quod Galenus 10. method. capite 10. docens quibus balneum denegandum sit absolute, inquit, denegandum esse omnibus qui in principio & augmento morbi sunt, & pluribus qui in statu, sic dicit. *Dicoque multos eorum qui cruditate laborant, plures verò eorum in quibus mordentium excrementorum abundantia subest: omnes præterea qui vel in febrili significatione, vel in ascensu, etiam omnes, qui in summo sunt incremento, præter admodum paucos, sive sint in balneum ingressi, sive steterint in calido sole, sive exercitationes, frictions, gestationesve tentaverint, meritò horrescere.* Ad quod accedit humorem tum propter crassitiam & cruditatem quam habet, esse ad resolutionem ineptum, ut dixit de pituita.

Quartò: nam si unum aut alterum ad balneum sufficeret, pleno existente corpore, & humore cocto, posset administrari: sed coctio humoris non tollit quod ratione multitudinis plus moveatur à balneo, quam posset solvi, ità ut obstructio causetur in partibus externis humore attracto; ergo non est ministranda. Major est certa. Minor probatur: siquidem propter obstructionem quæ timetur, humore advocato ad extrà, corpore existente pleno, balneum non exhibendum: sed per coctionem humoris non tollitur quantitas obstruens, sed potiùs crassities additur, juxta doctrinam Philosophi 4. meteor. dicentis coctionem crasim parere, & Galen. capite 89. *Art. Medicin.* appellantis coctionem actionem corrigentem putredinem, manente substantiâ. Ergo valebit obstructionem cau-

fare, ut quando cruda erat materia.

Respondetur ad primum posse quantitatem humoris propter evacuationem præcedentem proportionari cum activitate balnei, & sic aliquando convenire, etsi coctio non sit, præcipuè quando humor tenuissimus & calidissimus est, ut in tertiana & febre ardenti ex bile, de doctrina Galeni 3. acut. & 1. ad Glauc. Dum verò 1. meth. cap. 10. horrorem excitari per balneum ante declinationem, & quando plenitudo invenitur, sic scripsit. *Quibus excrementorum mordentium est abundantia, cuius verò & caro densa, his horror incidit.* Quasi diceret, si plenitudo aut abundantia non esset, horror non accideret.

Ad secundum respondetur, quod licet humor moveatur ad intrà dum in parva quantitate est, nil interest ipsum ad extrà advocare per balneum; siquidem nulla aut parva violentia naturæ inducitur: neque facit quod de expurgatione dictum est, quia medicamentum violentius & intimè magis agit qualitatibus activis valde, sic periculosa est ejus actio, naturà resistente; in nostro tamen casu balneum solum habet laxare & rarefacere & cutim, & aliquantulum humorem attenuare; totum quod sine resistantia naturæ est, potiùs ipsi conducens, & sic nec ei infertur molestia; sequitur tamen ad hoc humores exhalari, quod naturæ non est inimicum. Galenus verò dixit omnes horrescere in principio aut augmento morbi per balneum; agit enim de illis de quibus antè loquebatur, in quibus dixerat excrementa abundare: nam quod minimè abundant etiam docet balneum non causare horrorem, & de his corporibus judico loqui 4. met. c. 4. dum prima die inclinante accessione balneum ministrasse fatetur, quod præcipuè intelligendum est, humore tenui peccante.

Ad tertium respondetur quod cum signa coctionis sunt, quantitas non potest esse magna, quia proportionari debet priùs cum facultate ut coquatur, sive quia præcessit evacuatio aliqua sensibilis, & sic numquam esse potest cum plenitudine magna balneum impediens; præcipuè cum natura ad expulsionem faciat, & adjuvet, faciliùs expellit, sine eo quod obstruat: Ad quod accedit quod natura perficit quædam operationes quas balneum solum perficere non valet, sed movere, expulsiones scilicet per balneum & urinam & alias regiones; ratione cujus sine timore obstructionis ministratur balneum dum signa coctionis sunt, etsi corpus plenum sit; quod balneum dictas evacuationes moveat, constat ex Gal. 11. met. c. 10.

Ex dictis patet ad balneum expectandam esse coctionem, ut id quod pro resolutione ineptum est, respectu activitatis balnei cum juvamine naturæ solvi possit; idè præcipuè expectanda est dum magna humorum seu excrementorum est quantitas, & quando materia grossa est, ut in tertiana notha, in quotidiana, & quartana; & consequenter constat cur rarè ante declinationem ministraretur: siquidem rarè corpus sine multitudine est, & nos rarè sine timore multitudinis sumus: Diaria verò cum transactâ accessione cesset, non eget balneo, nisi forsitan accidens aliquod sit propter quod exhibeatur; in hæctica tamen semper convenit, ut inquit Hippocrates 3. acut. text. 59. & Gal. in comment. & 10. meth. bis auter in die, si consuetudo præcessit, aut balneo delætatur.

QUÆSTIO VIII.

De impediētibz Balneum in febribus.

HX his quæ in hac quæstione dicentur, manebunt soluta ea quæ dicta videntur contra conclusionem immediatè positam, & seorsim plura quæ impedire balneum habent in febre, & sine ipsa, dicemus *infra*. Docuit Galenus 11. *meth. cap. 20.* tria esse consideranda ad balneum, ratione quorum balneum esse interdiciendum voluit. Sic ait. *Tribus his in balneo, quod in quacunque febre adhibebis, intenus sis oportet: Vni, quod citra horrorem sit administratum. Secundo, quod nullum primæ notæ viscus sit imbecillum. Tertio, quod multitudo crudorum humorum in primis venis non contineatur.* Et rationem reddens, sic ait. *Horror namque non solum intendere jam præsentem febrem potest, sed etiam, cum non fuit, eam interim excitare; partes verò imbecilles liquatas jam humores magis recipiunt quàm antea; crudorum verò humorum copia in totum corpus digeritur.* Quibus verbis constat manifestè, quæ & quomodo balneum in febribus prohibeant. Quod est intelligendum ratione illorum quæ cum febre ferè semper sunt, non tamen loquitur de illis quæ rarè & per accidens inveniuntur cum febre; dicemus quoque de illis. De his igitur quæ cum febre ferè semper sunt agimus: siquidem ferè semper aut horrores causa est, aut pars debilis, aut primarum venarum cruditas, quæ quatenus majorum malorum per balneum causæ sunt: balneum prohibet horror majori agitatione per febrem, humores disponens pars debilis pro tumore & febre etiam, balneo humores commovente, sicut cruditatem primarum venarum ad venas trahente majores, febris resultat, obstructione concitatà.

Et si sciamus dicta balneum prohibere, nil erit si dubitamus quæ sint quæ horrorem causare valent, aliàs ipsum ministrabit aliquis, ità ut solum agnoscat non convenire, cum jam ministratum sit, & læsio facta; dubitabit tamen semper quæ ipsum impediunt, & quibus non sit ministrandum: radicaliter enim etsi compertum existat frigidissimam & calidissimam aquam balnei fugiendam esse, quia horrorem causare valet, ut docet Galenus 2. *de caus. sympt. cap. 5.* & experientià compertum est. Siquidem frigida aut calida valde aqua superfusa horrorem excitat; attamen quæ intra nos per balneum horrorem causent, scire oportet, aliàs non cognoscemus quæ ipsum prohibeant. Galenus 10. *meth. cap. 10.* postquam commendavit attendendum esse ne horror per balneum excitetur, unicam horrores causam adduxit, excrementorum scilicet agitatorum abundantiam, in ordine ad resolutionem per balneum faciendam, quam explicat per ipsorum succorum redundantiam cum cutis densitate per balneum agitata, sic ait. *Horrores causam esse dico mordacium excrementorum confertim ætiorum citatiorem motum: proinde quibus horum est abundantia, caro verò ac cutis densa, sive in balneum sint ingressi, sive in sole steterint, is horror incidit.* Quasi diceret, motus excrementorum mordacium horrorem facit, qui excitatur quando excrementa abun-

dant, cutisque est pro resolutione inepta, & balneo humores agitantur. Docuit Galenus 2. *de caus. sympt. cap. 5.* balneum, frictionem, & exercitationem commovere quæta, & ipsa per motum horrorem facere, quæ non faciebant quæta.

Hoc non obstante dubia manet adhuc quæstio: siquidem verum sit horrorem excitari, dum humores commoventur magis, quàm pro resolutione sufficiat; quomodo hoc sit, non est cognitu ità facile, nec apparet certum dicta ad horrorem requiri: nam etiamsi mordentium excrementorum quantitas proportionata sit pro resolutione faciendâ, propter cutis laxitatem, non videtur causam horrores deficere: Ergo solutio est nulla. Antec. patet: nam horror excitatur propter agitationem humorum ad sui exitum carnem pungentium, & irritantium, ut *cap. 5. cit.* docuit Galenus, sed esse quantitatem proportionatam pro resolutione respectu activitatis balnei, & laxitatis cutis, non tollit talia excrementa carnem ad exitum pungere & mordere, quia agentia naturalia sunt, & carni per motum agitata applicantur; ergo causabunt horrorem.

Dicendum tamen est horrorem nullatenus excitari per balneum, quando excrementa mordentia sunt in quantitate proportionata per resolutionem respectu laxitatis cutis. Quod docuit Galenus *cap. 10. meth. cit.* dicens. *Quibus hæc pauca sunt, & corporis habitus ut laxetur, rarefiatque à balnei calore promptus, is non modò non horrent, sed etiam meliores redduntur, utpote excrementis per id vacuatis.* Ratio hujus manifesta existit: siquidem rarefactâ cute, humoribusque attenuatis, resolutio sequitur, irritatione qualibet seclusâ: dum verò quâtitas major excrementorum quàm pro laxitate sufficiat, invenitur, vapores agitari necessum est, quod hinc & illinc moveantur, & diversas pungant partes exitum quærentes, quod non evenit quando viæ apertæ sunt: Ergo excitabitur horror quando quantitas improporcionatur pro resolutione respectu laxitatis cutis. Quo solvitur objectio posita.

Contra stat autem quando improporcionata judicabitur excrementorum quantitas pellenâ respectu laxitatis. Ad quod Respondeo majus indicium debere sumi ex plenitudine corporis, & modi substantiæ humoris, ità ut quoties judicatur corpus plenitudine aliqua aggravari, aut licet plenitudinis absint signa, dummodò multi humores appareant; aut si pauci, ità crassi & crudi sint, ut specialis densitas, aut adstrictio in cute appareat, tunc judicandum est humores, seu excrementa esse in majori quantitate quàm pro resolutione requiratur respectu activitatis balnei, & consequenter horror timendus est. Totum quod evenire docet Galenus dum corpus cruditate laborat, aut ubi plenitudo est, ut in qualibet febre putrida ante declinationem, & sic in his balneum prohibet ob horrorem qui timetur. Sic ait 10. *meth. cap. 10.* *Dicoque multos eorum qui cruditate laborant, pluresque eorum in quibus excrementorum mordacium abundantia subest, omnesque præterea qui vel in febrili significatione sunt, vel etiam omnes qui in summo incremento sunt, præter paucos, sive is in balneum sint ingressi, merito horrescere.* quibus verbis doctrinam dictam explanat: supponit enim ante februm declinationem cutem densam esse, & pro resolutione inepta tamen: Quod etiam invenitur dum plenitudo est mordentium succorum,

aut dum humores sunt crudi. Quâ ratione etiam
3. *acut. comment. ult.* in febre ex pituita falsa bal-
neum prohibet.

Dignum tamen interrogatione est, si in dictis
causibus horror est pertimescendus, cur non dicit
omnes qui cruditate laborant, & omnes in qui-
bus abundantia adest, sed multos illorum, &
horum plures; & de alijs dicit, omnes alios in
statu excludens; nam dicta balneum fugiunt ob
horrorem qui timetur, nullus ergo erat exclu-
dendus; & quando essent, cur plures pleni, &
multi cruditate affecti, & inæqualiter ipsi.

Respondetur rectè dixisse omnes ante decli-
nationem horrescere præter paucos in statu, quia
in principio & augmento semper cutis densa est,
& humores abundant; in statu verò jam cutis
laxitatem aliquam acquirit, & humores in ma-
jori quantitate sunt, & attenuati magis, & cum
coctione, & sic dispositio aliqua invenitur ut bal-
neum conveniat; veluti dum humores non sunt
multi, aut tenaces valdè, aut crassi, pauci tamen
hanc habent dispositionem; idèd inquit, præter
admodum paucos: dicit etiam multos eorum qui
cruditate laborant, quæ nî parva sit cruditas, fa-
cultas debilis est, & horror excitatur; dum par-
va cruditas, balneum pro coctione juvat: diffi-
cilè tamen est cruditate laborare, & facultatem
non pati, ut in pluribus invenitur: sic multos
dicit horrescere, non omnes, nec plures inquit;
tamen plures eorum qui abundant excrementis
mordentibus, quia difficilè est ipsis abundare, &
non horrescere; licèt aliquando tanta possit esse
laxitas cutis, ut pro quantitate resolvenda suffi-
ciat, & sic balneum sine horrore ministretur.

Eodem modo ac cruditates balneum prohi-
bent in febre, intelligendum est pituitam falsam
balneum prohibere in febre ardenti, ut Galen. 3.
acut. comment. ult. Difficultas tamen est quomodo
Avic. *fen. 1. lib. 4. tract. 2. cap. 42. in fine*, scribat
hæc agens de curatione caulsionis, *Est cum decli-
nat agritudo, manifestum tunc non est malum uti
balneo, cujus aqua declinet ad frigus; & illi in
quibus magis diligitur balneum, ex eis sunt quorum
febris ex phlegmate falso.*

Respondetur tamen hos Autores non contra-
rari: Nam Galenus febrî ardenti ex bile bal-
neum concedit, materiâ existente crudâ, quod in-
quit nocivum esse dum à pituita falsa procedit,
quia crassus & glutinosus cum sit humor, diffi-
cilè resolvitur & coquitur. Avicenna autem in
declinatione ministrandum esse docet, quo tem-
pore materiâ jam cocta est, & tunc inquit magis
convenire balneum in febre à phlegmate falso,
quàm ab alio humore, quia cum crassior sit, in-
diget balneo resolvente magis quàm tenuis hu-
mor, quod convenit cum cura tertianæ nothæ,
in qua Galenus 1. *ad Glauc. c. 10.* balneum tribuit
post signa coctionis: Ergo phlegma causans fe-
brem post coctionem non prohibet balneum.

Dices iterum: Hippocrates 7. *aphor. text. 42.*
balneum concedit febrî ardenti, dummodò ex
bile non sit; non ergo rectè dictum est quod in
febre ex bile, adhuc crudâ materiâ balneum pos-
sit exhiberi, etsi utilis sit materiâ coctâ. Ante-
cedens patet per hæc verba. *Si febris non ex bile
fiat, multâ aquâ calidâ capiti superinfusâ, solutio
fit febris.* Docet ergo febrî ex bile non ita conve-
nire sicut alijs balneum. Licèt appareat posse res-
ponderi, quod de febre ex pituita dictum est,
quatenus magis egent alijs humores balneo resol-

vente quàm bilis, & sic illis propriè convenire f
non est ad rem; nam in hoc casu non dicit ma-
gis competere alijs febribus, sed absolutè ait;
febres non ex bile balneo solvi: quod est dicere,
febres quæ ex bile sunt, non solvi balneo.

Dicendum ergo est per bilem in hoc loco hu-
mores omnes esse intelligendos: quo sensu loquitur
ipse Hipp. etiam *lib. de natur. hum. in fine.* ubi
per bilem omnes humores intelligit, & ab ipsâ
omnes differentias febrium fieri dicit. Quid mi-
rum, quod cum febrem ex bile excludit, febrent
humoralem intelligamus; itâ ut sensus sit, si fe-
bris non ex humore habeat, aquâ calidâ superin-
fusâ, solvitur febris: quo modo intelligeretur etiâ
2. *aphor. text. 15.* dum inquit, *Vbi fauces agrotant,
aut tubercula nascuntur, excretionis inspicere oportet.*
Nam si biliosæ fuerint, corpus unâ agrotat. At
cum idem significant si pituitosæ sint, aut me-
lancholicæ excretionis, intelligendum est per bi-
lem omnes humores significare pluries Hippocr.,
ut doctè notavit Philoteus & Musa *in comment.*

Objicies iterum: Ergo ex mente Hippocratis
juxta hanc explicationem febrî putridæ non con-
venit balneum: cum dicat alias ipso solvi non ex
bile pendentes.

Respondetur Hippocratem tunc docere abso-
lutè alias febres præter putridas balneo solvi,
quia in ipsis nil est propter quod non ministretur
balneum, & sic de eis absolutè loquitur: quod
non est negare febribus putridis convenientiam,
sed affirmare id quod dubio caret; convenire ta-
men putridis docuimus *suprà* ex professo. Nec
obstat calidum & humidum pro putredine face-
re: nam hoc verum est quando tales qualitates
opponuntur termino quem intendimus producere,
scilicet cum violentæ sunt: at verò quando
naturales, seu proportionatæ sunt pro aliquo
termino, ipsum producent, & ipse resultat: sic
balneum calidum & humidum pro resolutione
facit dum materia apta est, & terminus ad reso-
lutionem resultat; dum verò materia resistit val-
de, forsan pro putredine conducit: attamen si
majoris coctionis materia capax existit, materia
coquitur, & balneum pro coctione facit, ut ex
Philosopho 4. *meteor.* docuit Galenus *lib. de sa-
lub. diet. comment. 12.*

Ad aliud de parte debili, quæ in febribus pu-
tridis reperitur semper, dum datur per circuitus
reperentia, ratione cujus balneum esse denegand-
um docuit Galenus, Respondetur verum esse in
febribus non convenire balneum, dum pars ali-
qua est debilis: Propter quod etiam dum tumore
afficitur balneum prohibetur, quia attenuatione
humorum, & agitatione factâ concitatur fluxio
ad partem debilem; & itâ non solum quia hu-
mores crassi sunt, & cutis densa, ante declina-
tionem balneum non est ministrandum, sed etiam
quia major excitatur fluxio ad partem debilem,
ad focum scilicet putredinis, sed majores & ve-
hementiores resultabunt accessiones, & forsan
febris continuabitur, si intermittens sit: attamen
plenitudine seu multitudine depositâ compe-
tente, aut coctâ materiâ, fluxio ad partem de-
bilem non est timenda; tum quia idèd declina-
tio est, quia focus putredinis aliquantulum est
correctus, aliàs non remitteretur febris, nec co-
queretur materia, tum quia materia supponitur
aut evacuata, itâ ut pro attractione à balneo fa-
cienda ad extrâ proportionata inveniatur, & sic
nil quod fluere potest existit; aut quia cocta per

vias communes ejici à natura necessum est, & sic balneum non est timendum in declinatione febris, aut corpore evacuato.

Sed est in præsentì objectio: videtur enim nullatenus balneum in febre putrida convenire; nam si solum convenit dum humor coctus aut evacuatus est, ex Gal. & ipsa febris coctione aut evacuatione cesset, videtur balneum convenire dum febris non est. Quod etiam ostendit Avicenn. balneum prohibens in febre syncopali humorosa.

Respondetur convenire balneum, nec omnino coctâ, nec omnino evacuata materiâ, totum quod in declinatione est: nam si omnino emendata, aut evacuata esset materia, superfluum erat tamquam remedium balneum: Præterquam quod adhuc sine coctione ministraretur, ut quando ab humore bilioso procedit, juxta mentem Galeni 1. ad Glauc. & 3. acut. Dum verò Avicenn. Balneum in syncopali humorosa prohibet, ratione virium, & ratione crassitiei materiæ, quorum quodlibet prohibet remedium evacuatorium: nam virium defectus evacuationem prohibet, materia quoque; nam ut ipse Avic. docet *fen 1. lib. 4. cap. 53.* ab humore crudo, aut ex satietate provenit. Hæc ait. *Hæc propter phlegma crudum est secundum plurimum, quod est ex nauseativa satietate.* Ergo prohibet ex materia balneum fugiente; quod habet locum, etiam si à bile proveniat: Nam sic ait, *Et quandoque accidit ex bile dominante grossa;* ergo semper provenit ab humore balneum fugiente, præcipue quando virium est defectus.

Objicies. Talis febris ab Avicenna curatur *cap. 58. cit.* per frictions humores ad extrâ moventes, ut voluit Galen. 12. *meth. cap. 13.* sed balneum etiam movet ad extrâ; ergo utile debet judicari in tali febre.

Respondetur, quod licet balneum ad extrâ movere habeat, non ita ut frictio, scilicet non ita securè: nam balneum movet & liquat ea quæ dum non possunt pro resolutione disponi, quia ex materia cruda non valet balneum resolutionem facere, pro fluxione in aliquam partem disponuntur, quæ fluxione timenda valde est, cum cor patiatur & consentiat maximè in tali febre, idè syncopalis est; frictio verò etsi non ita vehementer trahat, non liquat, conducit solum ut id quod pro motu & resolutione est aptum moveatur ad extrâ & resolvatur, quod sine alteratione & sine evacuatione universalis materiæ est, ac per consequens sine periculo quod imminet in balneo: idè Galen. & Avicenn. *loco cit.* somno & frictione semper esse tractandos docuerunt, ut somnus coquat, & frictio cum vigilia ad resolutionem cocti conducatur.

Ex dictis patet cruditate ventriculi duplici ratione balneum prohibere, & ut horrorem valet causare, & ut timeri debet obstructio, materiâ ante coctionem ad partes externas commotâ & attractâ, ut 10. *meth. cap. 10.* & 11. *meth. cap. 9.* docuit ex professo Galenus; & sic toties à cibo balneum prohibet cum Hippocr. 3. *acut. text. 53.* Galenus in *comment. & lib. de salubr. diat. comm. 13.* quos sequitur Avicenn. *fen 2. lib. 1. doct. 2. cap. 19.* Difficultas tamen est quomodò hæc bene se habeant, cum his quæ docet Philosophus 4. *meteor. cap. 2.* ubi inquit. *Statim enim ac aliquid coctum est, perfectum est factum, & principium talis perfectionis à proprio calore contingit, etiamsi*

auxilio eorum quæ extrâ sunt compleatur, ut cibus per balneas. Ergo balneum post cibum utile erit ad ipsius coctionem, ac per consequens non semper nocivum erit, imò pluries conveniens, cum ad ciborum coctionem faciat. Quod etiam constat ex Galeno *lib. de melanch. in medio.* Nam *balnea bene coquenti non admodum sunt necessaria, nisi lassitudo inveniatur:* ergo non bene coquenti necessaria sunt, ac per consequens à cibo utilia.

Respondetur balneum ut quodlibet medicamentum calidum, calorem nostrum posse augere, & consequenter ad coctionem alimentorum facere, ut Philosophus ait, cum quo bene stat post cibum balneum nocivum esse; nam licet prout auget calorem utile sit, cum ante coctionem distributionem cibi faciat, plura potest causare incommoda; idè à cibo ipsum prohibent Auctores; & eo utitur Galenus *comm. 13. de salubri diat.* ut moveatur alimentum ad partes externas, ubique coquatur. Sic ait. *At verò balneum corpus calefaciendo, maximè foris ad digestionem refert, & digestorum appositionem.* Quasi diceret, calefaciendo foris facit ad digestionem illorum quæ ibi sunt, & conversionem. Clariùs tamen hoc scripsit Galen. *lib. de melanch. prope fin. sic.* *Qui ventriculum habent ad coquendum non idoneum, huic frequenter balneus uti prodest, vel jejuno, vel peractâ jam concoctione.* Quasi diceret, cum ventriculus calore balnei eget, ministrandum est balneum, cum cibus in ipso non reperitur, ut tunc calor balnei sine attractione aut distributione, alimenti anticipet tempus.

Sed dices: Hippocr. 2. *de diat. post medium,* sic ait. *Calida autem balnea jejunum attenuant & frigefaciunt:* ergo non est utile balneum corpori jejuno, dum ventriculus calore roboratur eget. Quod etiam videtur docere Avic. *fen 2. lib. 1. c. 19.* in quo ait. *Et cum balneum ingrediuntur jejuni, vehementer exiccat & debilitat:* ergo non roborat ventriculum in tali casu, ac per consequens aut numquam est utile balneum pro ventriculo debili ad juvandam coctionem, aut post cibum est ministrandum.

Respondetur dubitari non posse balneum post cibum incommoda dicta facere; sic post cibum neutiquam convenire docet Hippocrates: siquidem deterius est obstructiones balneo fieri in hepate & renibus, quàm ventriculum sua debilitate relinquere, & sic roboratio est facienda balneo ministrato, dum cibo privatus est ventriculus, juxta doctrinam Galeni *lib. de affect. venum cap. 7.*

Nec ex quolibet balneo in corpore jejuno sequitur frige factio & debilitatio assignatæ ab Hippoc. sed ex immodico; modicum tamen balneum potius sine damno calefacit; idè dixit Galenus balneis frequenter uti prodest, ut calefactio per repetitionem comparetur sine debilitate, quæ ex mora in balneo poterat consequi. Quod explicuit Avic. *fen 3. lib. 1. cap. 5.* per hæc verba. *Qui impinguari desiderat, balneum post comestionem ingrediatur, si securus fuerit, ne oppilationes accidant: qui autem vult resolutionem, & macres fieri, balneandus est, dum famelicus est, & ibi multum moretur: sed qui sanitatem vult conservare, balneum ingredi debet postquam est digestum, quod est in stomacho & in hepate.* Constat ergo balneum modicum quale debet esse illorum qui tumentur sanitatem, ventriculo vacuo esse ministrandum, & tale non debilitare; & sic quando Hipp. debilitare &

& refrigerare scripsit, de immodico intelligendum, ut Avicenn. loquitur.

Q U A E S T I O IX.

Utrum Balneum in morbis ministrari possit.

DE impedimentis propriis & communibus balnei dictum est, nunc restat de aliquibus accidentibus quæ non communiter accidunt agere; quomodo se habeant circa balnei exhibitionem, à morbis capitis incipiendo. Circa quod pluries dictum est à nobis, agere de balneo communi totius corporis, ex eo quod de particulari balneo tractare, praxim attingat: & non dubitamus caput juxta affectus necessitatem lavari, ut Galenus 4. *acut. comment.* 42. ait. *Sanè capitis solius, quovis aliter modo habentis, caliditatem balneum juvabit.* Quo modo Practici omnes embrocationes diversas pro capite conficiunt, jam frigidam virtute aut actu. De balneo igitur agit præsens dubium.

Notum est imprimis morbos capitis esse & dolorem, sive partis, sive totius affectiones soporosas & desipientias, & alias quæ harum aut illarum naturam sapiunt, quatenus læsionem ex sensibus internis supponunt, aliàs morbus non esset, ut vertigo; aut in aliqua potentia ex eis quæ in capite resident, ut dum visus, gustus, sensus aut motus actio mutatur, tum pati etiam caput dicimus, quatenus potentia quæ in capite residet afficitur: at cum caput qualibet intemperie mutari possit, cum humore, aut sine ipso; ergo debet esse de balneo totius & commune, quod etiam pro capite faciat: nam si solum caput afficiatur, totum balnari præter rationem erit; idè proprie locum habet dubitatio cum à toto affectus capitis pendet, an balneum sit ministrandum solum ratione affectus partis capitis: nam si ratione alicujus conjuncti, aut alicujus etiam inclusi balneum fugiendum sit, ex alio constabit principio; ut si cum affectu capitis febris accidat putrida, aut quia casualiter accidat, ut in vertigine; aut quia eam affectus petat, ut in lethargo, ex dictis constabit solutio; dubium tamen præcisè ex ratione affectus capitis examinatur.

Pars negativa ex dictis apparet vera: nam si balneum fugiendum esse docet Galenus dum aliqua pars debilis est, 11. *meth. cap.* 20. dum caput afficitur, ipsum debile esse constat; non ergo utile esse potest balneum in capitis affectibus. Ostendit hoc placitum Galenus etiam 2. *de composit. medic. secund. loc. cap.* 1. in quo vinum, solem, & balneum prohibet in ardore capitis. Et 4. *acut. comment.* 42. *Verùm cum spiritus calidus flatuosus, quæ ob humorum prædilatationem ad caput fertur, lavare hos non confert.* Ex mente ergo Galeni in affectibus capitis non est ministrandum balneum. Cujus ratio est manifesta: nam balneum attenuare, agitare & commovere humores habet, ut Galenus 2. *de caus. symp.* scribit: sed agitatione facta non possunt humores recurrere ad caput: ergo balneum non erit utile in affectibus ejus: quod præcipue in affectibus soporosis apparet certum; siquidem cum ferè semper à materia procedant crassa & frigida, pro resolutione non valet

balneum, sed potius pro agitatione, & attenuatione, à quibus non potest non sequi fluxio major in caput.

Nihilominus verum judico balneum in affectibus corporis utile esse debere ministrari, corpore evacuato juxta necessitatem affectus. Dixi juxta necessitatem affectus, quia ubi intemperies sicca capitis dolorem facit, propter humectationem juvat balneum, quatenus in corpore plenus plus poterit elevare humectans, quam in vacuo; & quatenus qualitas balnei debet esse contraria, juxta necessitatem affectus; humida pro sicca intemperie, & sicca pro humida, & sic de cæteris. Hanc sententiam docet Hippocrates 6. *aphor. text.* 31. ubi sic ait. *Dolores oculorum meri potio, aut balneum solvit.* Ergo utile erit capiti patienti balneum, cum valet pro humorum resolutione & coctione. Quod etiam in *comment.* docet Galenus & 6. *de sanit. tuen.* sic ait. *Expedi his frequentè balneo aqua potabilis fovere, quo & calidos vapores, qui in corpore sunt, evocemus, & totum capitis temperamentum melius reddamus.* Et licet verba hæc de balneo partis possint intelligi, non tamen ita in *comm.* 6. *aphor.* siquidem balneum totius debet esse, ut humores acres ad oculos ascendentes retraherentur & evacuarentur, non ex solo capite, quia potius ejusdem partis balneum noceret, etsi corpus evacuatum inveniretur. Propter quod balneum prohibet 4. *acut.* ob spiritum calidum ascendentem ad caput, non ita esset prohibendum balneum totius, corpore evacuato, ut videtur est 6. *aphor.* Quo modo Andreas Bazius 6. *de Therm. cap.* 23. utile judicat balneum in dolore capitis, in phrenitide, lethargo, vertigine, epilepsia, mania, apoplexia, paralyti, convulsione, sive ex inanitione, sive ex repletione procedat, & tandem in qualibet capitis affectione, quatenus aut pro resolutione humoris conducit, aut pro attemperacione intemperiei morbum facientis in declinatione, constantibus viribus.

Eo modo ac de morbis capitis dictum habemus, de morbis aliarum partium philosophandum est. Sic ad morbos pectoris, 7. *de composit. medic. secund. loc. cap.* 2. balneum commendat Galenus, qui sic ait. *Cæterum communis materia auxiliorum ad vocis organa est, quæ ex balneis contingit.* Cujus ratio manifesta invenitur: nam thorax & pectus humiditatem admodum desiderant, quam valet communicare balneum aquæ dulcis: propter quod ad tales partes balnea medicinalia prohibet *loc. cit.* Quam doctrinam docuit Hippocr. 3. *acut. text.* 60. per hæc verba. *Peripneumonia magis quam ardoribus auxiliatur lavacrum: namque lateris, pectoris, & dorfi dolorem mitigat, spiritum maturat & educit, spiritum facilem reddat, fatigationem lenit, articulos & ambientem cutim emollit, urinam ciet, capitis gravitatem solvit, nares humectat.* Quibus verbis non solum docet morbis pectoris conferre, verum & rationem reddit ex effectibus quos habet balneum facere; siquidem calore & humiditate ad omnia dicta conducit, & sic de morbis pectoris, ut de morbis capitis loquitur, & corpore evacuato, morbo jam declinante est intelligendum, ne aliter major ad partem affectam fluxio concitetur.

Inter reliquas balnei utilitates, urinam ciere docuit Hippocr. cum quo consentit Galenus 11. *meth. cap.* 9. & 10. docens commune balneum evaporationes per alvum, & urinam, & sudorem sine calefactione movere: quod est intelligendum facere

facere quatenus vias laxare habet, pro resolutioneque à natura facienda conducit: Quo modo etiam in dolore renum à calculo, vel humore, utile est, menses movet, partum facilem reddit, & ad mortuum foetum ejiendum conducit: Et ut Aërio placet, etiam in articularibus doloribus in declinatione confert. Dum verò Galenus 11. *meth. cap. 20.* fluxionem concitari docet, in corpore non evacuato, est intelligendum; etsi in prædictis affectibus balnea medicinalia utilia sint tanquam resolventia & roborantia articulos; habet enim balneum commune calefacere, humectare & laxare, & sic licet ad resolutionem faciat, & hoc modo dolorem tollat, ad roborationem minimè conducit, nisi forsitan ratione intemperici correctæ pars roboretur.

Circa ea quæ immediatè posita sunt difficilis apparet controversia inter Hippocratem, Galenum, & reliquos Autores. Nam Hippocrates 3. *acutor. text. 61.* ait. *Quibus alvus est in morbis plus aquo humida, iis balneum minimè opportunum est, neque iis quibus plus iusto sistitur, neque prius soluta est. Sed neque eos qui viribus sunt exolutis lavare oportet, neque stomachi fastidio laborantes, neque vomitantes, neque biliosum eructantes, neque quibus sanguis ex naribus profluit, nisi parcius quam occasio postulet effluat.* Quibus verbis ostendit alvo fluente & stricta balneum non esse exhibendum: quod non potest verum tenere: nam si balneum ventrem movet, ut Galenus 11. *meth.* alvo stricta ipsum ministrare erit conveniens; si verò adstringit, ministrandum erit alvo soluta. Nec satisfacit, ratione virium ipsum prohiberi alvo soluta; nam tanquam prohibens distinctum immediatè inquit non convenire quibus imbecilles sunt vires: non ergo ratione virium balneum prohibet, alvo fluente, aut stricta.

Præterea quia Galenus docet in *comment.* balneum fluxum ventris cohibere: sed alvo fluente utilis est prohibitio, ergo & balneum. Constat antecedens per hæc verba. *Quibus complura per ventrem subducuntur, his balneum sistit.* Et 1. *ad Glauc. cap. 14.* ait. *Balnea verò in fluxionibus ad ventrem aptissima sunt:* malè ergo alvo fluente balneum prohibet Hippoc. cum talem fluxionem cohibere utile sit. Idem docet 4. *apheris. comm. 5.* per hæc verba. *Sicut enim balnea calida natura apta sunt obistere purgationibus; sic & calor astatis.* Ergo balneum alvo fluente utile erit. Quod placitum ut certum tenet Mercatus *lib. de rell. præsid. usu.*

Tertio balneum humectare habet: sed alvo adstricta utilis est humectatio, ergo & balneum. Quod videtur docuisse Hippocrates 6. *epidem. part. 7. text. 29.* ubi sic ait. *Veratrum epotum si celerius purgare vis, lavare oportet.* Ergo ventrem movet balneum, ac per consequens utile erit alvo adstricta.

Quarto: Nam balneum habet movere humores à centro ad circumferentiam, ut Galen. 4. *de sanit. tuend. cap. 6.* docet. Quà ratione ad cohibendum fluxum ventris utile judicatur: sed humores movere à centro ad circumferentiam est utile, ubi cibi fastidium est, aut vomitus: ergo utile debet judicari balneum in dictis affectionibus. Minor probatur: nam tales affectiones causantur ab humore in ventriculo existente, quod est in centro: sed per motum ad extra separantur apertè affectiones: ergo talis motus utilis erit in his & in aliis qui biliosa eructant; tum quia corrigit per

contrarias qualitates balneum; tum quia ad bilis evacuationem facit, ut Galen. 1. *ad Glauc. c. 9.* & Avicenn. *fen 3. lib. 1. doctr. 2. c. 5.* docuerunt.

Musa *supra 3. acut.* balneum prohibendum esse in casibus dictis voluit: nam quia verum non esset fluxum ventris prohiberi retractione à centro ad circumferentiam facta; sed quia cum loquatur Hippocrates de balneo morborum acutorum, in illis dictis accidentibus balneum non convenit, ne materia fluens aut retenta, seu vapores ejus ad totum trahatur de ventre ipso, deteriorèque faciant morbum, & sic licet utile sit balneum ad medicationem dictorum accidentium, non est exhibendum, ne majus malum eveniat, morbo acuto aucto per motum humorum ad circumferentiam, seu ad venas corporis: cum etiam voluit balneum non solum prohiberi in casibus dictis, sed ubi magna est obstructio: siquidem avocatione humorum obstructionem augeri apparet necessum, & ut sit quando alimento accepto balneum ministratur, ut Galenus in *comment. 13. de sanit. tuend.* & Avicenn. *cap. 19. fen 10. lib. 1.* scripserunt.

Valesius *supra eundem 3. acut.* licet verum fateatur balneum à centro ad circumferentiam movere, negat tamen ob hanc rationem prohiberi ab Hippocr. alvo fluente: nam potius utile foret ad alvum sistendam; sed quia humore vitioso commoto ad circumferentiam corporis, corpus vitiatum sine incommodo aut utilitate: quod ostendit, quia si corpus abundat humoribus plus quam balneum resolvere & revellere habeat, potius liquabit eos, & ad motum reddet aptiores, ut dictum est, corpore existente pleno, & vias humectatione laxas faciet; & sic tantum abest ut profit, quin potius morbum & fluxionem auget: si verò quantitas parva est & proportionata pro attractione faciendâ ad extra per balneum, totum corpus humore vitioso, & ad venas attracto, vitabitur sine necessitate: siquidem cum portio quæ movetur parva sit, ex propria natura evanescet, & poterit aliis medicinis sine inconvenienti corrigi.

Pro solutione dubiorum advertendum est Primo, fluxum ventris, seu accidentia dicta vomitus & nausæ, causari aut propter irritationem humoris, aut propter debilitatem ipsius ventriculi & intestinorum; utroque enim modo super fluxum fuit, ut 3. *de simplic. medic. facult. cap. ultim.* docet Galen. & sic juxta diversitatem causarum horum accidentium loquendum est, dum de convenientia, aut disconvenientia balnei egimus.

Secundo advertendum est, quod dum quaerimus an alvi facilitas, vel difficultas balneum prohibeat, aut secùs, intelligendum est de eo quod ratione illius affectus est faciendum, non de eo quod ratione alicujus inconvenienti potest evenire, & loquendum est secluso aliquo impedimento, propter quod sit operandum: nam si aliud inveniatur impediens, jam non ratione affectus de quo loquitur, erit operari, vel non operari.

Tertio advertendum est, quòd dum accidens de quo loquimur invenitur, etsi cum alio morbo & accidenti, dum de ipso dubitamus, an balneum conveniat, vel secùs, intelligendum est ita esse ad ipsum accidens attendendum, ut alterius indicatio sit posthabenda, aliàs ratione illius non erit balnei ministratio, aut prohibitio. Et sic dum dicimus an alvus fluida in morbo acuto balneum prohibeat, sumenda est indicatio ab eo quod

habet facere balneum respectu illius accidentis; & secundum id quod facit, dicendum est convenire, vel secus: nam si ratione morbi acuti, prohibeatur, vel non prohibeatur, non erit ratione facilitatis, aut difficultatis ventris; an vero ratione morbi acuti, aut indicatione ventris debeat Medicus operari, pertinet ad medendi methodum dum indicationes oppositæ compleantur, quod non est hujus loci: sufficit tamen scire operandum esse pro urgentiori; in præfenti tamen solùm est dicendum an alvus soluta balneum impediatur.

His positis, nobis dicendum videtur, alvo fluente, corpore non existente pleno, balneum convenire, dum fluxum sistere conamur; ut ostendunt ea quæ posita sunt; est tamen distinctione operandum, ita ut cum fluxus à mordacitate, acrimonia, vel irritatione humoris procedit, balneum utilissimum sit, quatenus propriis qualitatibus aliquo modo attemperat, & corrigit humorum mordacitatem humore dictante, sic moderato calore: Et ex alia parte commotione factâ ad extrâ, contrarius inducitur motus; idèò judicat habere locum Galenus 5. de sanit. tuen. cap. 12. dum calor est mordax, & fumida generat excrementa; præcipuè cum in tali casu suspecta debeat esse intemperies calida partis attemperacione egens: Dum verò ex debilitacione ventriculi fluxus excitatur, etsi humor fluens retractionem ad extrâ petat, cum attentione est procedendum, ne balnei humiditas pro majori partium laxitate faciat, & consequenter pro fluxione majori; & sic in tali casu balneum aliquantulum calidum debet esse, ut vehementius trahat, & minus humectet, habet enim calidior aqua exicare; erit tamen utilius balneum medicinale ex aquis scilicet exiccantibus, quale est balneum metallorum & mineralium, præcipuè æris.

Solùm restat, quomodo Hippocrates balneum dictis in casibus prohibeat: Ad quod respondetur Hippocratem non significare quid esset faciendum ratione fluxus, & reliquorum accidentium ventriculi: sed quid esset faciendum ratione morbi acuti dum talia accidentia sunt, & ratione ejus. Docet Hippocrates non esse ministrandum alvo fluente, quia periculosum valde est in morbo acuto humorem pravum ad coporis circumferentiam trahere, etsi fluxus tollatur. Quod est dicere tanti habendam esse indicationem morbi, ut quamvis utile sit alvum suppressere balneo ob majus periculum quod ex augmento morbi acuti timetur, humore ad circumferentiam attracto, alvus non sit suppressenda per balneum, sed indicationem symptomatis posthabendam esse respectu indicationis morbi: quod idem dicendum significat, etsi alvus adstricta sit ob retractionem humorum, & excrementorum retentorum ad venas, & dum ventriculus fastidiosus est, aut dum vomere, seu eructare affectat, causâ talium accidentium ad venas attractâ; hoc tamen non est docere, quod alvi fluxus, & dicta accidentia indicent ex se quid sit faciendum dum eorum prævalet indicatio cæteris; quod etiam in morbo acuto est possibile, saltem ratione virium. Ad quod respondendum est juxta id quod petunt & indicant dicta accidentia, quo casu dicimus balneum esse ministrandum tanquam remedium dicta accidentia corrigens.

Ex his quæ posita sunt tertium dubium solutione eger: ad quod respondetur, quod licet ratione humectationis balneum ad ventris duri-

tiem & siccitatem corrigendam faciat, hoc modo etiam alvum movet, juxta id quod Galenus 11. meth. cap. 10. alvo fluente potius ad ipsius suppressionem conducet modo dicto: idèò Galenus super illa verba Hippocr. *Veratrum epotum se celerius purgare vis, lavare oportet*, sic ait. *Itaque veratro intentes lavare conducit, maxime ante purgationem: quod si purgatione incipiente, aut mox ineptur a hominem lavet, humorum à purgante medicina tractorum ad interiora inclinationem retrahet ac retardabit.* Quibus verbis docet balneum ventrem suppressere, dum medicamento assumpto ministratur, retractione factâ; conducere tamen ad purgationem dum ante medicamentum ministratur, & hoc Hippocr. dicere. Quod intelligendum est quatenus vias laxas, & humores fluxionem reddit aptos per humiditatem. Quod immediatè docuit in ipso comment. per hæc verba. *His qui purgandi sunt balneo prius uti præcipit, quod celerius & minus moleste purgatio fiat; satius autem fuerit, non eo duntaxat quo medicinam assumit die, lavare hominem, sed etiam superioribus; quibus ad purgationem semper parabat.* Docuerat etiam supra hoc facere balneum; quatenus laxare valet quæ densa aut concreta sunt; juxta illa verba Hippocr. 2. aphor. text. 9. *Corpora dum quis purgare voluerit, oportet fluida facere.* Ergo prout retrahit balneum, ventris fluxus prohibet; juvat verò prout laxat. Quo modo judicandum est movere omnes evacuationes, ut voluit Galenus 11. meth. idèò dicimus, attendendum est dum balneo ad suppressendum ventrem utimur, ne forsân ipsum humiditate laxemus & debiletemus.

Musa noluit esse ministrandum balneum in morbo acuto cum prædictis accidentibus ob majus malum quod causatur retractione factâ, non tamen respondet quid indicent accidentia ipsa ex se: Et cum negari non possit, saltem ratione virium posse urgere magis talium accidentium indicationem, quàm morbi acuti, quia per ea poterunt labefactari vires, ita ut curatio morbi confici non possit, non docet quid faciendum: Nos autem dicimus balneum indicare accidentia illa ex se, quatenus ipso corriguntur, ita ut quoties eorum indicatione operandum sit, aut quia sola existant, aut quia eorum prævalet indicatio, balneum sit ministrandum, quod docent ea quæ ex Gal. sunt posita: Hippocrates verò solùm docet id quod ratione morbi acuti est faciendum, ratione cujus rectè docet balneum non esse ministrandum, quoties talia sunt accidentia.

Aliud quod de obstructione dicit, falsum apparet: nam Hippocrat. urinam movere docet, quod non esset verum si balneum obstructiones auget; & Galenus ad tollendas obstructiones & humores obstruentes evacuandos balneis utitur 11. meth. cap. 10. Quod debet intelligi multitudine depositâ, & ventriculo vacuo; nam post cibum obstructiones facere certum est, ut corpore pleno.

Vallesius etsi rectè doceat corpore pleno non esse ministrandum balneum ob rationem ab ipso adductam, ministrandum tamen est corpore pleno non existente, quia etsi portio quæ relinquatur non sit in magna quantitate, poterit continuatâ fluxione naturam debilitari, ita ut postea fluat, quod non erat ferendum ratione laxitatis & debilitatis partis, ratione cujus fluxus ventris in tempus longum perdurat, ex eo quod ferè semper incipiente fluxione ab irritatione humo-

ris postea debilitata parte, aut per fluxum continuatum, aut usu medicamentorum humidorum ad prohibendam mordacitatem irritantem fluxio continuatur, & pluries difficile corrigitur, quia forsitan mutatio causae fluxionis non dignoscitur: erit ergo utile balneum ad retractionem materiae ad partes externas cum attentione, ad roborandum ventrem, quando laxitas timetur, & ne multitudo materiae pro majori fluxione faciat: utile est non statim ac fluxio incipit ministrare balneum; sed postquam evacuationes aliquae praecesserint, quae ad deponendam multitudinem sufficiant, quod sine magna cura contingit, quia non statim ac alvus solvitur, Medicis aeger committitur.

Dices: Si balneum evacuare habet unum humorem, & fluxio ab illo excitetur, non erit remedium balneum; necessum ergo est scire quem humorem balneum evacuare habeat, & quam suppleat evacuationem.

Respondetur balneum totum corpus evacuare aequaliter, & sanguinis missionem consequenter supplere, etsi specialiter habeat humores calidos attemperare. Quod docuit 11. meth. cap. 20. per haec verba. *Quippe balneum tum totum corpus evacuat, tum, quod humidum est ac fuliginosum, digerit.* Ideo omnes evacuationes movere absolute docuit cap. 9. & 10. & 2. aphorif. comment. 17. sic clarius. *Evacuatio autem omnium humorum aequaliter fit per sanguinis missionem: proxima autem huic est, quae per malleolorum scarificationem, & quae per exercitia, vel frictions, vel balnea, & praeterea ex accidenti quae per inediam.* Idem 4. aphorif. comm. 2. Propter quod etiam ad deponendam plenitudinem aliquo dictorum utitur 13. meth. cap. 6. dum febris non est; dum vero febris adest, sanguinis missione, quia magis pertimescendum est

malum quod ex balneo evenire potest, febre existente, quam aliter.

Contra hoc videtur scripsisse Avicenn. *fen 2. lib. 1. doct. 2. capite 20.* in quo sic ait. *Et namque cum accidit balneo ut membrorum substantias exiccet, propterea quod vehementer humores resolvit naturales, licet extraneos augeat humores.* Quibus docet non aequaliter omnes evacuare, sed naturales tantum, extraneos vero augere. Circa quod Iacobus in *comment.* per bonos humores sanguinem ad nutritionem deservientem intelligit, ipsumque resolveri voluit; per malos vero humores intelligit, bilem & melancholiam, quos augeri dixit, quatenus calore attenuato & calefacto sanguine, bilis redundat, seu ejus accidentia apparent, & resoluta tenui, terrestre resultat, quod melancholia est. Attamen talis solutio est praeter rem: nam licet videatur docere solum sanguinem esse partium alimentum quod resolveri voluit, & sic corpus exiccari: non docet cur bilis ante sanguinem agente calore non resolvetur, & licet tardius melancholia ac pituita quoque, ac per consequens tota massa sanguinaria. Melius tamen dicendum videtur omnes quatuor humores aequaliter resolveri juxta capacitatem cujuslibet; & hoc velle Avicennam, dum dicit resolveri humores naturales: nam omnes quatuor naturales sunt ex consensu omnium, quidquid sit de alimento partium: Dixit vero extraneos augeri per balneum, quatenus ipsum excedens non potest non conducere ad generationem plurium excrementorum, partes distemperando. Ideo Galenus 1. *de febrif. cap. 3.* balnea superflua causare febrem docuit, ut in Avicenn. etiam videtur *lib. 1. fen 3. c. 5.* propter quod *part. 2. de natura humana comm. 1. & 2.* Gal. balneum causam esse plurium morborum scripsit. Et haec de Balneis dicta sunt.





TRACTATUS DE PROGNOSTICIS ET DE ARTE PRÆNOSCENDI.

QVÆSTIO I.

Quid sit Prognosticum, & circa quos morbos habeat locum.



HIPPOCRATES juxta diversas translationes prognosticorum lib. prænotio, præsentio, vel providentia interpretatur; siquidem his diversis nominibus utitur Gal. in *comment. præfationis*, in quo providentiæ nomen explicans non pro diversis acceptionibus quibus potest accipi intelligendum esse docet, sed prout idem significat ac prævisio, id est, visio rei antequam fiat; quod ex eo est, quia cum providentia operari, cum attentione operari significat: quâ ratione providentiâ gubernare, rectè, & attentè gubernare est. Et cum ad cognitionem rerum quæ non videtur hoc sit necessarium, idèò providentia idem est ac prævisio, & consequenter idem est ac visio, seu cognitio rei antequam fiat. Sic Galen. *Mihi verò videtur non simpliciter, sed à communi significatione quod non videantur quadam antequam fiant prævidere, & idem providentia vocabulum factum est, & ab ipsa ea præsentire, & item præsentio.*

At cum Hippocr. non solum prædicere dicat præcognoscere ea, quæ facta non sunt, sed etiam ea quæ fiunt, & præterita non videntur, rectè prognosticum esse definitum per cognitionem rerum antequam fiant, non apparet. Sic ergo definiendum est præfagium. *Est rei ex ratiocinatione cognitio antequam intueatur.* Quam definitionem dedit in *comment.* Galenus per hæc verba. *Quo circa quidquid natura sensu ratiocinatione pervertigamus antequam intueamur, prævidere hoc merito dicimus, indicantes verbo, ut talia videamus antequam fiant.* Quasi diceret: dignotio rei antequam intueatur, vel antequam per aliquem sensum percipiatur, prædictio est, quod significat verbo illo, videri antequam fiat: nam idem est cognosci antequam sensibus offeratur, ac videri antequam fiat, quæ defacto non solum ad cognitionem futurorum significandam se habent, verum, & præteritorum, & præsentium cognitionem non perceptorum se extendit, juxta Hippocrat. dicentem, *Si enim apud agros præterita, præsentia, & futura, atque ea, quæ ipsi inter narrandum omiserunt, noverit, prædixeritque, res utique agrotantium magis agnoscere credetur.* Quibus verbis docet omnium quæ non percipiuntur per aliquem sensum cognitionem prædictionem dici, & adhuc magis in his, quæ præfuerunt, vel omittuntur, prædictio elucet: quia cum cognoscat ager ea

Henriquez Laurea Medica Tom. III.

quæ fuerunt percaluisse Medicum, & morbum cognoscere non dubitat; non tamen ita se habet circa futura, quia etsi verum proferat, non constat ita esse.

Si quæras, quomodo, quæ non percipiuntur per sensus, cognoscantur? siquidem nil est in intellectu, quin prius fuerit in sensibus.

Respondetur, prænotionem non fieri sine perceptione alicujus, id quod prænoscamus significantis, signorum scilicet, quæ ex Gal. *cap. 8. de historia Philosophi* in cognitionem rei nos ducunt; habent enim præter speciem sui quam ingerunt sensibus, aliquid aliud significare ex Philosopho *de interp. c. 1.* sic ipsis cognitio in alterius devenimus cognitionem, vel naturaliter, vel ad placitum id habeant. In morbis autem signa naturalia sunt quæ id quod dignoscere intendimus demonstrare habent, licet sit morbi essentia, vel magnitudo, vel mors, vel tempora, vel terminatio, vel causa, vel ejus coctio, & cruditas; talia sunt accidentia aliqua morbi: idèò Galen. dixit Hippocr. agere de signis. Sic ait, *In prognostico verò, quam signorum per quæ præcognitiones sunt facultas sit, declarandum est*, nemo enim dubitat hæc accidentia symptomata esse, verum & morbus ipse ad prognosticum conducit juxta Hippocrat. *1. aphor. text. 12.* dicentem, *Accessiones & constitutiones morbi indicabunt anni tempora, & per circuitus successiva incrementa, & ex his quæ mox apparent indicia sumuntur, & c. & 1. epid. p. 3. text. 1.* morbos dignoscimus ex communi omnium natura, & cujusque propria edocti, post quæ plura accidentia adduxit, quæ signa sunt ad prognosticum facientia, propter quod ait Galenus in *comment.* *sunt hæc sanè prognostica Theoremata.*

Cum ergo status corporis humani ex actionibus, facultate præcipue pateat: siquidem in tantum salutis est, in quantum ad rectè earum operari conducit, & è contra ad cujus cognitionem alia symptomata conducere notum est ex Galenò, ex actionibus ipsis præcipue, necnon ex symptomatibus ipsis morborum natura est indaganda, magnitudo, mos, & reliquæ differentia juxta ipsorum symptomatum differentiam quoque: docuit enim Hippocr. *1. aphor. text. 7.* *Vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores: & statim tenuissimo victu utendum est: ubi verò non: tantum cibi indulgendum, quantum morbus extremis est mollior.* Ergo ex accidentibus ipsis juxta eorum diversitatem, morborum diversitas est indaganda, pro victus ratione instituenda. Quod deducitur faciliter si naturale esse & operari partium viventis & facultatem ejus cognoscamus; cum ex mensura à naturalium recessu morbi intensio sit indaganda, ut Hippocr. *ex communi omnium natura, & cujusque edocti propria; necnon etiam, ut in ipso textu docet, ex mor-*

bo, ex ægro, & ex offerente, atque accidentia diversa adducuntur ad præfagium sumendum, ut in *comment.* Galen.

Unum tamen speciale docet Hippocr. scilicet doctrinam horum lib. circa morbos acutos esse ex eo quod præcipuè ars præfagiendi in ipsis locum habet; ait *text.* 1. *Considerare autem oportet hoc per morbos acutos.* Et 3. *prog. text.* 36. sic. *Hæc autem dico de morbis acutis, & his, quæ sunt ex ipsis.* Vti per acutos non solum verè tales, sed qui ex decidentia sunt debent intelligi, cum dicat, & his, qui sunt ex ipsis, & consequenter de aliquibus affectibus agit, saltem ex decidentia talibus, ut *lib.* 2. *cap.* 1. docet Galenus, egit tamen præcipuè de acutis, quod ex his quæ de aliis dicenda sunt, constabit, & quia in acutis faciliùs præcognoscendi accidentia inveniuntur quàm in longis, ut 2. *prog. text.* 7. Hippocr. ait, *Morbus qui longiori spatio finire debent ab initio perquam difficile discernere, quòd dissimillima sint eorum principia.* Et infra: *Morbi autem tempore brevi, finem attingentes, faciliùs dignoscuntur,* utpote qui protinùs ab initio maximis distinguuntur differentiis, idque Galenus 3. *de Cris. cap.* 1. & 3. docet, crises solum in morbis acutis reperiri, alios verò morbos non tam crisi quàm solutione terminari. At cum ars præfagiendi requiratur, præcipuè ad subitas mutationes prævidendas, in morbis acutis locum habet, præcipuè sunt illæ, quæ majori consideratione egent ad operandum, & in ordine, ad quas virtus vel facultas est perspicenda tamquam quid non minimum terrorem inducens si absque prævisione accidar, ut *cap.* 2. *lib. de Cris.* docet Galenus.

Objicies Hippocr. 2. *aphor. text.* 19. dicentem, *Acutorum morborum non sunt omninò certe prænuntiationes salutis, vel mortis,* ergo ars prædicendi non habet proprium locum in eis. Patet: nam ars prædicendi talis debet esse quòd rarò fallat, ut Galenus in longa præfatione prognosticorum dicit. *Fidi Medici interest vestigare, quo pacto quispiam in agris prædicendo ventura magna ex parte verus sit, rarò falsus.* Sed ubi incertæ sunt prænuntiationes salutis, vel mortis, timendum est magna ex parte falli, ergo non est in eis ars prædicendi propria. Valles. 10. *acut.* 610. ut dubium solvat, prænoscenti tempus considerat, vel antequam signa coctionis appareant, vel post ipsam, & ait 2. *aphor.* loqui Hippocr. de quolibet tempore prænoscenti in morbis acutis, dummodò signa perfectæ coctionis non sint, nam semper verum est, non omninò certas esse prænuntiationes in eis, nisi materià perfectè coctà existente; nam tunc certam esse salutem in quolibet morbo longo, vel acuto non potest negari, ut Galenus 1. *aphor. text.* 12. sic, *Memorià tenendum coctionis signa semper bona esse,* & 1. *de cris.* sic. *Coctiones celeritatem crisis, & securitatem ostendunt:* at verò cum 3. *prog.* ait Hippocr. morbos breves faciliùs quàm longos discerni, & ad prognosticum facere, intelligendum esse voluit Valles. antequàm signa coctionis appareant, nam tunc accidentia aliqua inveniuntur conspicua in morbis acutis, secùs autem in longis; & sic ad discernendù facilius est in ipsis dispositio & magis ad præfagium, quidquid sit de securitate prognostici; dum verò signa coctionis sunt, æqualis est facilitas in omni morbo ad præfagium, quod æqualia signa reperiuntur coctionis.

Hæc tamen solutio non facit satis: Nam licet

verum sit manifesta, & distincta magis inveniri signa in morborum acutorum principio quàm chronicorum, & sic faciliùs fieri præfagium in illis, ut Hippocr. ex hoc non deducitur hoc esse verum solum ante signa coctionis, est enim semper verum: nam sicut accidentia morbum sequentia, ante coctionem sunt distincta magis in acutis, vel ratione ipsius materiæ, vel ipsius naturæ morbi, propter quod celerius movetur, idem debet evenire materià coctà manifestè, vel perfectè, comparatione factà ad morbos longos: sed ante coctionem fit prænotio faciliùs in acutis ob destinationem accidentium, ergo & post coctionem. Major patet: nam una est materia ante coctionem & post ipsam, & idem morbus, & motus ejus solum differentia in coctione & cruditate: sed idem reperitur in longis, ergo eandem proportionem distinctionis quam habent acuti ante coctionem & post ipsam, debent habere longi, ac per consequens faciliùs absolutè fit prænotio in acutis, quod non tollit securius fieri in longis ob rationem adducendam.

Si dicas coctione existente esse signum propter quod æquali facilitate in utroque prædicatur, & æquali securitate, quod non invenitur ante coctionem. Contra est, quia licet ex hac parte æquale signum detur ad prædicendum in utroque morbo, cum non solum ex coctione sumatur prædicendi indicium, sed etiam ex aliis accidentibus, & hæc distincta magis sint in acutis quàm in longis, faciliùs in ipsis, quàm in his sit absolutè prædictio.

Quòd in acutis morbis non sint omninò certæ prænuntiationes, idè esse docuit Galenus in *comment.* quia cum à materia dependant tenuiori, faciliùs movetur, in unam, vel alteram partem tuere possunt, præcipuè cum in ipsis mutationes eveniant subitanæ ob eandem causam, ratione ejus poterit forsan in aliquam partem primùm subito mitti, & mors evenire, dum salus ob dispositionem materiæ expectabatur, & salus, quando timebatur mors, si ad extrà forsan materia mittatur: ex quo fit absolutè esse proferendum in acutis non esse omninò tutas prænuntiationes. Ad dubium tamen dicimus verba hæc non significare incertas pluries esse, sed rarò, ut Galenus in *comment.* sic. *Nunc Hippocr. ostendit inquiens, non omninò certas esse prænuntiationes, quamquam aliquando, quamvis rarò Medicus aberret.* Sed ut dixit ipse in *præfatione ad prognosticum,* rarò falli, non est falli: ergo dicere non esse omninò certas, non tollit morbis acutis propriè magis artem præfagiendi convenire, quia in ipsis, & faciliùs fit, & certò, & quia subitæ mutationes, propter quas valde necessarium est præfagium, in ipsis solis inveniuntur.

QUÆSTIO II.

Quæ sint in morbis præfagienda.

Tractatu 2. de rebus contra naturam quæsitum fuit, quæ in morbis ad curationem essent prævidenda, ubi absolutè omnia, quæ cognosci desiderabant ad curationem perficiendam proposuimus, prout abstrahit à parte diagnostica, & prognostica: est enim in Medicina alia pars diagnostica, quæ circa cognitionem rerum

rerum naturalium, nonnaturalium, & contra naturam agit, nullo alio habito respectu; & alia prognostica, quæ rerum cognitionem supponit, & specialiter habet ex antecedentibus eventum deducere: propter quod Galenus prælagium dicit esse esse ex ratiocinatione rerum investigationem, & cognitionem: De hac ergo quærimus circa quæ locum habeat, id est, quæ sint in morbis prælagienda in ordine ad victus rationem seu curationem ad quam omnes aliæ Medicinæ partes ordinantur. Propter quod tractatu cit. diæticam partem & pharmaceuticam sub eodem membro posuimus, non quatenus victus ratio curare directè sit, sed quatenus victu & auxilijs omnis perficitur curatio.

Hippocr. 1. prog. in præfat. videtur significare prognosticam Medicinæ partem quæ habet deducere ex antecedentibus eventum, versari circa præteritum, præsens, & futurum, ait sic. *Si enim apud agros præsentia, præterita, atque futura noverit, prædixeritque, &c.* ego ars prognostica non solum de futuris, sed etiam de præsentibus & præteritis agit, ac per consequens pars Medicinæ est pro salutis conservatione, vel consecutione necessaria: nam, etsi Methodici antiquitus hanc partem ad Medicinam non pertinere judicent, falluntur planè; nam ut ait Galenus 10. Metho. capite 6. *Curatio dignotionem, prænotionemque consequitur*, ut etiam Hippocr. in ipsa præfatione, ait, *Curatio autem optime molietur prævidens futura.* Ergo.

Galenus in comment. præfationis etsi ad artem prælagiendi, præterita, præsentia, & futura dignoscere velit pertinere, quatenus ea quæ non videntur, ac si non essent cognoscuntur, sic ait, *Si enim que sensibus usurpantur quibusdam pervestigamus indicijs, merito talia dicimus prævidere perinde quasi videantur, antequam fiant.* Nihilominus solum prævidere futura utile ad curationem dicit; sic ait. *Vsu verò inter se admodum dissident, futurorum enim præsentio utilissima est, præteritorum autem inutilis;* ergo ars prælagiendi, quæ pars Medicinæ est, prout ad curationem facit, solum debet esse futurorum. Idèd Hippocr. postquam dixit curationem optime moliri futuris prævisis, hoc modo à calumnia Medicum liberare docuit, etiam dum æger periturus est; non ergo prælagium utile est circa alia quàm futura: patet; nam præterita nulla exposcunt.

Tamen verum est prælagium circa præterita, præsentia, & futura locum habere, ut Hippocr. docuit, & omni modo ad Medicinam utile esse. Quod patet: nam partes Medicinæ idèd utiles sunt, quia pro aliquo necessario ad consequutionem sanitatis conducunt: diagnostica prout ad cognitionem illorum, quæ conservationem, vel destructionem requirunt conducunt; ignoto omnium namque conservando, vel destruendo pro quo, vel contra, quid operandum, ignotum erit; Pharmaceutica, & Diætica prout ad medicamenta, & victum ministranda conducit. Prognostica etiam ad conservationem sanitatis facit: Ergo pro Medicina utiles. Major est certa: minor ostendit Hippocr. In prognosticorum præfatione, ubi sic ait. *Curationem optime molietur prævidens futura.* Et Galenus in comment. sic ait. *Ex prædictione existimat æger Medicum agnoscere ægrotantis naturam, sed hoc existimans se exhibet obsequentiorum, & sic morbo facilius vindicatur; at vindicari à morbo facilius conducit ad*

curationem: ergo ars prænotandi ad curationem utilis est.

Præterea quòd de prognostico futurorum manifesta sit utilitas, ut longa præfatione docet Galenus ex Hippocr. propter quod status cognitionem ad crism prælagiendam magnoperè commendat 3. de cris. cap. 5. De cognitione præsentium, & præteritorum probatur. Nam nullo modo melius applicatur remedium quàm cognitivis indicantibus ab omnibus petentibus, vel prohibentibus: sed hæc cognoscuntur melius prælagio factò de præteritis & præsentibus, quàm non factò: ergo melius fiet curatio ipso factò, ac per consequens pro Medicina erit utile. Major est certa. Minor probatur, quia prælagio deficiente de præsentibus, vel de præteritis, plura quæ possunt obstare, inveniri possunt, & plura quæ indicent sine quorum indicatione fiet operatio; quod idem dicendum est de præteritis: siquidem ipsis cognitivis plura, quæ subsequuntur discernentur de præsentibus, vel de futuro, ut quid faciendum certius deducantur.

Probat hanc partem Hippocr. 1. prog. text. 4. ex facie, sic ait. *Quòd si inter initia hujusmodi facies appareat, (adduxerat quam Hippocraticam appellamus) nec ex alijs indicijs conjectura sumi possit, inquirendum est, an vigilia, vel ventris resolutio, vel inedia præcesserint.* Quibus verbis docet ad curationem præterita cognovisse utilissimum esse, cum dicat, *si alijs signis non possit sumi conjectura, inquirendum est,* quasi diceret: si ex alijs signis non consent quæ præcesserunt, ut causam faciei Hippocraticam inveniamus, interrogandum est; sed talis interrogatio est utilis ut id quod faciendum est deducamus: Nam si causa procatartica præcedat, levis est affectio, levi egens remedio; si verò non præcedat, gravis, attentione majori egens, ergo hoc ignoto non conficietur secundum rationem curatio, ac per consequens cognitio præteritorum ad curationem conducit. De cognitione præsentium minus dubitari potest, & sic ars prognostica secundum omnes partes utilis est in Medicina.

Nec Galen. contrarium voluit: nam dum in longa præfatione dixit utilissimam esse futurorum prænotionem, præteritorum verò inutilem, est intelligendum prout ipsa præterita sunt, quæ cum non sint, nec timeantur, nil indicant; quod non tollit ad curationem eorum prævisionem facere modo dictò; addit tamen unum speciale præteritorum præsentio, Medico scilicet auctoritatem: Quod per illa verba docuit Galen. *Præteritorum prænotio inutilis alijs, sed utilis uni Medico, cui libeat artem suam ostentare:* docet enim aliquid particulare habere præteriti prælagium ad Medici ostentationem: nam, etsi quodlibet prælagium mirandum sit dum præteritum manifestatur, de scientia, & vera sufficientia Medici est certa notitia apud ægrum, non ita dum futurorum est prælagium, quia donec eveniat, de veritate non constat, idèd post prædictionem præteritorum ardentius ægri Medico committuntur, ut docet Hippocr. quod non minus pro curatione facere docet Galen. cum hoc modo obedientiores remedijs fiant, nullum renuentes, & sic perfectius curentur.

Dices: Ars prælagiendi nullo modo à diagnostica differt: ergo prælagij definitio verè diagnostica convenit, ac per consequens non rectè definitum est. Antecedens patet: nam dignotio morbi

vel alicujus alterius, per sua signa fit, ita ut ex illis hunc, vel illum esse affectum deducamus: sed hoc est dignotio rei ex ratiocinatione antea quam intueatur; ergo dignotio, & prænatio non differunt. Major est certa: minor constat, quia non alio modo cognoscitur res, quæ per præfagium comprehenditur, quam quæ per veram dignotionem: ergo non differunt. Hoc patet magis in cognitione cujuslibet rei præsentis, quæ per sua indagatur accidentia; propter quod Galen. 1. *prognos. comment.* 1. ait, *Sed præsentium cognitionem proprio, & suo nomine dignotionem nominare consuevimus.*

Respond. verum esse rerum essentias indagari ex accidentibus, hancque investigationem dignotionem nominari tamen hæc est differetia ab investigatione, quæ verè dignotio est, & ab illa quæ dicitur præfagium, quæ dignotio fieri debet per signa ita naturaliter objectum cognoscendum significantia, ut naturalis sequela ferè nullo intervenienti discursu cognoscatur. Non nego intellectus ad dignotionem concursus, sed assero ferè naturaliter ex talibus accidentibus talem effectum immediatè deduci: prænatio verò etsi per accidentia fiat objectum significantia, non ita naturalem, & immediatam dependentiam dicit, ut non sine magno discursu, vel discursuum repetitione consequatur; idè Galen. præfagium investigationem rei per ratiocinationem appellat, quasi non in repetitis discursibus, vel illationibus fiat, & consequatur, ita ut quoties paucis fundamentis vel principiis remissam connexionem habentibus aliquid indagamus, vaticinari dicimus, siue præsens, vel præteritum, vel futurum sit. Sic in præfatione Galen. *Vates mirandus est qui tamquam præsentia dicat præterita quæ non vidit, quam quæ futura prænuntiet: pari ratione, qui ea, quæ nunc geruntur, antequam videat:* Est ergo ars prænoscenti circa præterita, præsentia, & futura, ita ut quæ vates veluti sine principiis comparabit, Medicus signis remotis valde præcognoscat; dignoscat verò dum ipsis rei valde significativis operatur, etsi lato modo dignotio appellatur quælibet cognitio, tam præsentium quam futurorum, & præteritorum, propriè magis, quæ præsentium est. Propter quod Galen. ita juxta consuetudinem dici docuit; in rigore tamen dignotio est cognitio rei propria ejus valde significativa; prænatio verò dum veluti vaticinando fit, idest, propria, vel accidentia parum connexa; idè dicitur per ratiocinationem investigatio, & cum illorum quæ sunt, vel præcessere ferè semper dentur indicia manifesta, & connexa valde, prænatio propriissimè de futuris dicitur, & sic Hippocr. in ordine ad futura doctrinam adducit in hoc libr. non in ordine ad alia.

Etsi certum existat artem præfagiendi circa præsentia, præterita, & futura locum habere, examinandum restat quæ sint in morbis præfagienda; quo non quarimus quæ sint ad curationem absolutè cognoscenda; sed quæ sint quæ ad præfagium prævidenda sunt: est enim præfagium omni proprietate quod in prænationem futurorum antequam fiant, terminatur, & tantò magis, quantò minor fuerit certitudo; idè signa critica incerta & infida sunt, ut Galen. 1. *de cris. cap.* 14. sic ait. *Criticorum accidentium aliqua sunt causa, & signa, aliqua signa solum, infida verò est universa eorum natura.* Prænoscitur veluti vaticinando magis ex eis deducitur co-

gnoscendum, quam ex naturali indagatione, etsi hoc modo esse non dubitemus, & sic præfagium locum habet circa omnia quæ in morbis accidunt futura, ut est brevis vel longa terminatio, bonà, vel malà crisi, vel sine ipsa, hæc vel illà regione, die, vel horà, pravis, vel bonis accidentibus; siquidem in ordine ad omnia hæc curatio est faciendâ, virtus conservanda, & victus & auxilia instituenda; idè Galen. 1. *de diebus decretoriis cap.* 11. sic scripsit. *Quod nec victus ratio proba sine statu morbi, & crisis præfagio institui possit declaratum est.*

Ex quinque signorum generibus, quæ 1. *aphor. comment.* 12. dedit Galen. ad curationem omnem absolutè respiciendam, tria solum adduxit 1. *de cris. cap.* 14. tamquam ad prognosticum faciendum necessariò, coctionis scilicet & cruditatis, unum mortis, & salutis alterum, & quæ decretoria appellantur. Ex quibus omnia deducuntur præfagienda, coctionis & cruditatis signa, sunt mutationes quæ in urina, & sputo, & alvi excrementis apparent, ut Galen. 1. *de crisibus, cap.* 7. sequens Hippocratem 2. *Prognosticorum* per diversa capita, ita ut quò magis ab statu naturali recedant, cruditatem, quò minus, coctionem determinant: & sic juxta hanc proportionem bonam vel malam fore terminationem in salutem vel mortem deducimus; bonam, si coctionis præcedant signa; malam, si cruditatis, ut ex ipso *primo de crisibus* constabit, signaque salutis, vel mortis dicuntur, præter plura alia, quæ adducit Hippocr. in hoc libr. & ratione diversarum mutationum, quas dicemus, signa critica ab Autoribus dicuntur crism hac vel illa die & horà, & regione, determinantia, & tandem ex omnibus quibus accidentibus evenire debeat, constabit.

Notandum tamen est coctionis vel cruditatis signa, quæ brevem, vel longam, pravam vel bonam, malis vel bonis accidentibus fore terminationem ostendunt, necnon diem crisis, & morbi tempora non eodem modo omnia significare; significant enim coctionem vel cruditatem excrementa dicta prout in statu naturali sunt, vel ab ipso recedunt. Sic ait Galen. *cap.* 7. *citato: Urina v. g. quæ bene colorata est, & albam, lavem, & æqualem habet substantiam, coctionis est signum: tenuis, & quæ nullam substantiam habet, semper est cruditatis,* quæ eo modo quo coctionem vel cruditatem significant, bonam vel malam, brevem vel longam terminationem prænuntiant, mortisque, aut salutis signa sunt, & ad prognosticum faciunt. Quod pluries repetit Gal. 1. *de cris. cap.* 5. & 14. & 15. Sic tamen scripsit, 1. *Aphorism. comment.* 12. *Itaque distincta sunt tum coctionis, tum cruditatis signa, tum etiam exitialia; ex his tenendum memoriâ coctionis signa semper bona sunt, ut quæ morbi solutionem fore ostendant brevi, quemadmodum exitialium signorum genus agrotantis mortem brevi fore minitari solent. Cruditatis autem signa diuturnum fore morborum portendunt, non tamen moriturum vel evasurum hominem: Quod quidem in ipsis est judicare, diligentius tamen si ante vires agrotantis expendis, ista licebit prævidere.* Quibus verbis quid coctio, quid cruditas significet ostendit, & quo modo ad prævidendam morbi terminationem bonam, vel malam, celerem, vel tardam conducatur.

Etsi verbis adductis Galen. videatur significare distincta esse signa coctionis & cruditatis à signis exiti

exitibus, non est ita: docuit enim in ipso comment. Galen. signa exitalia cruditatis signa esse: sic ait. *Cruditatis signa primo morbi initio conspiciuntur, & interdum postea ut exitalia.* Docet ergo exitalia signa cruditatis esse signa; clarius 1. de cris. c. 5, sic ait. *Et hoc duplex est (agbat de sputo pravo) unum quod solum caret coctione: alterum quod etiam parvum existit; ab his vero id quod coctum est separatur. Et infra, ut in angina non cruda solum, sed etiam lethalis est, est autem simpliciter crudum quod album, & tenue.* Intendit tamen Galen. his verbis docere quod etsi coctio sit salutis indicium, cruditas signum mortis absolute non sit, sed illa quæ repugnantiam coctionis dicit. Sic distincta appellat cruditatis signa ab exitibus, etsi omnia cruditatis sint signa, quæ distincta morborum tempora significare docet comment. 12. cit. juxta quam doctrinam Avic. fen 1. lib. 4. cap. 3. tempora morborum sic definit. [Principium est donec appareat vestigium maturationis, vel maturacioni contrarium: augmentum quando apparent signa coctionis, vel coctioni contraria]. Quæ signa sic explicuit in comment. Galen. *Quod si spuat, & tenne adhuc sit, debilis, & obscura coctionis est signum: si sincerum quam minimèque permixtum, vel flavum, vel rufum, improbandum: si lividum, vel viride, vel nigrum, perniciosissimum.* Quod est significare, tale esse cruditatis indicium, & tale mortis: idè 1. de cris. urinam nigram lethalem esse dixit, crudam verò absolute, tenuem & albam.

Hac ratione tractatu 2. de rebus contra naturam q. 1. diximus non dici signa mortis signa cruditatis absolute, quia etsi talibus signis adveniat mors, cum ex propria natura non significant dispositionem vincentem, vel invincibilem dispositionem; hinc est quod non signa mortis, sed potius salutis dicantur; significant enim quod à natura superari potest; è contra verò cum signa repugnantia coctionis sunt, etsi salus advenire possit, quia natura potest absque coctione materiæ morbum per ejus expulsionem vincere, signa tamen mortis sunt, quia materiam significant nullatenus ex propria natura superabilem: ratione cujus aliis signis deducenda est morbi terminatio, ex actionibus scilicet aliis: propter quod Hippocr. de prog. agens, ex aliis signis mortem, & salutem, bonam, vel malam terminationem esse deducendam edocuit, & consequenter Galen. comment. 12. citato, alia signa coctionis dixit, alia cruditatis, alia verò exitalia: quasi diceret, ex signis coctionis salus semper præfagienda est, ex exitibus mors, ex cruditatis solum longitudo est prædicenda, n̄ ex aliis signis mors deducatur, idè dixit, *Si ante vires agrotantis expenderit, ista licebit prævidere*, hoc est, dum cruditatis sunt signa, si vires pro victoria cognoveris, prævidebis salutem, mortem verò si secus.

Sicut modo dicto mortem, vel salutem coctionis signa significant, & sic bonam vel malam terminationem, brevem verò vel longam ex brevi, vel longa talium signorum apparitione deducendum esse docuit Hipp. 1. aphor. text. 12. ubi sic ait, *Et ex his, quæ mox apparent indicia sumuntur: quemadmodum in morbo laterali si statim sputum appareat, morbum breviat; si verò postea appareat, producit*, idè Galen. 1. de cris. cap. 5. omnia dicta comprehendens, sic scripsit: *Quando*

igitur sputum statim apparuerit, morbum facit breviorum; cum verò nullo modo educitur, longum indicat morbum; siquid autè prævum sputum, periculum imminere significat; si quod autem malignum, mortem minatur. Ut constet mortis esse signa ea, quæ cruditatem significant, dum pravam cruditatem ostendunt, ambigua verò dum non tale ostenderint, esseque ex aliis signis eventum determinandum; signa tamen coctionis semper securitatem ostendunt, brevem, si statim, non ita si tardè appareant; ita ut ex dilatione in apparitione longitudo morbi deducatur. Quod verò talia signa tempora morborum ostendant, non est hujus loci.

Circa critica signa, quæ crism ostendunt examinandum est, quæ significant crism, vel secus; quæ regionem; & horam determinatam. Ad quod advertendum est indicium ad crism non leve determinari ex ipsa natura morbi & temporis, ex eo quod morbi aliqui sunt, qui sudore, vel dejectione terminari habent, vel ex propria natura, vel ratione epidemix, vel pro illius quod in illo tempore agitur, ut Galen. 3. de cris. cap. 3. & sic ratione illius poterit præfagiri de crisi; at cum hoc valde remotum sit ad crism determinationem, quia parum, vel nil præbet connexionem, cum ipsa habens, sed valde contingens, non dicuntur in rigore signa critica, etsi cum aliis validum sumatur ad præfagiendam crism indicium.

Signa tamen critica in duplici sunt differentia, alia, quæ ipsam hac vel illa die futuram prænuntiant; alia quæ ipsam jam imminuentem; illa significavit Hippocr. dum 2. aphor. text. 24. docuit, *Septenorum quartus est index.* Quibus verbis ostendit quod si in die quarto, indicium mutationis reperiatur, septimo perficitur crisis; si verò in undecimo perficitur, decimo-quarto, & sic de aliis; cum quo cohæret 4. Aphor. text. 71. sic. *Quibus septima die crisis futura est, his urina rubram nubeculam die habet quarto.* Quibus verbis constat signa ipsa coctionis prout hoc, vel illo die apparent, in hanc, vel illam diem prænuntiare crism: idè Galen. in comment. per urinam rubram quamlibet coctionis notam intellexit, illamque crism diem prænuntiare in suo septenario. Quod cohæret cum dictis: nam cum brevis vel longa terminatio ex brevi vel tarda apparitione coctionis deducatur, sic similiter cum crism, non cum signis coctionis eveniat, ex brevi, vel tarda apparitione ejus, brevi, vel serò futuram fore crism deducemus, habito tantummodò respectu dierum indicantium ad judicativos, hoc est quaternarij ad septenarium; quod infra explicandum ex professo; dicitur tamen signum criticum hoc ordine, mutatio quælibet in die indicante notabilis, quæ habeat in suo septenario significare crism, vel bonam, vel malam, qualia fuerint accidentia, vel mutationes excrementorum in die quarto indicantia, ut Galen. 1. de diebus decretorijs, cap. 11.

Signa tamen omni rigore critica, & quæ talia ab omnibus communiter nuncupantur sunt, quæ instantem crism ostendunt, & meritò critica omni rigore dicuntur, quia cum ipsis crism ferè semper immediatè conjungitur: de illis loquitur Hippocr. 2. aphor. text. 13. dum dixit, *Quibus crisis futura est, nox antecedens difficilis.* Cujus ratio invenietur si Galen. legamus in comment. ubi propter commotionem humorum ad ipsam evenite docet: eveniunt enim anxietates, vigilia,

motus labij inferioris, & ventris; vel plura alia quæ motum materiae facientis crîsim sequuntur, ut 1. de crîsî. cap. 14. docet Galenus post quorum positionem sic ait. *Fiunt igitur & hæc jam imminentis crîsîs indicia.* Quod sequens Avicen. fen. 2. lib. 4. Tract. 1. cap. 3. docet quod signa crîsîs sunt dum eveniunt subitò; eveniunt tamen præcipuè dum non perfectè cocta est materia, & ad ejus expulsionem movetur natura, ut Galen. 3. de crîsî. cap. 10. sic ait, *Causa hujus intempestivi motus est morbi violentia, irratrix quadam existens. Videtur siquidem natura nil hujusmodi posse tolerare, sed statim properare ad expellendum id quod infestat.* Docet ergo Gal. critica ob irritamentum factum procedere à causa expellenda, quæ cum benignior debeat esse dum crîsîs perfectæ & faciendæ propter correctionem factam in ipsa per coctionem, remissiora necessariò sunt accidentia, ut constet bona, vel prava esse expectanda accidentia, prout signa crîsîs cum signis coctionis conjunguntur, vel secùs, quod deducitur ex ipso cap. 10. Nam postquam posuit irritamentum accidentium causam, sic ait: *Et hoc est maximum signum crîsîs intempestivæ, quæ enim in tempore opportuno fiunt, etiamsi nullum adsit irritamentum, fiunt.*

Regionem determinatam crîsîs ostendunt accidentia critica in rigore dicta quæ cum determinata regione connexionem habent, de quibus agit Galenus 3. de crîsî. cap. 11. in quo postquam critica signa dixit, rigorem, pulsum altum, indicatione factâ, noctem difficilem, & perturbationem, ut motum ejus per determinatam regionem ostendet, sic ait, *Altus enim pulsus omnis excretionis indicium est, sicuti & vehemens; si verò magnus fuerit motus, ad exteriora potius quam ad interiora signum existit. Cum verò uterque du-*

plex sit, hic quidem qui ad exteriora, per fluxum sanguinis atque sudores; alter autem ad interiora per alvum & stomachum; undosus quidem pulsus sudores; magnus autem simpliciter fluxum sanguinis præosendet. Motu verò ad interiora superante, cum non adsunt signa vomitûs, per ventris excrementa crîsîs fiet. Si verò ea affuerint, per vomitum potius: Si verò ea affuerint, & venter insigniter subducatur, per utraque fiet crîsîs. Dixerat cap. 10. sic: Quæ enim supernant, per vomitum expellere tentat. Quæ verò inferiora occupant loca, excernit per sedem. Præter quæ signa plura alia rigorem determinantia adducit cap. 11. de quibus infra.

Sufficiet nobis in præsentî dixisse signa critica in rigore esse accidentia quædam, vel symptomata, quæ crîsim instantem ostendunt, eaque peculiaria rigorem determinare, sumptâ indicatione ab idea, & morbi tempore; signa verò quæ ostendunt crîsim futuram in suo septenario, sunt mutationes quæ in die indicante conspiciuntur, hoc est in suo quaternario, quæ ut demonstrant diem, horam ejus determinare valebunt, si accessionis horam rescipiamus: siquidem crîsîs cum motus humoris sit per hanc, vel illam regionem ob irritationem factus, tunc præcipuè fit, cum natura ad expellendum specialiter mota, & irritata est, quod est in tempore accessionis, ut Galen. cap. 10. supra, diem mortis determinant. Sic ait: *Hoc verò distinguitur accessionum circuitibus: quo enim die debeat accessio fieri, in illo morietur, & quæ ejusdem diei horâ accidat, dignoscere est facile: constat ergo diem, & horam ex tempore quo indicatur crîsîs esse deducendas, attentâ accessionum repetitione, de quibus omnibus dictum est à nobis plurimum tract. de rebus contra naturam, dicimus tamen specialiter de Crîsibus agentes.*





TRACTATUS DE CRISISIBVS, ET DIEBUS DECRETORIIS.

SECTIO I.

De Crisisibus.

QUÆSTIO I.

Quid sit Crisis.

CUM morborum tractationes quarum prænotiones dedimus pluries, crisi fiant, præcipuè in acutis, ratione cujus Galenus 3. de cris. cap. 1. & 3. acutorum, crises, mutationes appellat, de crisisibus agimus: dicitur tamen crisis absolutè, ut voluit Galen. cap. 1. citato, quæcunque mutatio morbi ad melius, vel pejus ipsum terminans, ut excludantur mutationes, quæ ex propria natura in morbo sunt dum augetur & stat: nam cum de mutationibus terminantibus agat, de ipsis est intelligendum, dum quamcunque mutationem crisim appellat; est enim crisis idem quod iudicium, à similitudine iudicij extrinsecus facti de reo, ergo absolvitur, vel damnatur à iudice, ut Galen. 3. de cris. cap. 2. & sic ex quodam vulgari, sic scripsit, *Quispiam vulgaris cum istis adesset, ita pronunciauit, quod iudicium tunc de vita hominis ageretur.* Nec dictum fuisse à vulgari, verum dixisse tollit, potius ut verum receptum, & probatum est à Galeno & à Medicis communiter, ut videre est in Avicenna. & in reliquis Interpretibus; est enim iudicium de vita hominum circa pugnam naturæ cum morbo: hic vicem habet inimici; natura, cujus minister Medicus est, vicem procuratoris vel pugnatoris; causa superior, vicem iudicis, & homo rei vicem, cujus sunt testes accidentia, ratione quorum dignoscitur de cuiuslibet activitate, ut tandem iudicium fiant.

Circa quæsitum duo examinanda veniunt; aliud quid propriè crisis sit, & in quo principaliter illorum natura quæ in ipsa reperiuntur consistat. Pro quo notandum est crisim ab Autoribus tam dici de mutationibus illis quæ terminant morbum, quæ paulatim fiunt, & de permutationibus, quæ subitò, tam de illis quæ ad mortem, vel ad pejus, quàm de illis quæ ad salutem vel ad melius, ut videre est in Avicenna. fen 2. lib. 4. tract. 1. cap. 2. in quo tam exituras quàm evacuationes alias crises appellat, vel completè, vel diminutè se habeant, quæ & subitò & paulatim possunt pro salute, vel morte facere: siquidem completæ evacuationes subitò, diminutæ verò non subitò mutant; mixtas nam-

que eas appellat Galenus 3. de cris. cap. 1.

Secundò notandum est in crisi reperiri perturbationem quamdam antecedentem ad crisim tam horribilibus accidentibus, ut inexperti perire hominem iudicent. De quibus egit Galenus, & Avicenn. locis citatis, & postquam ipsa posuit, quæ nos signa critica appellamus, sic ait Galenus. *Vnde non parvus invabit timor inspicientes.* Reperitur etiam evacuatio hæc, vel illa secuta ad perturbationem, vel agitationem inter naturam, & morbum, ut ipsi Auctores docent, ratione cujus salus, vel mors advenit, ita ut propriè per talem mutationem homo mutetur ab statu morbifico ad pejus, vel ad melius.

His positis videtur crisim de omni morbi solutione posse dici, quatenus quæ solvitur, vel damnatur homo, sive paulatim, sive subitò: ergo ratio crisis cuiuslibet morbi terminationi adaptatur propriè, quæ acceptione Hippocr. 1. Epid. p. 3. tex. 17. febres erraticas, & quartanam, & quintanam iudicari fatetur, sed dictæ febres longissimæ sunt, ut in ipsa sectione docet, est ut per annum durare accidat, in quibus non ita expectanda subita mutatio, ratione cujus post quadragenarium diem coctione, vel abscessu morbos terminari, non crisi, docet Galenus 1. de dieb. decret. cap. 10. ergo iudicatio, vel crisis ex Hippocr. mente quamcumque morbi terminationem comprehendit.

Præterea: nam licet Galenus cap. 10. citato, dicat terminari abscessu, vel coctione morbos post quadagesimum, & non crisi, non tollit crisim etiam debere dici mutationes illas per coctionem, & abscessum. Patet: Nam Galenus ipse 3. de cris. c. 2. sic ait. *Et omnino fit crisis per manifestas quasdam excretiones, aut effatu dignos abscessus; antecedit autem huiusmodi excretiones & abscessus, non mediocris perturbatio:* ergo terminari subitò significavit; non tamen aliter quàm crisi absolutè, quæ ratione etiam c. 3. & 11. sequentibus, adducens crises, cuiusque morbo convenientes, & earum signa, & abscessus enumerat, & pingit eorum signa, pro morbis diuturnis, juxta mentem Hippocr. 2. & 3. acut. abscessus pro aliquibus morbis utiles appellantes; ergo quod veram rationem crisis habent, alias si verum teneret in rigore proposito, non dicerentur dies critici ultra quadagesimum; cujus contrarium & Galenus & Hippocr. docent 1. epid. citato, & 3. prog. text. 6. ergo omnes mutationes morbos terminantes crises sunt, cum ob ipsas dies dicantur decretorij.

Communis tamen dicendi modus crisim appellat non mutationem quamlibet, sed illam quæ subitò fit cum evacuatione sensibili. Quod probatur ex Galeno 3. de cris. cap. 7. & 2. aphor. com. 13.

fic crifim definiēte, *Est fubita mutatio in falutem, vel mortem.* Ratione cujus completæ dicuntur ab Hippocrate crifes 3. *prog. text. 3. quod quæ fubitò fiunt, impetu fiunt.* Quod verò cum fenfibili evacuatione fit, docuit *cap. 7. citato*, his verbis. *Sicuti verò vel effatu digna evacuatio, vel omninò decubitus cum veloci perturbatione neceffariò in crifibus fiunt, ità in folutionibus, nec agitatio aliqua, nec evacuatio, nec decubitus accidit.* Et 3. *prognoftror. comment. 1* fic ait. *Didiciffis præterea ut omnis iudicatio cum quadam evidenti fit evacuatione, vel abfcefſu.* Est ergo crifis ex communi confenfu, mutatio fubita cum evacuatione fenfibili, ratione cujus mors fubita, quæ in acceffionibus accidit pluries, & falus quæ per fomnum comparatur, præcipuè in pueris, ut in *comment. 1. cit.* docet Galenus, à natura crifis feperantur, etfi fubitæ mutationes fiunt.

Ut quæftionem refolvamus, advertendum eft per verbum *fubitò*, non debere intelligi crifim fieri, nullà alià difpofitione præcedente. Quà ratione Galenus 2. *de ca. fympt. cap. ultim.* *fubitò fieri apoplexiam, & epilepfiam; fit enim crifis perturbatione, & evacuatione præcedente, & aliis diverfis corporis difpofitionibus.* Nec intelligendum eft per verbum *fubitò*, fimultaneam productionem, qualem ad dolorem & voluptatem requiri docet Galenus *lib. de rig. cap. 6.* quà talis eft, ut productio fiat intenfione immutante, ne fenfum lateat, quia etfi paulatim fieret immutatio, non lateret fenfum, fed cognofceretur manifefte: ergo *fubitò* requifitum ad crifim, eft brevis vel repentina mutatio, de qua loquitur Hippocr. dum inquit, *Plurimum atque repente evacuare, vel utcumquæ corpus movere periculoſum.* Propter quod Galenus 3. *de crif. cap. 3.* ait. *Crifis repentina mutationes acutorum fiunt; Quod non debet in rigore instantaneam mutationem fignificare, fed illam, quæ breviffimo tempore fit.*

Nobis tamen dicendum videtur crifim, vel fumi generali acceptione quâ comprehenditur quælibet terminatio, vel mutatio in falutem, vel mortem, in melius, vel in deterius cum fenfibili evacuatione, vel *fubitò*, vel paulatim, eveniat. Quà ratione 1. *de die. decret. cap. 10.* oftendens magnas eſſe perturbationes ufque ad 14. & 20. ab hoc ad 40. vehementiam remitti paulatim docet, & poſt ipſum, vel non fieri excretiones, vel rarò, & per pluries dies fieri iudicia, quod eft paulatim, quia morbus debet ceſſare ad proportionem, quâ cauſa evacuatur; & fic cum paulatim evacuatur, paulatim ceſſare habet, ac per confequens omnes mutationes dictæ crifis habent rationem: fic ait de diebus poſt 40. agens. *Accidunt in his quoque excretionibus & iudicia, fed rarò, nec magnam habent vehementiam, & frequenter pluribus diebus iudicia complentur, maxime cum abſcefſum finiunt.* Quod ratio etiam oftendit: nam ſi morbus aliquis terminaretur per fluxum ventris pluribus diebus factum, ut accidit pluries vel in bonum, vel in malum, non eft cur non terminetur crifis: ergo non eft neceſſum fubitam eſſe mutationem. Antecedens patet: nam pluries accidit die decretorio incipere evacuationem indicatam quæ non niſi per pluries dies perſpiciatur: ratione cujus dubitavit Galenus 1. *de crif. cap. 8.* cui dici talis crifis tribui debeat: fed evacuatio die critico incepta & indicata, etfi per plures dies fiat, non poteſt non eſſe crifis, cum

non aliundè quàm à iudicio crifis dicatur, & ob id dies criticus dictus eſt ille in quo fit: & Galenus ob eandem rationem diei indicato crifim eſſe tribuendam. Docet ergo quod quælibet mutatio cum evacuatione facta crifis debet dici propriiſſimè; quâ ratione abſcefſus morborum crifes appellantur, etfi per plures dies fiant.

Si dicas crifim fubitam mutationem dici, etfi per plures dies duret evacuatio, quia falus, vel mors, ratione cujus ſubjectum mutatur, & crifis mutatio dicitur *fubitò*, dum materia morbi fuit omninò conſumpta, vel virtus labefactata quod ferè in instanti, vel breviffimo tempore accidit, ratione cujus *fubitò* diceretur talis mutatio, vel in falutem, vel in mortem, vel in melius, vel in deterius terminaretur, quidquid fit de duratione evacuationis: hoc inquam, nil valet, quia ſi hoc eſſet *fubitò* mutari, nullus morbus eſſet qui *fubitò* non ſolveretur, nec eſſet mors, quæ *fubitò* non eveniret; fed eſt expreſſum in Galen. 3. *de crif. cap. 1.* mutationum, quæ in ſubjecto morboſo accidunt, ſex eſſe differentias; duas, quæ non *fubitò* fiunt in falutem, vel mortem; duas quæ paulatim, quas non eſſe crifes contrarij volunt; & duas, quæ mixtim fiunt: ergo penes hoc quod ultimò mors, vel falus breviffimo tempore vel in instanti accidat, non debet dici fubita mutatio.

Præterea: quia experientiã compertum eſt fanitatem, vel mortem paulatim comparari pluries, quatenus paulatim aliquid fanitatis, vel aliquid pro morte faciens acquiritur. Ergo non eſt fubita quælibet mutatio, quod explicuit Galen. 1. *citato*, fic ait. *Solutiones quæ ſenſim marceſcente vel virtute, vel morbo contingunt, ſolutiones ſimpliciter nominantur.* Concedit ergo mutationes non fubitas in falutem, vel mortem.

Si verò crifis ſumatur pro famoſiori, ſolùm illa mutatio fubita, cum inſenſibili evacuatione crifis diceretur, quia ipſa ſola omnes conditiones optimæ crifis importat; confundit enim Galenus crifim optimam, & crifim abſolutè, ut videre eſt 3. *de crif. nam cap. 1.* poſtquam dedit ſex mutationes in falutem, vel mortem, fic ait. *De prima igitur quæ repente fit permutatione dicamus, quoniam omnium optima eſt.* Atque idè ipſam per excellentiam crifim nominat, & *cap. 2.* fic. *Sola igitur fubita ad fanitatem converſio, ſimpliciter crifis nominatur & quidem omninò fit per manifefſtus excretionibus, vel effatu dignos abſcefſus.* Quod non tollit alias mutationes crifes dici, ſed tollit dici ſine addito: nam vel malæ, vel imperfectæ dicuntur; quæ ratione crifim deſſinit Galenus, 2. *aphor. comment. 13.* fic, *Est fubita mutatio in falutem, vel mortem, agitatione, & evacuatione materiæ facta.* Ubi non ſolùm crifim appellat, quæ in falutem eſt mutatio, ſed etiam quæ in mortem; quia cuiſlibet adæquata & completa ratio iudicij convenit, etfi pro famoſiori optimæ debeatur. Vallef. 10. *controver. cap. 11.* crifim appellat fubitam mutationem in falutem, vel mortem, etfi cum evacuatione manifefſta non fiat; ex eo quod non tollit eſſe iudicium de vita hominis ſi mors, vel falus reſulter, materia inſenſibiliter per reſolutionem conſumpta, ut accidit in pueris qui per fomnum longum à morbis liberantur: ergo debet dici crifis, de qua Gal. 3. *prog. cap. 1.* inquit ab aliquibus crifim appellari, rarò enim pueruli tantummodò per fomnum longiorem celeres in melius fecerunt mutationes, quas nonnulli

latini etiam & circa materiam & circa cineritium foci resultat correctio, & evacuatio.

QUÆSTIO II.

Quotplex sit Crisis.

CRISIS differentia vel possunt sumi facta divisione per differentias essentielles, vel accidentales, vel ratione connotati, quibus omnibus modis crisis differentias adducunt Autores: nam Hippocr. 1. epid. p. 3. text. 16. sic ait. *Oportet nosse in his temporibus iudicationes futuras esse ad salutem, vel perniciem, vel inclinationem ad melius, vel ad deterius.* Quibus verbis quatuor crisis membra adducit sumptâ differentia ex termino ipsius mutationis, ratione cuius & mutationes ipsas essentialiter inter se differre est necessum. Quam divisionem esse sufficientem inveniemus: Nam solum has mutationes vivens morbo affectum potest pati; Ergo ratione termini aliter non potest diversificari crisis. Quod etiam docuit Avic. fen 2. lib. 4. tract. 1. cap. 2. Crisim dividens in bonam, & malam, & eas subdividens in completam & incompletam; nam quæ in salutem vel melius terminatur, bona dicitur: Mala verò quæ in deterius, vel in mortem: quarum completa erit quæ in omnimodam salutem, & hanc vocat Avic. meliorem crisim, ut Galenus simpliciter talem; incompleta, quæ in melius tantum, ut mala completa quæ in mortem, & incompleta, quæ in deterius terminatur: quam divisionem concedit etiam Galenus 2. aphor. comment. 23.

Licet ratione accidentium plura membra crisis adducant Autores, quorum aliqua cum dictis coincidunt, & aliqua diversificantur; at cum non dentur per aliquid intinsecum ipsi mutationi, non ita principalia sunt, sunt tamen consideranda pro usu Medico, ut valde necessaria, jam pro paxi, jam pro prognostico; siquidem ratione accidentium ejus de securitate, vel periculo præfagium deducitur, & an cessandum, vel operandum sit, sit manifestum, & sic male à pluribus rejiciuntur: docet namque Galenus 3. de crif. c. 1. mutationes in morbo sex esse, sic ait. *Sex sunt in morbis mutationum differentia: vel enim subito ad sanitatem veniunt, vel subito interimunt; vel paulatim horum utrumque contingit, vel mixtum.* Quibus verbis differentiam mutationis ex modo, & ex termino sumit: Ex modo, quatenus paulatim, vel subito, vel mixta sit mutatio: ex termino, quatenus in mortem, vel salutem, in melius, vel in deterius est subita mutatio, cui associatur paulatina postea solutio; deficit enim morbus ipso, vel naturâ vincente: totum quod 3. de crif. cap. 7. modo dicto explicuit Galenus. Quibus verbis ratione termini quatuor membra ab Hippoc. adducta concessit, cum non possint esse plura, tria verò ratione modi quatenus vel subito, vel paulatim, vel mixtum quælibet ex dictis mutationibus advenire potest, quæ si ad utramque mutationem attendamus, sex debent esse.

Dices: sicut mors, vel salus subito, paulatim, & mixtim comparari possunt ut sex membra constituentur, mutatio in melius, vel in deterius, etiam tribus modis dictis potest esse, ergo duodecim debent esse differentia: Nam licet verum sit quod Galenus eas non numeret, quia ex

dictis intelligitur; attamen non debebat sex tantum assignare, cum plures sint.

Respondetur rectè dixisse Galenum sex tantum esse differentias mutationum in morbis, quod mutatio mixta in salutem includit subitam mutationem in melius, & paulatinam deinceps solutionem, & mutatio mixta in mortem mutationem, etiam includit subitam in deterius, & paulatinam deinceps in mortem: nec aliter poterat fieri mixta in salutem, vel mortem mutatio, nec mutari in melius vel in deterius subito, aliter poterat fieri quàm mixtum, sicut nec paulatim mutari in melius vel in deterius sit aliter quàm paulatim intendendo in salutem vel mortem: non ergo sunt plures quàm sex mutationum differentia ratione modi.

Hanc divisionem Galen. rejiciunt plures ex eo quod, paulatina mutationes à ratione crisis excluduntur à Galeno in ipso capite 1. citato, ubi sic ait. *Qua sensim macrescente virtute, vel morbo contingunt mutationes, solutiones simpliciter, non crises nominantur.* Et cap. 7. sic ait. *Quicumque autem morbi paulatim finiuntur, solvi quidem in præsentiarum dicuntur, per crisim autè finiri, nequaquam:* Et consequenter cum mutationes mixtae non habeant rationem crisis nisi ex parte, quæ subita sunt, talis divisio omnino excludenda est, nisi accipiatur, quatenus cum divisione Hippocr. coincidit. Quæ impugnatio non est admittenda, quia, ut diximus, nec de necessitate crisis est subito fieri, nec hoc voluit Galenus, etsi per subitam mutationem pro famosiori definiatur: nam ut 3. de crif. cap. 2. & 7. docuerat, per evacuationem manifestam & abscessum fit crisis pluries, & parotides, vel abscessus fieri paulatim præter experimentum docet Galenus 1. de dieb. decret. cap. 10. sic. *Accidunt in his quoque per excretionem interdum iudicia, sed raro, nec magnam habent vehementiam, & frequenter pluribus diebus iudicia complentur, maxime cum in abscessum finiunt.* Docet autem paulatim fieri crisim cum dicat pluribus diebus iudicia compleri, præcipue dum in abscessum finiunt, quæ ratione, etiam dixerat post quadragesimum morbos non terminari crisi, sed coctione, vel abscessu, scilicet non famosiori crisi, quam non excludit à rigorosa ratione crisis paulatina.

Nec Galenus à rigorosa ratione crisis mutationem paulatinam excludit, dum fiat cum evacuatione notabili, vel abscessu, ut videre est in ipso cap. 7. sic ait. *Ut vel effatu digna evacuatio, vel omnino decubitus cum veloci perturbatione necessarii sunt in crisibus, ita in solutionibus, neque agitatio aliqua, neque evacuatio, nec decubitus accidunt.* Quibus verbis solutiones à ratione crisis excludit, quia sine perturbatione & evacuatione sunt, & consequenter infra quartum modum moriendi sine perturbatione, evacuatione, vel abscessu sine crisi fieri, ob eandem rationem dicit etiam & sic solutiones non crises appellat illas duas mutationes in ultimas in mortem, vel salutem, quia non fiunt evacuatione; dixit namque fieri virtute, vel morbo marcescente; si verò agitatione & evacuatione fierent, non dubito, quod eas crises appellaret. Quod pater; nam illam debemus dicere criticam mutationem, quæ sequitur causas crisis, licet sit bona, vel quælibet alia, & quæ indicata fuerit: sed dum evacuatio & perturbatio indicata in suo quaternario incipit in suo septenario, debemus dicere

Quæstio II. Quotuplex sit Crisis. 239

dicere causas crisis sequi etsi paulatim fiant, ergo talis mutatio critica erit. Patet: nam cui debet tribui commotio illa n̄ illo die in causis crisis ob quod criticus dies dicitur.

Si dicas illam mutationem dici subitam, etsi paulatim accidat, quia evacuatio, & perturbatio subitò fuit in illa die, quamvis per plures dies duret: Contra tamen est, quia si hoc est verum, nulla est mutatio vi evacuationis & perturbationis, quæ non sit subita; nulla enim est quæ in aliquo die repenti non incipiat, & sic noster motus dicendi non deficeret à communi. Attamen cum in rigore paulatinæ mutationes sint quæ per plures dies fiunt, quia paulatim salus, vel mors dictis in casibus veniunt, ut accidit dum sine evacuatione & perturbatione eveniunt in casibus qui à Gal. solutiones appellantur, crises etiam paulatim fieri est dicendum cum perturbatione, evacuatione, vel abscessu, juxta mentem Galeni, & sic definienda est crisis, est mutatio in salutem, vel mortem cum evacuatione & perturbatione, licet Galenus eam definiat per subitam mutationem, quia illi veluti per antonomasiam ratio crisis convenit, vel quia sufficit perturbationem fieri subitò, etsi duret, ut mutatio subita dicatur, ob quod Galenus *cap. 7.* docuit evacuationem, vel abscessum cum veloci perturbatione necessariò in crisisibus fieri.

Ratione accidentium, quæ crisisibus accidunt, plures differentias adducit Galenus *1. de die decret. cap. 2.* Nam eam perfectam, & absolutam appellat fidam, firmam, vel securam, tutam, manifestam, cum bonis signis, & bonam, vel his oppositam: perfecta est, quæ morbum omninò tollit; secura, quæ sine recidiva; tuta, quæ sine periculosis accidentibus; manifesta, quæ cum evacuatione, vel abscessu sensibili, cum bonis signis, quæ fuerit indicata; bona tandem, quæ ad sanitatem tendit, qualis erit, quæ in meliùs terminatur, quibus contrariæ notæ sunt. Quæ divisio non minùs necessaria est, quam prima ad usus medicos; siquidem si perfecta fuerit, & fida, cessandum erit ab opere, secus si imperfecta, vel infida, juxta doctrinam Galeni *1. aph. comment. 20.* Super illa verba. *Qui judicantur & judicata sunt integrè, nec novare, nec movere, &c.* Ad quod considerare an manifesta fuerit, vel obscura oportet, ubi per obscuram hîc à Galeno adductam non est intelligenda, quæ absque evacuatione vel abscessu est, absolutè perit unum, vel alterum crisis necessariò, sed quæ est sine evacuatione sensibus manifesta: sic ait. *Obscura est quæ circa excretionem, vel abscessum evidentem evenit,* Talis erit, quæ per resolutionem fit, ut docuit Valles. ut constet malè reprehendi à Petraftano *3. prog. cap. 1.* idè diximus debere fieri per evacuationem manifestam saltem per rationem.

Contra principalem divisionem est difficultas non debilis: nam crisis dividitur per differentias essentielles ratione terminorum: sed alium terminum præter dictos potest habere crisis, ergo sunt plusquàm quatuor differentiæ. Antecedens patet: nam dum morbus permutatur, vel terminatur in abscessum, non terminatur in salutem, vel mortem, non in meliùs, vel in deteriùs, quia potest esse æquale periculum in abscessu, ac in morbo antecedenti, ut pluries experientia visum est, sed talis mutatio est vera crisis ex Galeno *3. de crisi. cap. 2. & 11.* Ergo datur alia, differentia ratione

termini. Patet: nam sicut vivens transit ab statu morbofo, vel à morbo in alios terminos, transit etiam in abscessum; ergo datur mutatio diversa, ac per consequens diversa crisis ratione termini, quam dedit Avic. *fen 2. lib. 4. tract. 1. cap. 2.* sub nomine crisis permutationis.

Secundò videtur crism non rectè dici mutationem; nam crisis est mutatio qua vivens mutatur ab statu morbofo, vel à morbo in terminos dictos: sed vivens non mutatur in ipsos per dictas omnes mutationes; ergo aliqua earum non debet dici mutatio. Minor probatur: nam id mutatur quod est sub utroque termino, tum quod transit ab uno termino in alterum, illud vivens non transit ab uno termino in alterum, ità ut sit sub utroque, ergo non mutatur. Patet in crisi, quæ terminatur in mortem, non transit vivens ab uno termino in alterum, ergo non mutatur, ac per consequens talis crisis non est mutatio. Nec valet dicere subjectum quod mutatur esse materiam primam; nam contra est, quia præterquam quod hoc non valet apud ponentes totum compositum subjectum accidentium, non poterit dici crisis mutatio absolutè, quia cum tales mutationes accidentales, & substantiales sint, quatenùs aliæ terminantur ad aliquid accidens, & alia ad non esse subjecti, in mortem scilicet, non poterunt una definitione definiri, siquidem, ea quæ non conveniunt univocè, una definitione definiri nequeunt.

Respondetur ad primum meritò talem differentiam, ut distinctam non adduxisse, Hippocratem quod sub aliqua ex dictis necessariò comprehenditur; nam cum tales mutationes dicantur, quatenùs vivens mutatur per mutationem morbi, & dum fiunt abscessus morbus mutetur, vel quia finitur, vel quia minuitur, vel quia augeatur; hinc est quod sub una ex tribus mutationibus necessariò contineatur, & in esse mutationis non differat à dictis, quidquid sit de majoritate, vel minoritate, morbi advenientis: dixit enim expressè Galenus crism nuncupari mutationem morbi, non quatenùs sit subjectum ejus, sed quatenùs mutatio in ipso facta est. Propter quam subjectum mutatur, hoc, vel illo modo, & sic cum de mutationibus in morbo factis agat, rectè assignat illam, qua vivens perit, quia univocè cum aliis in hoc quod est mutationem in morbo fieri convenit, quatenùs ipsi deficit per corruptionem subjecti, sicut etiam deficit, dum à natura vincitur, vel dum minuitur, & dum in deteriùs mutatur.

Doctrinà posità solvitur quintum dubium, nam *1. de crisi. cap. 1.* ait Galenus. *Vel subitam in morbo mutationem, vel ad meliorem statum inclinationem, vel omnem morbi solutionem crism volueris appella, non morbi hoc in loco distinguere.* Et *lib. 2. cap. 1.* ait, *Vel universam in morbo transmutationem, vel subitam tantum, vel velocem conturbationem, quispiam velit nominare crism, non est meum in hoc loco definire.* Et *3. de crisi. cap. 3.* sic, *Propositum nostrum est, omnis in morbo mutationis presentis dignotiones futura præcognitione dicere, sex sunt in morbis mutationes differentes.* Quibus verbis manifestè docet modos quibus mutatur, vel deficit, ratione cujus mutatio dicitur, & subjectum mutatur, per quod non est intelligendum, etiam morbum mutari prout sub utroque extremo est, sed quatenùs in suo esse variantur in ordine ad vivens, quod quadruplex differentia fuit,

fuit, quia in ordine ad ipsum variatur morbus, vel in deterius, vel in melius, vel vincens, vel quia vincitur.

Præter divisiones adductas Galenus 3. *de cris. cap. 1.* alias crisis differentias adduxit, sumptas à diversitate evacuationis, quæ in ipsa crisi inveniuntur, sic ait, *Si quis subito morbo liberatur, huic omnino aliqua evacuatio effatu digna contingit, vel per vomitum, vel per alvum, vel sudorem, vel urinam, vel sanguinis è naribus profluvium, vel ex se, vel per hemorrhoidas, vel purgationem menstruum, sed, & parotides in tempore opportuno non paucos liberarunt, & quidem antecedit, his omnibus non modica in aegrotantium corpore perturbatio.* Quibus verbis diversas crises ratione evacuationis adducit, sub quibus etiam est intelligenda obscura crisis, nam talis esse potest, vel per sudorem insensibilem, qualis est transpiratio, vel qui cum sudore ab exercitio præcedente permiscetur, & cum dejectione, vel vomitu quotidiano, vel ab aliqua causa externa excitato; est enim talis divisio crisis per causas, quatenus ut docet Galenus 1. *de cris. cap. 14.* tales evacuationes signa & causas appellat, de quibus omnibus etiam egit *lib. 3. cap. 3. & 11.* dicens cui morbo qualibet propria sit, & quibus dignoscatur.

✠

QVÆSTIO III.

De signis, & morbis proprijs pro qualibet Crisi.

UAM necessaria sit cujuslibet crisis cognitio notum existit, quamvis minus principalis appareat differentia, quæ ratione connotati, vel evacuationis datur, constabit ejus necessitas si attendamus Hippocr. 1. *aphor. text. 21.* dicentem. *Quæ ducere oportet, quò maxime vergunt, eò ducere oportet per convenientem regionem.* Quasi diceret, convenientem regionem esse respiciendam, dum natura ad expellendum movetur, ut Medicus juvet evacuationem si non sufficiat, ut voluit Galenus in *comm.* juxta illud quod dixerat Hipp. *text. 20.* *Quæ judicantur, & judicata sunt integrè, nec novare nec movere.* Id est, si non integrè judicantur, juvare per convenientem regionem, *Movetur hora motus ejus,* ut Avicenn. *fen lib. 4. cap. 7.* dum natura non movet, id est, dum movere debet, totum quod petit, ut morbos quibus propria quælibet crisis sit, explanemus, & signa quibus eorum crisis esse futuram cognoscamus, ut forsane conantes aliquem hujus motum ciere, vel ipsum plusquam requiritur augeamus, vel faciendum à natura contraria motu impediamus; habet enim ipsa pluries diversos motus utiles pro unius morbi solutione sui crisi, ut ex Galeno 3. *de cris. cap. 3.* dicemus; si verò cujuslibet attentè signa non respiciamus, crisis futuram non cognoscemus, superfluum forsitan faciemus, vel ipsius contrarium excitantes, motum impediemus, ità ut nullus perficiatur, opere naturæ modò impedito, & modò ab opere naturæ cessante, id eò signa, & morbos pro qualibet crisi adducemus.

Tractatu de rebus secunda naturam quest. 2. à

nobis de signis agentibus signa crisis explanata sunt; at cum propriè ad hunc pertineant, plura repetere est necessarium; signa namque critica, alia sunt communia, alia particularia; communia sunt, quæ pro qualibet crisi sunt, vel quæ motum, vel agitationem naturæ sequuntur, & comitantur: asseruit enim Galenus 3. *de cris. cap. 2. & 7.* ad omnem crisis perturbationem præcedere, ferè eadem sunt verba in utroque. Sic ait. *Antecedit autem hujusmodi excretiones, & abscessus non mediocris perturbatio in corpore aegrotantis, nam & vigilia, & difficiles tolerantia, & deliria, &c.* Quibus verbis & sequentibus plura accidentia adducit, quæ agitationem humorum evacuandorum sequuntur, ratione cujus vivens angitur, inquietus manet, & prava eveniunt accidentia, quæ omnia 1. *de causis. cap. 14.* adduxerat dicens alia esse signa solum, alia signa & causa: signa tantum sunt jam dicta; signa & causa evacuationes ipsæ, quæ jam determinata crisis erunt causæ & signa, non tamen communia; ità ut quoties anxietates, delirium, inquietudo, & similia apparent, agitationis, & commutationis materiæ pro expulsionem, est signum non tantum fidum, & certum, ut in *ipso cap.* docet, ità ut necessariò debet esse. Crisis infida, inquit, est universa eorum natura & contraria significans: at si aliqua sunt, dicta sunt, & ex conjunctione signorum certitudo possibilis est indaganda.

Inter signa communia debet adduci indicatio in quaternario facta, ratione cujus Hippocr. 2. *aphor. text. 24.* ait, *Septenorum quartus est index.* Et 4. *aphor. text. 71.* *Quibus dies septima crisis futura est, his urina rubram nubeculam die quarto habet.* Ità ut quando cum dictis signis cum perturbatione scilicet præcessit in die judicante mutatio, vel significatio aliqua certiora crisis absolute erunt signa, quorum naturam significavit Hipp. 2. *aphor. text. 13.* dicens, *Quibus crisis futura est, nox antecedens difficilis.* Ad quod non minus faciet perturbationem fieri etiam in die judicatorio; erunt tamen hæc signa cum aliqua differentia: nam ea quæ perturbationem significant, vel sequuntur, instantis crisis indicia sunt, judicatio tamen, vel insinuatio in quaternario non imminentis crisis, sed ipsius in suo septenario futuro est signum, ità ut quæ imminentem crisis significant, verè critica signa dicantur, quæ verò in quaternario indicant, non ità, vel pro hoc, vel illo die sunt, talia enim sunt ipsa signa cœctionis, scilicet, immutatione in urina, quæ prout in die judicante apparet, crisis dicitur signum, juxta doctrinam Hippocr. quæ signa in febre non lethali certiora crisis sunt, ut Hippocr. 8. *prog. text. 32.* Nam in lethali periculosa valde existunt, id eò infida ea appellat Galenus: nam signo aliquo lethali existente, ipsa perniciofa appellat Hippoc. *text. 13. ejusdem lib.* quod non tollit critica etiam esse posse in febre lethali, at si virium imbecillitas constet, potiùs mortis, quam crisis timenda sunt indicia.

Signis communibus positis aliqua dantur determinatam crisis ostendentia, quæ jam particularia sunt, quia particularem demonstrant crisis, de quibus Galenus 3. *de ca. cap. 11.* Non particularem aliter quam ratione evacuationis, ut constet quam necessaria sit divisio crisis ratione connotati, vel evacuationis, quam requirit

Qu. III. De sign. & morb. propr. Crisis. 24t

quirit, & connotat, sicut etiam dedit diversitatem crisis ratione perturbationis, quatenus 1. *de dieb. decret. cap. 2.* aliam dixit esse cum gravibus accidentibus, aliam sine ipsis: per quod non est intelligendum crism aliquam sine accidentibus esse, licet sine signis dicatur à Galeno quæ indicata non fuerit 3. *de cris. cap. 14.* vel quatenus ipsis non constat gravibus, cujus causam dabimus *infra*, omnem tamen crism supponere perturbationem docuit Galenus *suprà*, & sic sine signis esse repugnat, dicemus tamen cujuslibet signi aparticularia.

Galenus *cap. 3. & 4.* ut indicia optimæ crisis describat, morbi speciem vel naturam considerare docuit, ut inde quævis sit propria evacuatio dignoscatur; cognoscitur enim vel à priori, vel à posteriori, qualis sit morbus, & sic, & crisis conveniens à priori, vel à posteriori deducetur: Cognoscitur à priori morbus per causam; à posteriori per ejus accidentia: similiter crisis futura per causas crisis in morbo repertas epid. quod in simili morbo fuerunt: ad quod ætatem, tempus, & actualem dispositionem considerare docuit Galenus: nam si morbus ex illis est, qui ab humoribus calidis & tenuibus dependet, excretionibus potius quàm abscessu terminabitur, è contrà verò qui à crassis & frigidis humoribus nascitur, quâ proportionem de tempore anni est procedendum; de corporis temperie & ætate, ut Galenus 2. *prog. comm. 65.* & 3. *prog. comment. 24.* sequens Hippocr. quod cum ordine ad facultates esse intelligendum docuit etiam, ità ut facultas fortis pro humoribus crassis expellendis requiratur, etsi pro tenuibus si fiant abscessus, debilis sufficiat; sic non in senibus, sed in juvenibus fieri docuit Hippocrat. 3. *prog. text. 26.* ex eò quod morbus ipse facere habet, etiam crisis futura dignoscitur: nam juxta præsentem temporis dispositionem morbi vel per sudorem, vel abscessum, vel aliter terminantur, & sic idem de morbo pro tunc eveniente, prælagiendum; facit enim tempestas vel ratione astri, sive ratione loci, sive ratione ipsius anni mutationis ut omnes morbi pro tunc eadem evacuatione finiuntur, sicut dum ratione materiæ evacuationes eveniunt cum ordine ad corporis dispositionem diversis evacuationibus morbi finiuntur in eadem tempestate; ad quod faciet magis cujuslibet morbi specialis dispositio, ut Galenus 3. *de cris. cap. 3.* dicens, *Inspicere oportet, & speciem morbi, & morem, deinde si forma morbi excretio respondeat.* Et immediatè pro febre ardente quamlibet excretionem convenientem judicat, id est; per quamlibet regionem (de hoc est difficultas) pro tertiana verò sanguinis fluxum, non numerando alias, maximè pro quotidiana dejectiones & vomitiones pituitæ, necnò sudores, pro phrenitide sudores, & aliquando sanguinem narium; quam evacuationem non esse conducentem pro lethargo, & pulmonia fatetur, etsi phrenitidem medio modo se habere inter febrem ardentem, & lethargum asserat, pro lienis & omnium hypochondriorum inflammationibus, febre unà existente, sanguinem narium commendat cum rectitudine evenientem, vel sudores, etsi pro parte cava hepatis utilior sit ventris fluxus, & pro gibba urinæ motus, sicut & pro affectibus renum & vesicæ; pro affectibus pectoris & thoracis sputamina; tandem pro communi febre sudores laudat, nec non, & pro inflammationibus, pro quartana

vomitibus, & dejectiones atras; pro semitertiana biliosas, & pituitosas, necnò pro parotidibus lethargo, & omni capitis morbo; abscessus tamen pro febre qualibet longa; etsi immutatio pulsus communis pro qualibet crisi sit; de eà non agit Galenus quia pulsus immutari, non tant crism quàm corporis, & humorum quamlibet variationem sequitur, & pluries æqualis pulsus resultat, materiâ à corde semotâ, immutatio tamen quæ invenitur in qualibet determinata crisi, explicabitur de qualibet agendo.

Cum ergo & morbus speciales habeat crises ex ejus quoque natura qualis sit futura deducemus, præcipuè si signa specificantia seorsim attendamus, ut ex eis, quæ pro quolibet morbo propria adducit Galenus eam determinatam cognoscamus, ità ut paucioribus signis existentibus pro crisi, tali morbi propria ipsa sit prædicenda, quàm si plura etiam pro alia inveniantur; præcipuè si tempestas pro ipsa faciat: difficile tamen est an crises dictæ ità pro morbis positæ faciant; ut alia pro ipsis non conducatur; videtur enim ratione, & experientia contrarium demonstrari; quis namque expertus non est parotidibus pluries morbos acutos terminari, ergo non solum excretionibus, sed etiam abscessu poterit febris ardens judicari, ac per consequens malè Galenus solas excretiones nominat crises.

Probatum etiam ratione: nam si plurimum tenuè resolvarur in febre ardente, crassum quod remaneat optimè potest permutari in abscessum; ergo non solum excretionibus judicatur: Antecedens patet, & adhuc de tota materia tenui potest verificari, cum asserat Galenus 3. *prog. comment. 24.* abscessus fieri materiâ existente calidâ, & tenui cum facultate debili, ergo etiam febris ardens abscessu poterit judicari. Quod confirmat ipse dum parotides pro omnibus affectibus capitis utiles judicat, sed plures fiunt ab humore tenui, ut est phrenitis, ergo utilis erit etiam abscessus pro febre ardente.

Secundò, quia videtur fluxum sanguinis narium utilem esse pro tertiana, sicut alias excretiones. Patet: nam phrenitis fit à bile, & pro ipsa sanguinem narium commendat Galenus: ergo etiam si tertiana fiat à bile, utilis erit sanguis narium.

Tertiò pro quotidiana debet adducere abscessus, cum à crasso pendeat humore qui aut coctione, vel abscessu morbum finit, ut Galenus 2. *prog. comment. 65.*

Quartò, nam si pro inflammationibus hypochondriorum sanguinem narium laudat, & pro phrenitide, debet etiam pro lethargo, & peripneumonia commendare, præcipuè cum hi affectus sanguinis missione curentur: ergo si sanguinis missio ab arte facta medela est, critica sanguinis expulsio medela esse debet, ad quod facit connexio & reëctudo magna partis affectæ cum narium fluxu, quæ est major in lethargo, & pulmonia, quàm in phrenitide, & jecoris vel lienis inflammatione.

Quintò: Nam sanguis narium est utilis quatenus materia antecedens, & forsan conjuncta, evacuatur, liene, vel hepate patiente; sed hæc utilitas sequitur necessariò, etiam si febris acuta non sit; ergo non solum est commendandus sanguis narium in jecoris inflammatione febre unà acutâ existente, ut voluit Galenus, sed etiam sine ipsa. Patet; nam etiam si febris non sit, ter-

minabitur inflammatio, evacuato sanguine per artem, ergo sanguinis evacuatio per naturam utiliserit, etiam si deficiat febris. Circa convenientiam sudoris in hepatis inflammatione non curo dixisse Mer. lib. 4. de cur. morborum cap. 2. sudorem norandum esse hepate inflammato; nam intelligi potest de sudore vi medicamentorum facto, vel de sudore absolute inflammata parte sine febre acuta; Galenus verò loquitur de inflammatione cum febre acuta, sudore optimo à natura facto; sudor namque vi medicamentorum periculosus est ob calefactionem, & commotionem humoris ad partem affectam; qui verò à natura fit, potius expulsionem denotat: & facultatis robur, ratione cuius adhuc febre existente majorem convenientiam habet.

Tandem quia in phrenitide & similibus affectibus peccat bilis; sed critica & conveniens evacuatio debet esse juxta ideam humoris peccantis, ergo pro ipsis utilis erit bilis evacuatio, ac per consequens illa in qua alter humor evacuetur inutilis erit. Major patet ex doctrina Galeni, & Avicenn. Minorem ostendit Galenus in ipso capite 3. juxta doctrinam Hippocr. 1. aphor. text. 2. dicentis sic. *In evacuationibus ventris, & vomitibus spontè factis, si purgatio fiat qualis fieri debet, & confert.* Et text. 23. sic. *Dejectiones non multitudine sunt estimandæ, sed si talia deiciantur qualia conveniunt.* Ergo crisis debet esse juxta ideam humoris peccantis, sed sanguinis fluxus tantum abest ut sit juxta ideam humoris peccantis in phrenitide, quin potius evacuatione sanguinis prohibeat Avicenn. bile peccante; ergo non erit conveniens crisis pro sanguine narium in tertiana, & phrenitide. Quod in his affectibus peccet bilis constat; nam Galenus 1. de art. cur. ad Glanc. cap. 9. expressè docet tertianam à bile fieri, & remediis contra ipsam facientibus curari: 3. tamen de loc. capite 5. phrenitidem à bile tantum ortum ducere scripsit; ergo in his affectibus non erit utilis sanguis narium.

Nihilominus verum est crises convenientes pro quolibet ex dictis affectibus esse assignatas à Galeno, alias verò non ita conducentes esse, etsi possint facere pro ablatione talium morborum: aliud enim est quæ sint evacuationes conducentes pro morbo, aliud verò an cum aliis possit morbus cessare. Primum docet Galenus in hoc cap. 3. nam agebat de conditionibus optimæ crisis, & de ipsis agens dixit quod formæ morbi excretio respondeat, id est, quod evacuatio sit juxta ideam humoris peccantis; nam talis meritò optima ex hanc parte dicitur, & in ordine ad hoc crises dictas numeravit pro morbis dictis: agit ergo de signis optimæ crisis, & sub hoc titulo inscripsit; & cum crisis, quæ non sit juxta ideam, & regionem causæ, non debeat judicari optima pro morbo, etsi pro ejus ablatione faciat, hinc est, quod adducat evacuationes pro morbis, quæ sint propriæ juxta ideam causæ, non verò quæ juxta eam non sunt, etsi morbum solvant.

Ad primum Respondetur quod licet abscessus pro febre ardenti possit facere, cum non sit ejus propria terminatio, non adducitur à Galeno; est enim propria terminatio humoris facientis febre ardentem, qui tenuis, & calidus est, excretio vel evacuatio, juxta doctrinam Galeni 2. prog. comment. 65. & 3. prog. comment. 24. crassi

verò humoris abscessus: & cum in febre ardente crassus non peccet humor, abscessus non adducit, qui non communiter eveniunt; quod non tollit id quod esse potest; potest etiam abscessus sufficere pro febre ardente, dum facultas est debilis, ut docuit 3. prog. comment. 24. At cum hoc rarò sit, non potest adduci ut signum commune optimæ crisis, non negat Galenus in febre ardente, & in aliis abscessus posse accidere prava, ut fit in principio plurium malignarum febrium, & ut docuit Hippocrat. 2. pranot. qui pravi sunt, & febris malignæ, & pestilentis efficax signum, sequitur enim irritatio malignæ causæ; Galenus verò in præsentia agit de optimis terminationibus morborum, quales sunt propriæ, & hac ratione etiam 1. prog. comment. 65. dicens cuius morbi proprii sint abscessus: sic ait. *Non enim si concoctu facilis sit per abscessum solvetur morbus, nec si exitiosus existat aliquis bonus abscessus apparebit.* Et sic dum ejus signa dedit Hippocr. in ipso text. & 3. prog. inquit esse expectandos in febre salubri, quasi diceret non nego posse esse abscessus in febre lethali, at abscessus boni non nisi in febre salutarum sunt expectandi.

Ad secundum, jam diximus crism propriam adducere conducentem tantum, & sic licet possit esse utilis sanguis narium, non est propria evacuatio in tertiana.

Ad tertium dicimus quod licet non numeret abscessus agens de quotidiana, ipsos sub generali ratione comprehendit dum infra sic ait, *Decubitus omnes febres diurnas judicare consueverunt.*

Ad quartum Respondetur quod cum lethargus & pulmonia communiter à pituita fiant, ut docet Galenus de lethargo 3. aphor. comment. 30. de pulmonia, 4. de præsaq. ex pul. cap. 12. hinc est quod sanguinis fluxus non sit propria evacuatio, & sic non adducatur, etsi possint per ipsum solvi saltem evacuatione mixtâ, phlebotomia tamen fit in dictis morbis pro causa, vel materia antecedente, quàm pro conjuncta, & sic ut notat Merc. magis pro deponenda plenitudine sanguinis missio exercetur, quàm propter curationem.

Ad quintum Respondetur dixisse Galenum sanguinem narium esse utilem inflammato hepate, cum febre acuta, agebat enim de signis bonæ crisis; & cum crises sint acutorum morborum propriæ, ut ipse dicit, hinc est quod non adducat crism inflammationis tantum, sed ipsius cum febre acuta & de ipsa etiam docet sudorem esse utilem.

Ad ultimum dicimus Galenum non adduxisse pro optima crisi phrenitidis sanguinem narium, sed potius sudorem: dixit tamen aliquando terminare sanguine narium, quod est dicere ejus esse propriam crism, sed aliquando convenire, quod pluries sanguine & bile fit, pro quibus humoribus utilis est narium evacuatio sanguinea, dixit enim 2. de caus. symp. cap. ult. ob hanc rationem à calidis succis fieri, tertiana verò ex se à bile exquisita fit, & sic ei nunquam sanguis è naribus detrahetur.

QVÆSTIO IV.

De signis ostendentibus Crisim per abscessum.

UM plures crises, vel evacuationes pro quolibet morbo sunt, est necessum cuiuslibet adducere propria signa. Crisim per abscessum significavit Galenus 3. prog. comment. 25. in longa febre dum sine manifesta causa dolor in articulis apparet, præcipuè post vigesimum diem; & 2. prognosticorum comment. 65, si febre perseverante & dolore in pulmone, nec sputum excreatur, nec alvus biliosa, vel liquida excernit, nec urina multa, & crassa, sed cruda, & tenuis est, & alia salutem prædicant, abscessus expectandus est; supra, si spiritus adit diffcultas; infra, si dolor in hypochondriis, vel articulis appareat. Eademque signa adducit cap. 11. citato, quibus addit surditatem, somnum & capitis gravitatem, ut post aures abscessus prædicemus motum humoris per illam regionem significantes, dixitque hoc in febre continua evenire cujus propriae sunt crises, quæ longa debent esse ob humorum crassitiam; nam ob errorem, vel partem affectam difficilis curationis adveniat materia, apta pro abscessibus non est, & sic non sunt expectandi; est enim abscessus media terminatio inter illam, quæ per evacuationem & per coctionem fit, illa fortem facultatem, & humores ad expulsionem aptos demonstrat, coctio verò debilem facultatem in ordine ad expulsionem, ratione cujus abscessus facultatem demonstrat pro expulsionem valentem, saltem ad alteram partem, quæ media est, ut docuit Galenus comment. 25. prog. citato, & Avic. fen. 2. lib. 4. cap. 2. evenire dixit dum facultas expellere tentans non valet extra propellere, valet tamen in alteram partem humorem rejicere; propter quod Galenus comment. 23. supra, facultatem fortem pro humore crasso requirit, etsi debilem sufficere debeat dum humores tenues sunt.

Ex dictis manet quod licet abscessus possint accipi pro tumoribus suppuratis, ut docuit Galenus 14. meth. cap. 12. ex eo quod partes, quæ antea erant conjunctæ abscedant, vel separentur, ut voluit 2. ad Glau. cap. 7. & pro expulsionem vel decubitu humoris ab una parte in alias etsi non firmetur; quâ ratione Hippocr. 1. epid. parte 2. text. 35. dysenterias & alvi fluxiones abscessus appellat, ut docet in comment. Galenus sic ait. *Quod autem per missionem evacuationes abscessus appellet, per eam qua infertur orationem determinavit.* Et licet accipiatur etiam pro morbo in quem alter permutatur: quâ ratione 3. epid. p. 1. de Herm. appellat ictericosum abscessum ictericiam in quam morbus fuit mutatus, in præfenti pro tumore in quem materia morbi permutatur, accipitur, naturâ ipsam expellere conante, in quo vera ratio abscessus reperitur, abscessio scilicet partium conjunctarum per inhibitionem, seu immisionem humoris expulsi in illam partem, ratione cujus abscessus dicitur à Galeno 2. ad Gla. & 14. meth. citatis, & ratione cujus ab ipso 3. de cris. cap. 3. & 11. & ab Avic. cap. 2. citato, crisis permutatio dicitur, non

absolutè crisis abscessus, & per ipsum quemlibet tumorem in quem morbus permutatur intelligit Avic. etsi etiam alios affectus per nomen exituræ significet sub ratione permutationis.

Temporis temperies etiam ad abscessus facit, & sic ex ipsa deduci possunt, propter quod Hippoc. 3. prog. text. 29. ait. *Abscessus hyeme magis accidere, serius finire, & non facile reverti.* Facit enim frigida temperies ad materiam crassam generandam quæ febris longæ sit causa, cujus propriam terminationem dixit Hippoc. abscessum 3. prog. citato & 4. aphor. text. 44. ait. *Quibus febres longa, his tubercula vel labores in articulis sunt.* Quod tardius finiantur certum est, frigore ejus resolutionem, & calefactionem impediendo, sicut & reversionem materiâ incrassatâ magis & refrigeratâ, sic ait Galenus in comment. *At frigidi humores moveri difficiliter possunt.* Quid mirum ergo quod minus retrocedant hyeme, quàm æstate, in qua humorum caliditas ad facilem motum conducit.

Docuit etiam Hippocr. abscessum esse expectandum dum urina non est multa, & crassa; quod idem est ac si diceret crudam & tenuem, ut 2. prog. text. 34. scripsit. *Quod significat non evacuari materiam morbi coctam paulatim, & sic ex tali materia crassa detenta abscessus est expectandus.* Idem 4. aphor. text. 74. ait; *Liberat ab abscessu urina multa & crassa,* Quatenus ejus materia evacuat; ergo ex urina tenui & cruda per plures dies ejecta abscessus est præfagiendus: dixit Hippocr. si pluries mingatur, nam ex unica vice materia pro abscessu non conjungitur, conjungitur tamen si pluries detineatur: circa quod difficile resultat dubium: Nam si urina multa, & crassa plurimum habens sedimentum, liberat ab abscessu, quia materia paulatim evacuat, vel talis evacuatio est critica, ita ut dicamus per crisim à crisi liberari, & concedamus crisim paulatinam, quam plures renunt, vel est evacuatio facta paulatim materiæ coctæ, qualis reperitur in omni morbo qui terminatur per coctionem, quod est contra nostrum placitum, quo dicimus mutationem paulatinam cum evacuatione esse crisim, & consequenter omnis morbus, qui terminatur coctione, terminaretur crisi, quod est contra ipsum Galenum 3. prog. comment. 23. dicentem humores crudos vel per coctionem, vel per abscessum ejici, calidos verò per excretionem, ubi ponit distinctionem in hoc, quod est terminari crisi, vel coctione: nam si per coctionem crisis intelligeretur, omnis optima crisis coctionem requirit, & sic non erat adducenda distinctio inter hoc quod est finire crisi, vel coctione.

Præterea: quia si crisis debet supponere coctionem in materia propter quam in statu debet fieri, ut Galenus 3. de cris. cap. 5. & 6. non poterit expectari abscessus urinâ existente crudâ, & tenui, aliàs pravus erit, quod non concedit Hippoc. cum agat de ipso in morbo, qui abscessu debet benè terminari. Nec valet communis solutio dicens abscessum esse expectandum quando per multum tempus urina tenuis, & cruda est, quia significat materiam detineri ad permutationem, non tamen est expectandus donec urina coquatur, quia sine coctione crisis non est, hoc (inquam) nil valet: nam urina non potest apparere cocta nisi quia signis coctionis in ipsa conspiciantur; sed quando ita apparet, materia

evacuatur; ergo non erit expectandus abscessus, quia dum utrima cum sedimento ejicitur, ab abscessu liberare docuit Hippocr. & in statu sedimentum debet esse, præcipue ex materia crassa, quæ debet facere abscessum.

Ad primum dicimus dupliciter per urinam crassam & cum sedimento ab abscessu liberari, vel per crism, vel per coctionem, quia utroque modo materia evacuatur cocta, ut Galenus docuit: nam 3. de cris. cap. 3. crisis bona cum signis coctionis debet esse, & dum morbus terminatur coctione, materia cocta debet extra corpus pelli, vel per dejectionem, etsi rarò, vel per urinam, ut 3. prog. comment. 23. docuit etiam: hæc tamen est differentia, quod dum materia evacuatur cocta per crism subito, evacuatio ferè totius materiæ est, aut majoris partis ejus; etsi postea paulatim reliquum evacuetur, incipitque talis universalis expulsio, in statu, & tempore accessionis, ut 3. de cris. cap. 4. docet Galenus, quia tunc natura excitatur magis ad pugnam contra causam, & consequenter ad expellendum movetur; idè Avic. fen. 1. lib. 4. c. 3. definiens statum ait, *Et hora in qua est vehemens pugna inter naturam & materiam, & apparet victoria unius supra aliam, & est hora pugna*, & sic in ipsis tota materia in unicam criticam expulsionem servatur, quin aliud ejiciatur præter id quod mutationem materiæ quoad coctionem & cruditatem significat; in aliis autem morbis qui ad unicam criticam expulsionem non servant materiam, paulatim ab augmento morbi incipit sensibilis, & manifesta materiæ expulsio, & sic deficit pro abscessu, idè dixit, *Si pluries mingatur tenuis, & cruda urina, expectandus est abscessus*, Quia deficit quod per plures dies erat evacuandum, non tamen erit critica evacuatio illa, quia nec in statu seu tempore pugnae fit, nec perturbatione facta in die judicatorio à causis crism faciètibus.

Ad secundum dicimus non evenire abscessum bonum in urina cum signis perfectæ coctionis existat, quæ non dicunt evacuationem materiæ ab abscessu liberantem, de qua loquimur. Hipp. loquitur de multa urina cum multo sedimento; signa autem quæ augmentum, vel statum significant, non faciunt urinam multam crassam, & cum multo sedimento, & sic non tollunt abscessum, sed ipsum jam futurum significant cum aliis signis, significatus namque fuit antea per cruditatem & tenuitatem præcedentem urinæ in morbis longis post vigesimum diem, perseverante febre cum salutis signis.

Circa partem in qua firmandus est abscessus, Hippocr. 2. prog. text. 66. quem sequitur Galen. in comment. & 3. de cris. cap. 11. inquit, [Si dolor vel phlogosis in hypochondriis appareat, infra expectandus est abscessus, supra verò his deficientibus, præcipue si difficultas respirandi adveniat, surditas, & alia, quæ capitis gravitatem significant.] Clarius tamen 4. aphor. text. 33. sic. *Si ante morbum aliqua pars laboraverit, in ea morbus firmatur.*

Vnum tamen notandum quod docet Valles. 2. meth. cap. 13. abscessus scilicet majores evenire dum non fuit facta evacuatio satis inter initia, idest sufficiens, ut constet residuum materiæ quod debebat evacuari & evacuatum non fuit, abscessus fuisse causam, & sic nil mirum quod in quantitate ita parva materia faciens abscessum pro terminatione morbi sufficiant, nam non to-

ta quæ morbum faciebat movetur, sed residuum quod post evacuationes redundabat, & forsitan foci putredinis vitium, vel intempericem confer-
vabat; dum autem non residuum, sed tota materia, vel magna ejus quantitas existit pro abscessu, periculum magnitudinis valde lædētis diversimodò juxta diversitatem partis, vel per suffocationem, si post aures fiat, vel per corruptionem manûs, pedis, vel articuli: propter quod Hippocr. 2. prognost. text. 67. ait. *Si nec sputum probe excernitur, nilque residet in urina, ne ex eo articulo claudicat ager periculum est.* Quasi diceret, si nil materiæ ejectum fuerit, corruptionis articuli, hoc est partis affectæ periculum est, propter concursum magnæ humorum quantitatis ad partem, calorem nativum suffocantis & corruptentis.

QVÆSTIO V.

De signis ostendentibus Crism per fluxum sanguinis.

CRISM per fluxum sanguinis fieri docet Hippocr. 2. progn. text. 36. & 3. prog. text. 13. & 1. epid. p. 3. agrote 7. Galenus 3. de cris. cap. 3. & 11. & Avicenn. fen. 2. lib. 4. tract. 1. cap. 5. Et quod magis est, experiētiā in Metone fuit ab Hippocrate comprobatum lib. 3. epid. & in Larissa agrote 12. ejusdem libri, ratione cujus sit exscriptit 1. epid. parte 2. ante medium, *Plurimis in febribus menses apparebant, quibusdam verò ex naribus sanguis profluxit, quibusdam & ex naribus sanguis & menses proruperunt, nec ullam mortuam novi ex his quibus aliquid horum probe factum est.* Docet ergo per fluxum sanguinis utiliter morbos terminari. Potest tamen fieri per triplicem regionem, & per nares, & per uterum, & per hæmorrhoidas, de quibus omnibus agit Galenus 3. de cris. cap. ultimo, & Avicenn. fen. 2. lib. 4. cap. 6. & 10. & 11. sequentes Hippocratem diversis in locis: nam de fluxu sanguinis nativum & menstrui egit loco citato; de hæmorrhoidibus 6. Aphor. text. 11. sic. *Attra bile vexatis, & renum passionibus, hæmorrhoides supervenientes, bonum.* Et text. 21. sic. *Insanientibus si varices, vel hæmorrhoides superveniant, insania solutio.* Quibus verbis docet prædictis morbis crism convenientem esse hæmorrhoidum fluxio: quod licet verum sit, quia præcipue per dictam regionem humor melancholicus evacuetur, & crassus, ut voluit in comment. Galenus, & pro pluribus aliis morbis utilis est talis fluxus, ut Hippocr. 6. epid. p. 3. text. 31. sic. *Hæmorrhoidas habentes, nec pleuritide, nec pulmonia, nec furunculis corripuntur.* Ergo si ab his præservant affectibus, utiles erunt, pro ipsorum terminationibus. Nunc ergo crism per fluxum sanguinis præcognoscere docuit Hippocr. 3. progn. text. 35. & Galenus in comment. & 3. de cris. cap. 11. ait Hippocr. *Quibus in non lethali febre capus dolet, oculi verò illas imagines obscuras non vident, sed caligine hebetantur, vel splendentia cernere putant, ac pro ventriculi morsu in alterutra parte præcordia tenduntur, sine dolore, sanguis è naribus profluat.* Dolor enim capitis, communis ad assignandum vomitum vel narium sanguinem; diversificandum tamen est prognosticum

eum, vel ex aliis signis adjunctis, vel ut Galenus *suprà*, quia pro vomitu facit dolor mordax, pro sanguinis verò fluxu, dolor gravans; bilis enim & vapores acres pro vomitu faciunt: sanguis tamen non mordax pro sanguinis fluxu, idèò gravat, & non irritat, præcipuè circa tempora per quorum vias sanguis movetur & compressionem aliquam facit, ut virtus ad visionem deficiat, & hebetudo causatur: si autem aliqua videntur, splendentia sunt, vapores tamen vomitum excitantes moventur cum alimento permixti, tenebrositatèque causant, ipsis communicationem specierum impredientibus, & objecta tenebrosa repræsentantibus, ut de imaginibus agens scripsit Petrus Garcia *d. 23. de loc. af. c. 3.*

Involuntarias oculorum lachrymas, etiam sanguinis narium adduxit Galenus *cap. 11. citato*, ex Hippocrate *1. epid. part. 2. text. 80.* quia per motum humorum per vias dictas humidum quod juxta oculos est comprimitur & exit nullâ facultate propter compressionem operante; quod debet intelligi in febre non lethali, idèst, nullo mortali signo existente: nam cum ipso facultatis debilitas potius est præfagienda, & mortis potius est signum, ut *1. prog. text. 6.* docet Hipp. ad quod etiam præfagiendum colli dolor facit, siquidem motum sanguinis per illam regionem ostendit.

Sanguinis fluxus per uterum, vel hæmorrhoidas præfagiendus est in subjectis ad eum aptis dum signa generalia crisis sunt, nullumque signum est motum humorum per aliam regionem significans; & ex alia parte dolor circa partes inferiores sentitur gravans, & irritatio, vel titillatio aliqua circa dictas partes, præcipuè si morbus juxta ideam evacuationum fit, & in regione cujuslibet, quales melancholici sunt pro hæmorrhoidibus, & pro utero qui ex suppressione menstruorum originem trahunt. Totum quod *3. de cris. cap. 11.* docuit Galenus, & Avic. *fen. 2. lib. 4. tract. 1. cap. 10. & 11.*

Difficultas tamen est an sicut aliis evacuationibus benè terminatur morbus, etiam sanguinis narium optimam crism facere possit, cujus ratio dubitandi est, quia licet tot terminationes optimas per sanguinem narium adducat Hippocr. & Galenus; *locis citatis*, toties morbos adducat quibus utiles sint sanguinis evacuationes per nares, ut constat experientiâ. Hippocr. *1. prædict. vel prorrheticorum text. 1.* ait, *Stillatio è naribus his perniciofa, præcipuè si quarto ceperit die.* In eius comment. Galenus ait. *Cum itaque stillatio è naribus semper malum fit, absolutissima morbi malitia significatur, si quarto fiat die.* Idem repetit Hippocr. *part. 3. ejusdem libri text. 49.* per hæc verba. *Ex naribus cum surditate parva sanguinis stillatio, difficile habet.* In cujus comment. Galenus ait. *Nescio quomodo pravum malum esse intelligat sanguinem è naribus, stillicidij instar fluentem, cum is, qua cerebrum affectum esse significant lethale signum erit sanguis è naribus stillicidij instar fuor.* Idem docet *text. 56. & 1. epid. p. 2. text. 75. sic. Nec erupit è naribus sanguis, sed parvum stillarunt, cæterum ad sextum cum sudore moriebantur.* Galenus in comment. *quem etiam stillasse nares, quod perniciosum est tum aliis, tum maxime in febribus ardentibus.* Docent ergo Hipp. & Galenus sanguinis narium paulatinas evacuationes (idèò stillationes appellantur) pravum esse signum. Quam doctrinam sequuntur Avic. *c. 74. f. 2. lib. 4.*

Augetur difficultas, quia paulatinam esse mutationem non impedit esse materiam morbi per eam totaliter evauatam: ergo non ex eo quod sanguinis fit stillatio per nares, mors erit præfagienda. Antecedens patet: nam paulatinam fore evacuationem non tollit naturam materiam totam rejicere; ergo nec causam morbi evacuari, ac per consequens non erit narium pravum signum; præcipuè cum non implicet ita fieri materiâ coctâ ob remissum irritamentum naturæ, vel ob debilem facultatem, sufficientem tamen ad paulatinam expulsionem sine periculo, vel quia non per modum crisis materia paulatim ejiatur, ut dum coctione terminantur morbi.

Confirmat assumptum historia Metonis *1. epid. agro 7.* in quo salus fuit consecuta signis cruditatis malignæ existentibus sanguine quarto die in parva quantitate fluente & postea quinto & deinceps repetito. Pro quo etiam facit quod docet Hippocr. *1. pran. coacorum. Si superveniens in febre ardente fluxio sanguinis ex naribus quanto die, mala est, si non aliud quid boni coinciderit, verum quinto minus periculosa est.* Ergo absolute non est signum mortale. Idem ostendit *infra* per hæc verba. *Quibus febrile incipientibus sanguis de naribus sternutatione fiente destillat, & urina subsidentiam albam die quarto habet, his in septimo die solutionem significat.* Et *infra.* *Contingit etiam his in primo circuitu sanguinis eruptio è naribus, & valde prodest.*

Hanc difficultatem solvere conatur Recentior quidam, dicens sanguinem è naribus in primis diebus evenire, vel signis aliquibus coctionis apparentibus, vel signis cruditatis, & sic juxta horum signorum diversitatem malum, vel bonum esse; nam cum adducit materiâ existente crudâ perpravum est, quia vel debilitatem facultatis, vel ejus irritamentum à multitudine vel malitia materiæ significat, ut docuit Galenus *4. acutorum comment. 67.* propter quod Hippocr. *6. epid. part. 1. text. 9.* evacuationes optimas non debere esse in principio scripsit, & de hac evacuatione intelligendus est quoties ipsam mortalem appellat; quâ ratione morbum regium ante septimum malum dixit *4. aphor. text. 62.* quatenus per septimum diem judicatorium intelligit, in quo coctio debet supponi, ut voluit Valles. *1. contro. cap. 9.* quasi diceret, ante diem in quo est coctio malus est morbus regius; *4. verò acutorum text. 18.* Hippoc. morbum regium cum rigore in biliosa febre ante septimum morbum solvere scripsit, quia ante septimum potest esse materia cocta, sicut potest esse cruda post ipsum, & sic per septimum diem intelligendus est judicatorius in quo materia est cocta, & principaliter, per septimum significatur, & consequenter dum Hipp. sanguis stillationem optimam appellat, signis coctionis est, ad quod historiam Metonis adducit Recentior, & verba illa, *Dum sanguis è naribus per sternutationem distillat: Quibus verbis signa coctionis significantur: quod idem videntur ostendere alia verba, ex Hippocrate à nobis adducta, Fluxio scilicet sanguinis è naribus quarto die mala est, si non aliud bonum coinciderit.*

Hæc tamen solutio nullatenus mentem Hipp. assequitur: nam ipse absolute sanguinis stillationem mortalem appellat, nullâ attentione ad signa coctionis existente, ut constat *1. prorrh. text. 1. & part. 3. text. 49.* sic ait Galenus in comment. *Cum itaque sanguinis è naribus stillatio semper malum*

malum signum sit; Et infra. *Nescio quomodo parvum malum esse intelligat cum his, qua cerebrum affectum esse significant, lethale signum erit: ergo sanguinis stillicidium è naribus damnat, nullâ consideratione habitâ de coctione, ut etiam videtur 1. epid. part. 2. comment. 55. absolute dicente Galeno perniciosum esse stillasse nares in febribus ardentibus, quod difficultatem reddit majorem: nam si in ipsis utilissima est sanguinis eruptio, ut in ipso comment. docet Galenus, sanguinis stillatio non debet damnari, potius ut congrua habenda est tamquam propria materiæ peccantis, juxta mentem Hippocr. 1. aphor. text. 23. sic, *Dejectiones non multitudine sunt astimanda, sed si valia deiciantur, ut conveniunt.* Et consequenter cum febribus ardentibus utilis sit sanguinis evacuatio, non debebat damnari sanguinis è naribus stillatio. Comprobât hâc veritatem historia Methonis ab ipso adducta in qua potius signis malignæ cruditatis sanguinis utilitatem attulit: non ergo ratione coctionis præcedentis utilis fuit, ac per consequens non dicitur mala ratione cruditatis, vel bona ratione coctionis: cum quo cohæret quod Hipp. 1. coaca. scripsit, ubi solum ratione diei malitiam evacuationis minui scripsit, non ergo ratione coctionis.*

Nobis tamen dicendum est sanguinis stillationem pravum signum esse absolute, quia insufficientis est evacuatio facultatem significans debilem, & irritatam, quod parvum est, præcipue in acuto morbo in quo vires requiruntur ad victoriam causæ morbum facientis. Nec ob aliam rationem Hippocr. 2. epid. part. 1. text. 9. ait, *Judicatoria, qua non decernunt partim lethalia, partim difficilis judicij:* Id est, evacuationes, quæ per modum judicij adveniunt si non in totum judicant, vel sunt lethales, quia irritatam ostentant naturam, & ipsam non sufficientem, vel terminationem difficilem, vel laboriosam; siquidem difficile vincitur materia ubi natura debilis est; erit ergo stillatio narium pravum signum, quia judicatorium non decernens; hoc est, quia in parva quantitate pro terminatione morbi: nam si in quantitate esset sufficienti, morbus cessaret, etsi crudâ existente materiâ fieret, ut in Methone visum fuit in quo signis exitialibus morbus in totum fuit solutus quarto & quinto die & sæpè post judicationem sanguine è naribus fluente, sic ait Hippocr. *Quarto die omnia exarcebata sunt, fluebat à dextera nare his sanguinis modicus, urina sunt nigra; habebant quiddam in medio unctans subnigrum divisum, quinta effluxit ex sinistra nare sanguis largus, merus, sudavit, judicatus est, sed sanguis erupit sæpè etiam post judicationem.* Docet ergo evacuationem hanc utilem fuisse, quia sufficientem, non quia præcedente coctione fuit, ac per consequens sanguis è naribus stillatio pravum signum est, quia insufficientis evacuatio est, debilitatem, vel irritationem facultatis significans.

Hanc partem probat etiam Hippocr. 1. epid. part. 2. text. 63. sic. *Erant febrium ardentium affectionibus quibus bene, ac largiter sanguis è naribus erupit maximè servabantur, & nullum novi, qui mortuus esset si rectè ipse sanguis profluxisset. Nam Filisco, & Sileno quarto & quinto die parum de naribus stillarunt & mortui sunt.* Docet ergo manifestè Hippocr. evacuationem pravam esse ob insufficientem quantitatem, utilem verò dum

in quantitate sufficienti est, quidquid de coctione vel cruditate sit, ratione cujus sic scripsit Galen. in comment. *Quibuscumque abundè erupit sanguis, fuisse hos superstites, quibus parçè, vel prorsus nil stillarunt nares solos hos perisse.* Quibus verbis docet solum propter quantitatem evacuationem illam pravam, vel bonam esse, cum cætera supponat paria in coctione, vel cruditate; ergo propter parvam quantitatem sanguinis stillatio prava est, debilitatem, & irritamentum naturæ significans: quod deinceps significavit Hipp. nam sic ait. *Erant qui sexto die morbo regio afficerentur, sed his purgatio profuit per vesicam, vel turbata alvus, vel larga sanguinis eruptio.* Docet ergo solum ratione quantitatis pravam esse stillationem, non ratione coctionis, cum dicat utilem esse largam sanguinis evacuationem dum morbus regius ante septimum sit, id est, materiâ existente crudâ, ut voluit in comment. Galenus. Propter quod etiam Hippocr. 1. coacarum, ait, *Sanguinis stilla pusilla mala,* id est parvæ. Clariùs tamen 4. acut. text. 68. postquam stillationem sanguinis damnavit in die judicatorio, ait quippe in decretoriis perniciosum est, nî multus sanguis confertim, vel per nares, vel per alvum effluxus, & superantem plenitudinem finiat; ergo stillatio sanguinis solum ad parvam quantitatem prava est, quod scripsit expressè supra text. 63. ejusdem libri.

Hoc etiam ratione probatur: nam quidquid sit de coctione materiæ, si quantitas requisita non evacuatur, debilitas facultatis significatur; sed pravum est facultatem debilem esse: ergo solum ratione quantitatis pravum est signum; idè evacuationes inceptas, & non perfectas juvandas esse docet Galenus 1. aphor. comment. 20. prava enim erit sanguinis stillatio materiâ adhuc coctâ ob parvam quantitatem, quæ solum ob debilitatem facultatis potest evenire; nam materiâ coctâ existente nil aliud potest impedire completam fieri evacuationem, ac per consequens cum evacuationes materiâ existente crudâ pravæ sint, rectè dictum absolute à Galeno stillationem sanguinis narium semper pravum signum esse, quia coctâ materiâ debilitatem significant, & materiâ crudâ irritamentum & debilitatem: ob quod Galenus de dictis stillationibus agens 1. prorrh. cap. 1. solum ob debilitatem fieri dixit, propter quod etiam pravum judicat evacuationes inceptas non perfici, quod non solum de stillationibus sanguinis, verum de qualibet evacuatione protulit, & sic postquam de qualibet locutus fuit, ait in illis, quæ cæperunt, si protinus desierunt, apparet excitatio quædam conante naturâ expellere molesta, atque ita ob imbecillitatem perficere nequente. Quo fundamento abscessus qui recurrunt damnat Hippocr. 2. acut. text. 68.

Dices Hippoc. 4. acut. text. 67. sanguinis stillationem robur facultatis significare docet; malè ergo dicimus ob ejus imbecillitatem procedere, sic ait: *In morbis acutis qua astate, & autumnose fit repentina sanguinis destillatio, robur & inflammationem in venis significat.* Præterea: nam Galenus in comment. talem destillationem evenire docet, vel ob debilitatem facultatis, vel ob densitatem, vel ob crassitiam sanguinis; malè ergo dicitur pravum signum, quia debilitatem significat facultatis, non valentis evacuationem perficere. Respondetur quòd terminus Græcus qui

interpretatur robor, non significat fortitudinem facultatis, sed causæ, ut Galenus in *comment.* quatenus ob intensiorem distemperie, aut propter multitudinem sui ad sui expulsionem concitat, vel significat tensionem venarum, ut voluit Musa, quatenus quantitas sanguinis pro expulsionem irritans non potest non tensionem facere. Idem Hippoc. dixit robor, id est tensionem, & inflammationem venarum significari dum repentina est sanguinis è naribus stillatio. Ad Galenum dicimus quod etiam si propter crassitatem, vel densitatem non perficiatur evacuatio incepta, debilitati facultatis debet tribui; Nam si robor esset, ut unam portionem eiecit, sufficientem quantitatem eieceret; cessat namque, quia sive propter hoc, vel propter illud facultas non valet supra causam.


Uterius quia si stillatio sanguinis è naribus prava est ob insufficientem quantitatem, sequitur falsum dixisse Hippocr. 2. *epid. part. 1. text. 9.* ubi postquam dixit decretoria, quæ non decernunt esse prava, sic ait. *Fuerunt autem & lethalia, quæ non parva;* Ergo non decernentia, non solum ob parvam quantitatem prava sunt, sed etiam ob multitudinem vires labefactantem. Responderetur potius verba dicta ostendere nostrum placitum; nam dicens, *Fuerunt autem, & lethalia, quæ non parva,* idem est ac si dixisset, sicut non decernentia lethalia sunt ob parvam quantitatem, sunt aliquæ evacuationes lethales quia non parvæ: propter quod Ianus sic verba Hippocr. transtulit, *Possunt etiam fieri perniciose ea, quæ non parva sunt,* quod est dicere decretoria non decernentia ob parvitatem prava sunt.

Solum restat examinare quomodo Galenus sanguinis è naribus stillationem semper malam appellat, nullâ exceptione positâ, ut constat 1. *prorrh. & 4. acut.* cum Hippocrates contrarium ostendat 1. *coacurum,* & ratio etiam id demonstrat: propter quod dicendum est non esse idem pravum signum esse, ac esse mortale: primum affirmamus, non secundum: Nam Hippoc. partim lethalia, partim difficilis iudicij appellavit, non decernentia, quod est prava esse, non absolute lethalia: dicuntur tamen difficilis iudicij, quæ non integrè terminant, sed diversis permutationibus, quod tutum non est, & sic ad argumenta responderetur. Ad rationem quod licet verum sit posse morbum solvi repetitis evacuationibus in parva quantitate, cum evacuatio illa insufficientis non possit non significare facultatem non valentem perficere evacuationem, pravum signum est necessariò, quia per accidens est evacuationem sufficienter repetere, præcipuè cum irritationem ostendat naturæ dum materia cruda est; sic evacuationes sanguinis in Metone repetite prava fuerunt, & irritamentum naturæ significantes, etsi utilitatem attulerunt, fuerunt in magna quantitate, difficile tamen est parvam quantitatem pro causa morbi sufficere, si verò sufficeret, non parva quantitas esset.

Ad Hippocr. dicimus quod quando dixit in *coacis:* *Contingens etiam his in primo circuitu sanguinis eruptio è naribus, & valde prodest,* non est dicere talem evacuationem esse bonum signum ex se, sed prodesse, ut in Metone visum fuit, potest enim prava evacuatio propter irritationem naturæ quam significat, morbum solvere, materiâ sufficienter evacuata: quod rationabiliter de stillationibus non habet locum, nec de ipsis loque-

batur Hippoc. dum autem dixit in septima terminari morbum dum sanguis è naribus distillat, & quarta die subsidientia alba est in urina, non est dicere talem stillationem esse bonum signum, est enim pravum ob dicta: contingens tamen est morbum cum ipsa solui, idem non mortale est signum; potest tamen cum hoc materia à natura corrigi, ita ut septima die solvatur, quæ solutio à mutatione in urina repertâ quartâ die indicatur; juxta quam adducit 4. *aphor. text. 71.* & Galenus in *comment.* & consequenter dum inquit malum esse sanguinis fluxum quarta die, si aliud non acciderit, bonum, idem est ac si diceret ita pravum signum esse ut si ex alio capite non constet de meliori indicatione, mors sit prælagienda, quod non est affirmare bonum esse, sed posse cum ipso bene terminari morbum, quod ab alio signo optimo est deducendum, aliàs pravè terminabitur.

Dices etiam Hippocr. in quinto minus periculosum esse sanguinis fluxum quod non negat esse pravum signum, sed non ita tale; non ut aliqui putarunt, quia quintus dies magis distet à primo, & sic cum minori conjungitur cruditate, jam diximus, non ab ipsa provenire malitia præcisè, nec quia sidus magis quintâ quàm aliâ die adjuvet, sed quia aliquo modo deterior est mutatio prava quæ die iudicatorio apparet quàm in alio propter certitudinem majorem quam dicit malitiæ; sicut melior mutatio in bonum in ipsa die facta ob eandem rationem, ut 1. *prorrh. comment. 1.* docet Galenus; & cum respectu morborum à sanguine pendentium iudicatorius sit magis quartus quàm quintus, ut docet etiam 3. *de cris. cap. 4.* quibus proprium est moveri pares, hinc est quod tales evacuationes in quarta die deteriores sint, quia in suo iudicatorio fiunt, non ita in quinto, etsi etiam pravae sint, propter quod 1. *epid. part. 2.* sic scripsit, *In Filisio & Fileno quarta & quinta die parum de naribus stillabat, & moriebantur.* Ergo omnem stillationem pravam appellat.



QVÆSTIO VI.

De signis ostendentibus Crisem per urinam vel sudorem.

DE R sudorem, vel urinam plures morbos iudicari præter experientiam docet Hipp. 1. *epid. part. 2. text. 21. & 22.* sic ait. *Plerique igitur egroti circa iudicationem rigebant, qui postea exsudarunt, quibusdam morbus regius accidit sexta die, verum his purgatio per vesicam, vel alvus turbata profuit.* Ergo per dictas evacuationes morbos terminari, nequit dubitari. Hanc, vel illam fore evacuationem cognoscemus, si Galenum 3. *de cris. cap. 11.* legamus, sic ait. *Si igitur præter rationem alvus comprimitur, vel urina jam prope crisi existente, rigorem sperare oportet; si is adveniat distinguendum est, numquid sudor post ipsum sequatur, vel vomitus, vel subductio ventris: considerandum etiam est numquid urinis tantum, vel alvo compressa rignerit, si enim ambobus, necessariò sudor multus subsequitur, & magis quando egrotantes deliraverint crescente accessione, & partes externa calidiores & rubidiores conspicerint.*

Quod si pulsus undosus fiat, adhuc amplius sudores expectare oportet. Hujus sententiæ fundamentum videtur desumpsisse ex Hippocrate 6. epid. part. 1. text. 10. sic, *Ante rigorem urina suppressionem.* Quibus verbis, urinæ suppressionem, & rigorem sudoris esse signa intellexit, cujus ratio est, quia cum urinæ, & sudoris eadem sit materia, humiditas scilicet & serositas, urinam suppressam in ambitum totius humiditatem esse dispersam videtur necessarium, rigoremque excitari materiam illam per partes sentientes motam, & tandem sudorem advenire, sic ait Galenus in comment. *Si alvus plura dejecerit, urina suppressa ad futurum rigorem presentendum fidere non convenit: at si alvus fluxa non sit, proximamque esse morbi judicationem prænoveris, egrotum rigere, sudaræque necesse est.* Docet ergo urinæ suppressionem signum esse rigoris, & hunc sudoris, quibus mollitiem pulsus, delirium, & partium externarum calorem addidit Gal. 3. de cris. cap. 11.

Si tamen rectè percalleamus omnia dicta, & quæ experientiâ inveniuntur, videtur nullum signum ex dictis sudorem determinare, quatenus nullam necessariam dixit connexionem: nam urinæ suppressio tantum abest ut sudorem significet, quod vitium aliquod instrumentorum urinæ demonstret pluries, materiam forsitan per crism ad vias urinæ communicatam obstruente, ita adhuc signis judicantibus, & alvo non fluente urina sit suppressa, quin significetur sudor. Et quamvis hoc intelligendum sit nullo vitio existente in viis urinæ, propter copiosam dejectionem urinam supprimi vel minui, sine eo quod sudor adveniat, docet ipse Galenus 6. epid. comm. citato, & 3. de cris. cap. 11. sequens Hippocrat. 4. aphor. text. ultimo, sic dicentem. *Mictio noctu plurima facta, parvam significat dejectionem.* Quod ex eo est quia per utranque regionem humiditas superflua evacuatur, sicut & per sudorem, ergo rectè poterit urina supprimi, quin sudor significetur.

Secundò: nam sudor advenit pluries nullo rigore præcedente; ergo rigor non debet dici sudoris signum: & quamvis hoc fuisset intelligendum quod rigor sudorem futurum significet, non quod sudor rigorem prærequirat, dum modum dignoscendi crism determinatam adducimus, id quod sudorem præcedit necessarium, erat adducendum: Præterquam quod adhuc supposito rigore non est necessarius sudor, ergo non est signum sudoris. Antecedens patet: nam Hippoc. text. 10. citato, suppressionem urinæ ad rigorem præcedere docet, non ad sudorem; non ergo ex hoc significatur rigor tanquam signum sudoris: præterea quia ipse 4. aphor. text. 58. rigore superveniente febrem ardentem solvi scripsit: ergo non est signum sudoris, aliàs non rigore solveretur, sed sudore, & quia juxta mentem Galeni in comment. & 4. acut. comment. 12. ratione evacuationis subsequatæ possit intelligi 3. de cris. cap. 11. urgent hæc verba. *Si præter rationem alvus comprimitur, vel urina, jam prope crisi existente, rigorem sperare oportet: si his adveniat distinguendum est, nunquid sudor post ipsum sequatur, vel vomitus, vel subductio ventris.* Ergo nec rigor, nec urinæ suppressio sudoris est signum; siquidè rigore existente urinam suppressam distinguere docet Hip. an hæc vel illa evacuatio futura sit.

Hanc partem probat Hippoc. 1. coacorum in principio, ubi pluries rigores sine sudore conce-

dit, & saltem facultate non valente pro expulsionem materiæ, ita fieri apparet necessum, de quo loquitur Hippoc. sic. *Rigor corpore jam debili existente lethalis;* & infra, *Anxietates in diebus judicatoriis si in his sine sudore perfrigerentur, & omnes qui sine sudore perfrigerantur, male habent.* Ergo rigor non est sudoris signum: De reliquis signis manifestum existit magis, nam delirium, calor cutis & pulsus undosus sine sudore inveniuntur pluries, ut in pulmonia, vel humore ad extram communicato, nullam evacuationem manifestam existente; ergo nullum datur quod sudoris sit signum.

Quamvis verum sit nullum signum ex dictis, ita sudorem ostendere, ut per quodlibet sudor sit prælagiendus, nihilominus verum est quod dum reliqua signa communiter judicationem ostendunt inveniuntur, & urina, & alvus supprimitur, vel unam alteram non valde fluentem, rigor est expectandus & deinde sudor: nam materia illa detenta cum solum per tertiam regionem propriè ejiciatur, ut docet Galenus 6. epid. comment. 10. & duæ ipsarum, alvus scilicet & vesica, non moveatur per sudorem, necessarium est evacuanda, & sic his signis existentibus sudor est prælagiendus, præcipuè si alia adsint accidentia, delirium scilicet, calor ad extram, mollis pulsus & undosus humiditatem ostendens detentam, idè dixit *si præter rationem alvus comprimitur, jam crisi propè existente:* Nam si alia crisis non essent signa ex dictis, potius pati facultatem constaret quam determinatam crisis futura, juxta doctrinam Hippoc. 3. prog. text. 13. & 32. in quo rigorem & capitis dolorem cum pravus notis lethale judicat, in febre verò non lethali crisis sunt signa, propter quod incerta ea appellat Galenus 1. de cris. cap. 14.

Ex dictis constat solutio ad argumenta: ad prima dicimus quod dum signum sudoris appellamus urinæ suppressionem, est quando sine vitio impediendo sit; nam cum illo, quid mirum quod sudorem non significet; id docuit dicens, *jam propè crisi existente:* Quasi diceret, dum propter crism futuram supprimitur, & in tali casu etiam alvi motum esse respiciendum docet 3. de cris. cap. 11. sic ait. *Si urina sola supprimatur, considerare oportet, nunquid alvi excrementa plura ante crism exierint; si enim plura, manifestè motum naturæ ad hunc locum esse cognoscemus; si pauciora, ad sudores.* Propter quod 6. epid. comment. 10. ait. *Si alvus plura dejecerit, urina suppressa ad futurum rigorem presentendum fidere non convenit: at si alvus fluxa non sit, proximamque esse morbi judicationem prænoveris egrotum rigere sudaræque necesse est.* Docet ergo urinæ suppressionem signum esse sudoris dum alvus non humectatur ultra consuetudinem, & signa crisis sunt absolutè, id est, dum constat ob motum naturæ ad crism faciendam urinam supprimi, & alterius evacuationis non est indicium.

Ad secundum constat quod rigor non est signum sudoris necessarium & quia sudor sine ipso accidit, & quia rigor sine sudore est, aut alià, vel nullam evacuationem sequatur, dicitur tamen sudoris signum dum adest, & alterius evacuationis signum non est, crisi propè existente. Idè sic scripsit Galenus cap. 11. citato. *Si verò signa vomitus non affuerint, solos sudores expectare oportet.* Dixerat Hippoc. 3. progn. text. 32. rigorem cum aliis signis vomitum significare, at

verò ut adducitur à Gal. sudoris est signum; nam ipse non adduxit rigorem solum ad rigorem ex suppressione humiditatis procedentem crisi instante, & alvo non fluente; quomodo necessarius est sudor: sic ait de suppressione urinæ 6. epid. citato. *Si alvus fluxa non sit, proximamque esse morbi judicationem, pranoveris, agrotum rigere, sudareque necesse est.* Dixerat supra solum per alvam, vesicam vel sudorem humiditatem superfluum evacuati, dum verò 3. de cau. sympt. distinguendum esse docet quæ futura sit evacuatio rigore existente, de ipso loquitur absolute prout eum qualibet conjungitur, non verò prout ab urinæ suppressione provenit, & consequenter dum signa vomitûs adsunt cum rigore ex suppressione proveniente, non dixit vomitum esse expectandum tantum, sed vomitum & sudorem, quatenus utriusque evacuationis erant signa vomitûs, quæ supponit sudores, rigor ex suppressione, alias si rigor ex suppressione tam vomitûs quam sudoris esset signum, ut est sudoris & fluxus ventris, signis vomitûs existentibus, non erat præfagiendus sudor; docet tamen sudorem & vomitum esse præfagiendum: ergo rigor ex suppressione non est vomitûs signum. Sic ait, *Si verò & vomitûs signa affuerint per ambas excretiones judicabitur, & per earum alteram magis, quæ magis prævalet.* Et si cum vomitum significari à rigore docuit Hippocr. non ipsum ex suppressione, sed absolute posuit, ut constat rectè Galenum ex collectione signorum sudorem præfagire, quomodo etiam reliqua signa sudoris sunt.

Ex verbis Galeni positis resultat difficile dubium, an ita evacuationis alicujus sit signum, ut si evacuatio manifesta non sequatur, morbus perfecte solvi non possit; nam Hippocr. 6. epid. part. 3. text. 10. & 1. coaca. nullam mentionem facit sudoris, sed rigoris præcisè, & ejus dixit urinæ suppressionem signum esse, & consequenter 4. aphor. text. 58. rigore terminari febrem ardentem docet: malè ergo Galenus & in comm. epid. & 3. de cris. rigorem hunc vel sudorem, vel vomitum, vel ventris motum significare affirmat: Nam si Hippocr. solum rigorem sequi docuit post urinæ suppressionem non est dicendum, *Distinguere oportet si rigor accidat an una vel altera evacuatio sequatur;* quasi diceret unam, vel alteram sequi ad optimam terminationem: sic ait Hippocr. 6. epid. *Ante rigorem urina suppressiones: & 1. coac. in principio: Quibus rigor, his urina suppressio.* Et 4. aphor. text. 58. *A febre ardente rigores supervenientes, solutio:* Ergo rigor solus poterit esse optima terminatio, & non debet habere necessariò rationem signi alterius evacuationis, ut benè morbus finiatur: de prava namque terminatione non est dubitandum, ut ipse docet 1. coac. sic: *Rigor jam corpore debili lethalis est.* Et infra, *Omnes, qui sine sudore perfrigerantur circa judicationem, malè habent.*

Recentior quidam ita certum judicat rigorem esse signum alicujus evacuationis manifestæ, ut sine ipsa nullus morbus benè terminetur: quod probat ex verbis immediate positis Hippocrat. 1. coac. quibus videtur constare rigores sine sudore non valere optimam terminationem facere, adducitque ad hoc Galenum comment. 58. citato, & 4. de ratione victus comment. 12. Quibus in locis Hippocratem intelligit dicentem rigore superveniente solvi febrem, non quatenus solo

rigore solvitur, sed evacuatione postea subsecutâ: sic ait Gal. 4. aphor. citat. *Post rigorem, & alvi solvuntur, & sudores & vomitus biliosi superveniunt. Cum ergo bilis ex qua febris ardens habet ortum expurgeretur, solvitur febris.* Et 4. acutorum, ait. *Quod casu habito rigore superveniente solutio, verissimum est; rigorem autem de necessitate sequitur interdum sudor, interdum biliosorum vomitus, interdum dejectio.* Et 2. de caus. sympt. cap. 5. sic. *Adeo enim cum rigent, febre non desinunt, ut etiam multò graviore febre post rigorem urgeantur quam ante, sed postquam largiter sudarunt, vel fluxam bilem evomerant, vel per intestinum dejecerunt, tunc febris cessat:* Ergo rigor solus non potest optimè morbum solvere. Cujus ratio est, quia naturam significat irritatam non valentem evacuationem perficere; alias materiâ ad rigorem commotâ, necessaria debet esse evacuatio, ut solvatur morbus; & consequenter 1. prorrh. p. 2. comment. 27. super illa verba, *Inquietudinem absque sudore malam, & rigores supervenientes mali,* reprehendit Hippoc. eò quòd non dixit rigores absque sudore mali; sic ait Galenus. *Nam quæ sine sudore inquietatio est, minus mala est, rigor verò sine sudore majus malum,* & 4. aphor. comment. 46. rigorem sine sudore & ut signum, & ut causa malum appellat.

Nobis tamen videtur dicendum quod licet rigor sudoris & alterius evacuationis signum sit; non ita signum est, ut non possit ipse sine evacuatione sensibus manifesta, morbum perfecte solvere, ita ut rationem optimæ crisis obtineat: non affirmo morbum tantum posse cessare rigore ut evacuationibus symptomaticis accidit pluries, ut in Metone visum fuit: sed assero posse rigorem sine evacuatione sensibus externis manifestæ optimæ crisis rationem obtinere, quod in primis docet Galen. 4. aphor. comm. 29. per hæc verba. *Quicumque ad febres, & præcipue ardentes, rigores superveniunt, judicium habere solent bonum, atque perfectum, ubi in die judicatorio sunt & eum signis coctionis.* Ergo possunt habere rationem optimæ crisis, colligiturque ex ipso Hippocr. text. dicente, *Quibus in febribus sexto die rigores sunt, judicium habent difficile;* quod est, ut à Galeno & ab omnibus Commentatoribus scribitur, quia in die non judicatorio; ergo qui in die judicatorio sunt, & cum signis coctionis, rectum judicium faciunt.

Nec valet per rigorem, sudorem, vel alteram sensibilem evacuationem esse intelligendam, quatenus rigorem sequitur semper sudor, vel vomitus, vel dejectio, ut Galenus docet locis citatis, quo modo voluit intelligendum esse aphorismum 58. lib. 4. dicentem, *A febre ardente habito rigore superveniente solutio,* hoc (inquam) nil valet: nam Hippoc. rigorem non rectè solvere febrem docet, si sexto die fiat, & ipso adveniente solvi affirmat; quod est intelligendum cum diem excludat non judicatorium quando in die judicatorio sit: frustra ergo & sine fundamento additur evacuatio, vel per rigorem evacuationem intelligit. Quod manifestum fecit Galenus 1. epid. p. 2. comment. 75. sic. *Etenim judicare ardentes febres rigor solet, non tamen elicere decretoria oportet.* Agebat de his qui rigeant in principio, ergo sine evacuatione rigor solvit morbum.

Præterea Hippoc. 1. coac. diversas sententias adducit in quibus de rigore agit solo adveniente, & in quibus de rigore quem sequitur sudor

vel alia evacuatio, ut per *libros epid.* etiam videre est: ergo cum in dictis casibus de rigore solo agat, rigor solus est intelligendus, quod deducitur ex *1. coac. circa principium*, sic scribens. *Vocis defectiones ex rigore solvuntur tremore, & insuper rigentes tremores succedentes judicant*: sed tremor non dicit aliquam evacuationem manifestam, & solvit morbum à quo fit rigor: ergo sine evacuatione manifesta poterit rigor febrem solvere.

Tertiò: Nam rigor est concussio partium sentientium ad expellendum humorem ad extrà, ut docet Galenus *3. de cris. cap. 11.* sed potest causa morbi ità attenuari ut insensibiliter evanescat expulsa: ergo in tali casu integrè terminabitur morbus rigore absque evacuatione aliqua sensibus manifesta. Major est certa: minor constat ex ipso *cap. 11.* in quo humorem biliosum causam rigoris appellat, quæ ità attenuatur ut resolutione evanescat: non implicat quod confirmant morbi qui sine crisi cessant paulatinà resolutione, quas terminaciones solutiones appellat Galenus *3. de cris. cap. 1. & 7.* ad differentiam crisis, quæ subitò fit omni proprietate: sed hi morbi cessant, materià paulatim resolutà ut in accessionibus portio eas causans, sicut etiam resolutione virtus perit, ratione cujus utramque terminationem, solutionem appellat; ergo & materia morbi à quo fuit rigor, poterit resolvi insensibiliter, ac per consequens poterit rigore morbus rectè terminari per veram crism sine evacuatione sensibus manifesta. Patet: nam erit terminatio subita in salutem cum evacuatione saltem per ratione manifesta, cum rigor dicat actionem expellentis subitò factam, ut diximus de somno puerorum ex Galeno, non nego absolute evacuationem esse, sed affirmo solum per rigorem & evacuationem insensibilem ad ipsum necessariò securam sine sudore, vomitu, vel dejectione, rectè posse terminari morbum.

Non minùs probat hanc partem morbus regius quem rectè terminare morbum docet Hipp. *4. acut. text. 16.* & saltem post septimum diem, *4. aphor. text. 62.* sed non aliter morbum solvit nisi naturà motà à paribus internis ad externas, ergo & rigor qui eundem motum habet facere, rationem optimæ crisis poterit habere. Hoc argumentum proponit Recentior, quod non solvit: siquidem cur non potest per rigorem vel motum musculorum & partium sentientium, humor ad partes externas pelli, ut in morbo regio? non inquam, explanatur: constat enim esse motum facultatis expultricis, ut Galenus *2. de caus. sympt. cap. 6.* ratione cujus rigor quartanæ humorem crassum expelli, docet *5. aphor. comm. 70.* & Avic. *fen 2. lib. 4. cap. 16.* ità certum judicat per rigorem expelli humorem in quartana, ut sic scribat. *Rigor rediens evacuat suà expulsiōne materiā plurimā, quare rarò superfluit in eis exitur aliquid, hoc ergo contingit cum rigor est solus, qualiter ergo erit cum sudore?* Dicendum igitur est rigorem sufficere pro optima terminatione.

Dices: si rigor movet ad extrema, quomodò vomitus, & dejectionis est signum, præcipuè cum asserat Hippoc. *6. epid. part. 1. text. 41.* *Abscessus non fieri in febribus in quibus rigor adest, quia moto humore ad extrà per rigorem parum pro abscessu relinquitur intrà*, ut voluit in *comment.* Galenus. Ergo cum rigor motum dicat humoris ad extrà, vomitus vel dejectio non erit præsa-

gienda, sed tantum sudor, cujus contrarium docet toties Galenus.

Respondetur dictas evacuationes non præfagi ex motu humoris rigorem causantis, sed ex motu humoris ad rigorem apti, qui arguit naturæ agitationem specialem, ex qua evacuatio aliqua est præfagienda per unam, vel alteram regionem, quia quantitas, quæ in toto corpore commotionem illam causant, non sine evacuatione manifesta completè ejicitur, & sic una, vel altera est præfagienda juxta diversitatem signorum comitantium, cum quo non nego posse resolutione insensibili aliquando causam evacuari, communis tamen magis est sensibilis evacuatio, & idèd Galenus unam vel alteram evacuationem esse prædicendam docet.

Dices iterum: Ergo rigor cujuslibet crisis, vel cujuslibet evacuationis erit signum antecedens, quod est contra experientiam & autoritatem: siquidem ad quamlibet criticam evacuationem præcedit agitatio materiæ, ratione cujus perturbationem in qualibet crisi debere præcedere docet Galenus *3. de cris. cap. 2.* sed perturbatio sequitur agitationem materiæ, idèd hora pugnae dicitur status morbi ab Avic. *cap. 3. lib. 4.* ergo & rigor in qualibet crisi debet esse. Cujus contrarium præter experientiam docet Galenus qui *4. acut. comment. 12.* & *4. aphor. comment. 58.* solum sudorem, vomitum, vel dejectionem esse expectandum scripsit; & quod magis est, Hipp. abscessus negat in febribus habentibus rigorem *6. epid. part. 1. text. 11.* & rigores concedit quando sanguis non erupit: *1. epid. p. 2.* sic ait, *Plerique igitur agroti circa judicationem rigeant, maxime hi quibus sanguis non erupit, idem verò postea rigerunt, & exsudarunt.* Ergo rigor non sequitur agitationem humoris ad crism absolute.

Respondetur rigorem sequi agitationem materiæ facientis morbum, quando talis est ut partes sentientes possent sufficienter irritare ad sui expulsionem, quod fit quando extra vasa movetur humor, qui propter magnam sui quantitatem vel vitium sufficienter irritat partes per quas movetur, & sic cum ad vomitum, dejectionem, & sudorem, humor extra vasa moveatur, ad cavitates communes, vel ad cutem, rigorem causat, ut fit etiam dum extra vasa movetur in febre intermittente, dum verò intra vasa movetur non pervenit ad partes sentientes, nisi vapor, & sic non causatur rigor, quia ipse non est in quantitate sufficienti, ut irriter partes sentientes pro rigore, nisi forsitan malignus sit, & idèd etiam in febribus continuis, & declinationibus intermittentium rigores non sunt, etsi vapores ad extrà moveantur: dum verò reperiuntur rigores, vapores maligni sunt, ut *1. de coac.* docet Hippoc. sic ait. *Continui rigores in acutis prævi sunt*: dixit *continui*, quia si tempore eveniunt debito, non erunt prævi; qua ratione cum ad abscessum faciendum, vel crism, per urinam, vel sanguinis fluxum non extra vasa moveatur humor, non antecedit rigor, etsi ad sanguinem necessarium humorem præcedere posse doceat Hippoc. quatenus ex materia illa vapores aliquid elevantur, qui etsi pro rigore non sufficienter moveant, pro horrore maxime, evenit tamen hoc in qualibet crisi quando materia ubi maligna est, etiam si non moveatur à vasis extra vasa. Sic ait Hipp. post verba passiv a. *Qui in-*
horruerunt,

horruerunt & exsudarunt iudicatorio modo, & post die prater rationem horruerunt, si quis non vigiliis infestetur, nec concoxerit, ei sanguinem erupturum esse puto. Quasi diceret, quia post iudicationem iterum horruerunt, si non terminantur coctione, nec vigiliis debilitantur, sanguinis fluxus expectandus, quia ad reliquas evacuationes cum extra vasa ad cutem, vel cavitates communes esset movendus humor, rigorem causeret; materia verò abcessus cum sit, & intra vasa maneat, non potest ad humorem vapores communicare & sic solum fluxum sanguinis significat in talicafu horror.

Ad argumenta Respondetur ad Hippocratem verum esse rigorem in subiecto debili pravum esse, videtur non valere pro expulsionem materiæ, ut 4. aphor. comm. 46. docuit Galenus, non tamen hoc probat evacuationem debere esse sensibus externis manifestam: dum verò Hippocr. dixit malè se habere qui sine sudore perfrigerantur citra iudicationem facit hunc sensum, *Qui rigent sine sudore, & non judicantur, malè habent*, quia pravum est iudicatorium non decernens, vel quod certum est, loquitur Hipp. de eo quòd pro tunc experiebatur, non de eo quod potest esse, & sic nil mirum quod malè se habeant rigentes sine sudore, quod ostendunt verba sequentia, *Et qui insuper riguerunt ex his ubi vomuerunt meraca, anxii tremuli in febre, malum*. Quibus docet malè etiam se habere rigentes adhuc vomentes, sed ad crisis perficiendam, non magis faciebat sudor quàm vomitus, si defectu evacuationis malus foret rigor sine sudore, erat ergo malus ratione tempestatis, & sic non probatur ipsum non posse esse bonum.

Ad Galenum dicimus loqui de illo quod communiter accidit dum mediis evacuationibus dictis febrem solvi scripsit, non quia rigor non sufficiat aliquando: nam licet motus, vel concussio illa malam appellet Galenus, ut causa; quatenus ad augendam febrem facit: qua ratione 2. de causis symp. cap. 5. fortio rem febrem resultare per rigorem docuit, donec adveniente sudore vomitu vel dejectione cesseret; nihilominus non potest negari pluries per rigorem causam febris sensibiliter elici, ita ut febris per ipsum cesseret, & rigor sine febre inveniatur, ut ipse concedit, saltem ex frigidis humoribus.

Solum restat explicare quomodo crisis per urinam dignoscatur, cujus nullum signum determinatum dedit Galenus 3. de cris. cap. 11. adducens pro quacunque crisi signa diversa. Avic. verò fen 2. lib. 4. cap. 8. crisis per urinam dignosci ex vesicæ gravitate, & virgæ ardore cum duritie ventris & carentia signorum alterius crisis, suppositis communibus crisis significantibus absolute: nam ipsis existentibus, crisis est prædicanda. Cum ergo nullum indicium sit abcessus, sudoris, fluxus ventris, vel sanguinis, vel ex alia parte alvus aliquantulum astringatur, si pondus in vesica, & ardor in virga sentiatur, necessariò crisis per vesicam est expectanda; præcipue si morbus in parte gibba hepatis sit, quæ cum vesica magnam habent connexionem, sicut cava cum intestinis, ut Galenus 3. de cris. cap. 3. & Avic. fen 2. lib. 4. cap. 3. ad quod hyemale tempus conducit, magis impediens motum humoris ad cutem, & pro humiditatum augmento faciens, licet & senilis ætas.

QVÆSTIO VII.

De signis ostendentibus Crisim per vomitum, vel dejectionem.



OMITU, vel fluxu ventris morbos pluries terminari prater experientiam docuit Hippocr. 1. epid. part. 3. agrote 5. & Galenus 3. de cris. cap. 3. Utamque evacuationem significari per rigorem docuit: nam 6. 11. ait. *Si rigor adveniat, distinguendum est an sudor post ipsum sequatur, vel vomitus, vel subductio ventris*; ac cum motus oppositi sint, sursum scilicet & deorsum, ad interiora, & exteriora, diversis signis uterque est deducendus motus. De sudore dictum est, de actis dixit Galenus cap. 11. citato, *pulsus alium cuiuslibet excretionis esse signum; durum, & inæquale vomitum magis quàm sudorem significare; & cum signum expulsi ad crisis non sit magnæ considerationis apud Hippocratem, ut voluit Galenus loco citato, signa ab Hippoc. data ad vomitum sunt attendenda*. Sic ait 3. prog. text. 30. *Si in non lethali febre caput dolet, vel ante oculos obscura quadam observantur, aut cordis dolor accidit, is bilem eromet, si verò rigor adsit, & inferiores præcordiorum partes frigore afficiantur, citius ad vomitionem properabit, præcipue si quidpiam ediderit, vel biberit*. Quæ verba ex professo explanata sunt super text. 35. ubi diximus signa aliqua communia esse pro crisi per vomitum, & sanguinem narium, quatenus utraque evacuatio motus est ad superiora, sic dolor capitis commune est utrique signum, ut etiam ex Galeno diximus.

De indicibus motus humoris per alvum, nec à Galeno cap. 11. lib. 3. de cris. aliquid positivum dictum, nec à nobis huc usque significata, tamen molliem ejus, vel crisis dum communia signa pro crisi sunt, & nulla inveniuntur per sudorem, vomitum, vel sanguinem narium demonstrantia; si autem attendamus ad dicta, de signis sudoris agens Galenus, urinæ suppressionem sudoris signum cognovit, dum alvus non humectatur, quia materiam illam retineri constat & crisi prope existente, non aliter quàm per sudorem est expectanda evacuatio: qua ratione etiam diximus alvi, vel sudoris non existentibus signis urinæ profluvium esse expectandum; ergo rectè ex urinæ suppressione alvum moveri, poterit iudicari, vomitus, vel sudoris, deficientibus signis, præcipue hepate secundum partem cavam patiente, vel humore aliquo crasso abundante circa ventrem infetio rem: ad quod positivum signum erit alvum aliquantulum humectari, sic Galenus cap. 11. citato, *Si urina sola supprimatur, considerare oportet nunquid alvi excrementa plura quàm priora, vel pauciora, ante crisis exierint: si enim plura, manifestus motus natura ad hunc locum est cognoscendus; si pauciora, ad sudores*. Ergo jam molliem ventris major quàm antea significat per illam regionem crisis esse expectandam: nec intelligendum est jam non esse crisis signa, sed crisis, & motum ipsum humoris per illam regionem; nam idè dixit Galenus: *Si ante crisis excrementa plura, vel pauciora sint, Quasi diceret, si venter molliatur ante crisis, signum est quod ad illam regionem humor moveatur, idè*

ideò dixit excrementa plura esse, crisis verò, non tam excrementa alvi quàm humores qui moventur, movetur enim ante impetum materiæ portio quædam quæ excrementa movet magis, quàm ratione inter signa vomitûs, sputio multa ponitur ab Hippocrate & Galeno, ut *suo loc.* dictum est & 3. *de cris. cap. 11.*

Avic. verò specialia signa dedit vomitum, & fluxum ventris significantia; nam *cap. 5. fen 2. lib. 4.* oculorum tenebrositatem adducit quin aliquod splendidum appareat tamquam signum vomitûs distinctum specialiter à signis sanguinis narium; nam motum dicit humoris ad partes supernas alieni à natura sanguinis, additque oris amaritudinem, nauseam, pulsûs constrictionem, vel coarctationem, præcipuè dum bilis redundat, vel ægritudo à bile dependet, & color pallidus, vel plumbeus sit, tenebrositatem sine splendore adducit, quia sanguineus humor non est; & quamvis bilis vomitûs speciale, & præcipuum incitamentum aliquid splendoris haberet ob aliorum excrementorum crassorum, & alimentorum vapores permixtos, tenebrositas causatur splendore deobscurato: amaritudo ob bilis specialem naturam est; pulsûs constructio & color mutatus ob retractionem factam ad intra vi moleste irritationis à bile causatæ ad expulsionem requisitæ; nausea verò humorem irritantem pro vomitu significat.

Dejectionis tamen cujus nullum dedit signum Galenus, plura dedit Avicenn. ipsam specialiter significantia *cap. 9. ejusdem libri primi,* crisis per fluxum ventris prægnoscit dum causas morbi superfuitatis dicit aptas ut per illum vacuentur, ut sunt crassæ fæces & excrementa in imo ventre existentia; inquit enim Avic. crisis per hanc regionem ostendi dum materia multa est non sanguinea, præcipuè si urinæ adstrictio existat, ventris morsus, & gravitas, dum signa vomitûs defunt, rugitus & inflammatio in ventre adsunt, excrementorum laxitas, & tinctura plusquam per consuetudinē, pulsûsque coarctatio, vel urina alba invenitur: hæc ob motum humoris ipsam tingentis & ventrem moventis per regionem aliam, ut diximus de sudore, & sic excrementa tinguntur magis, & moventur, urina deficit, gravitas, morsus, inflammatio & rugitus advenit: quàm ratione Hippocr. 4. *acut. text. 64.* medicamentum expurgans exhibendum esse docet si venter murmuraverit, quia motus humoris per illam regionem significatur, sic ait. *Hos si à principio purgare volueris, ante diem quintum facito si venter murmuraverit, aliàs à medicamento abstineto.* Pulsus fit talis ob requisitum ad expellendum quod sensivas molestat membranas, quæ cum arteriis connexionem habent, dicuntur ergo signa positiva crisis determinatè per dejectionem ostendentia.

•••••

QVÆSTIO VIII.

Utrum Crisim futuram fore in morbo possit dignosci.

VIDETUR quæsitum esse præter rationem: nam si dictum est signa esse ostendentia crisis futuram absolutè, & ulterius alia concedimus ipsam per determinatam

regionem demonstrantia, alienum à ratione videtur quærere an possit dignosci crisis in morbis fore futuram. Nascitur dubitandi ratio ex eo quod crisis futura prænosceda sit per ejus signa, vel communia, vel particularia: sed per hæc non potest dignosci morbum crisi esse terminaturum: ergo nullo modo cognoscetur. Major est certa ex Hippoc. 3. *acut. text. 37.* & constat ex Galeno ipsa adducente in *comment. & 3. de cris. cap. 11.* ad quamlibet crisis cognoscendam, & ad crisis in communi *cap. 4.* Minor probatur: nam talia signa ita incerta, dubia, & fallacia sunt, ut non magis crisis quàm mutationem quandam morbi significant; sed ex signis contrarium significantibus non potest unum præfagiri, ergo nec crisis. Major hujus syllogismi constat ex Hippoc. 3. *prog. text. 13.* in quo dolorem capitis signum mortale, vel crisis dicit esse, & consequenter Galenus 3. *de cris. cap. 11.* ex Hippoc. involuntariam lachrymam, & labij inferioris tremorem signa crisis appellat, quæ morbi signa dicuntur ab ipso Hippoc. 1. *prog. text. 13. & 15.* Ergo non poterit eis crisis præfagiri.

Hoc confirmat Galenus 1. *de cris. cap. 14.* Sic. *Criticorum accidentium duplex natura est, insida verò universa eorum natura, & contraria significans, secundum aliam dispositionem critica sunt, secundum aliam, vel morbi tempus, accidentia, vel signa præva sunt.* Ergo eis neuti quàm crisis poterit dignosci, ac per consequens, nec morbum crisi terminari. Clariùs ait infra. *Contingit autem nec in primis accidentibus, quæ tantum sunt signa crisis, nec in secundis, quæ & signorum & causarum vim habent, crisis ex necessitate sequi.*

Secundò: nam Galenus 3. *de cris. cap. 10.* ait. *Diximus optimas crises in statibus, in augmentis verò imperfectas, & non securas; in principio autem morbi non fieri, esse tamen optimarum exquisita præconitiones, aliarum quidem cum conjectura, & maxime fuerint crises signo carentes.* Docet ergo dari crisis sine signo, sed ubi signum est, nil mirum quod significatum non cognoscatur, ergo non poterit dignosci morbi terminatio an futura sit crisi, vel secus. Repetit idem 1. *de dieb. decret. cap. 2.* in quo aliam esse crisis cum signis, aliam sine ipsis scripsit: non cognoscetur morbum finiendum esse crisi.

Tertiò: signa crisis ipsam significant eo gradu quo sunt accidentia sequentia mutationem ipsius materiæ; sed materia non alteratur, nec accidentia causat, donec moveatur ad expulsionem: ergo non erunt signa crisis, nisi quando jam materia movetur, & expulsio fit, quod est in ipso die; ac per consequens non poterit cognosci quod morbus sit finiendus crisi in principio.

Hujus communis solutio est, alia esse signa antecedentia, qualia sunt species, & idea morbi, magnitudo, & motus, & indicatio in suo quaternario, de quibus postea; alia verò instantem crisis ostendentia, ut anxietas, delirium, tremor labij, & similia: Et licet per hæc non cognoscatur crisis in principio, sed dum jam movetur, & perturbatio causatur per alia, maxime cum in primis diebus essentia, magnitudo, & morbi motus constet. Contrà tamen est, omnia dicta inveniuntur pluries nullâ crisi adveniente, ergo per ea non cognoscetur quod morbus sit crisi terminandus. Patet, nam morbus qui terminandus est coctione, etiam signa coctionis habet;

bet; est enim valde contingens non reperiri mutationem aliquam sensibilem in aliquo die indicante, cum ferè omnes aliorum indicantes sint: Et ex alia parte non implicat talem morbum esse magnum, & celeris motus, & adhuc per signa antecedentia non constabit morbum finiendum esse crisi. Confirmatur: nam qui crisi esset terminandus, propter errorem Medici, agrotantis, vel assistentis potest crisi privari, ut Galenus 3. de cris. cap. 4. docet: sed talis morbus signa crisis habebit, & ipsa carebit: ergo per ea non poterit cognosci morbum finiendum esse crisi.

Circa hanc difficultatem voluit Doctor quidam non esse dubitandum crism dignosci dum signa ipsam instantem demonstrantia adsunt, quia causæ mutationem sequuntur, difficultatem tamen esse in principio morbi, in quo talia signa non sunt, cognosci tamen in ipsa ex morbi idea, magnitudine, & motu ejus. Quod probat primò ex Galeno 3. de cris. cap. 4. *Virum verò per crism terminabitur morbus, vel non: primum quidem ex motu, vel magnitudine inspicies, deinceps ex idea ipsius.* Ergo his tribus crisis poterit præfagiri in principio. Quod explicat, quia non quilibet morbus magnus crisi terminabitur, ut ulcus, & magna inflammatio in crure, & sic morbi ideam vel naturam debemus inspicere, quæ sit communis toti ex materia tenui & calida, ut facile vincatur, seu ejiciatur ab una parte in aliam, & communiter crisi non finiri quotidianam & quartanam expressit, ex eo quod Galenus 2. de cris. cap. 11. *Eas igitur quæ cum magno & cito se inclinante certamine sunt morborum solutiones (quæ præcipuè crises nominari dicebamus) febrium earum quæ ex calidis humoribus accenduntur, proprias esse existimandum est, post has earum, quæcunque membrorum sunt principatum habentium, facile mobiles, & calida dispositiones.* Docet ergo ad cognoscendam crism morbi ideam esse respiciendam.

Magnitudinem morbi attendendam esse quoque scripsit hic Auctor ad crism futuram prædicendam, quatenus solum expectanda est dum propter magnitudinem natura ad certandum irritatur, defectu cujus dum parvus est morbus, non sunt subitæ mutationes. Propter quod non esse crism in tertia exquisita voluit, & sic dum morbi natura pro crisi facit, & magnitudo est, crisis est expectanda, ad cujus cognitionem etiam facere motum morbi scripsit, quatenus morbus, qui celiter movetur, necessariò arguit, dum magnus est, magnam irritationem ad crism conducentem ob symptomatum magnitudinem quæ ob celerem motum ita adveniunt, & sic ex omnibus rectè potest deduci crisis in morbotum principio, quia omnia signa hæc ostendentia in principio sunt, & consequenter ad dicta impugnat Argen. lib. 4. de signis cap. 18. dicentem crism sufficienter dignosci ex morbi magnitudine, & robore virium, ex eo quod plures morbi sunt magni cum virium robore, & crisi non terminantur, ut sunt ingens inflammatio, quæ morbum magnum constituit ratione essentia; febris hectica, diaria ratione partis, & carbunculus anginosus ratione malignitatis: ergo non sufficit morbum esse magnum cum virium robore, ut crisi esse terminandum cognoscamus, sed ideam ejus etiam, inspicere oportet & motum.

Hic modus dicendi plura habet à veritate recedentia. Primò affirmat instantem crism rectè

dignosci per signa ipsam imminentem demonstrantia, fallitur tamen: nam signa imminentem crism demonstrantia sunt anxietas, pervigilium, dolor, tremor, rigor, & plura, quæ adducit 3. de cris. cap. 2. & 11. Sed hæc accidentia non certò significant crism, ut probat primum argumentum: propter quod Galenus 3. de cris. cap. 11. adducens signa crisis in particulari, quæ imminentem crism demonstrant, quia sequuntur mutationem particularem materię, inquit talia esse crisi jam prope existentia: ergo non per ipsa sufficienter erit prædicenda crisis imminens, ac per consequens dubitatio de omnibus signis est.

Affirmat præterea cognosci morbum terminatum esse crisi in principio, ex idea, magnitudine, & motu morbi, cujus contrarium docuit expressè Galenus 3. de cris. cap. 4. in quo docens modum dignoscendi morbum esse terminandum crisi, vel solutione, sic ait. *Sit in exemplo agrotus qui primo die habeat signa manifesta salutis; huic omninò in primo quaternario finietur morbus, utrū verò per solutionem vel crism, magnitudine, & parvitate distinguitur: siquidem magni, judicantur omninò: qui autem parvi, solvuntur solum, sed dies crisis ex motu invenietur.* Docet ergo expressè motum morbi ad diem crisis ostendendum facere, non ad crism futuram, vel non futuram, magnitudinem verò ad crism futuram, sicut parviteriam ad contrarium. Quod deinde repetit infra sic, *Si verò per crism, vel sine crisi salus sit subsequutura, hoc ex morbi magnitudine noscitur, liquet enim quòd si magnus fuerit, omninò per crism morbus finietur.* Ergo ex magnitudine tantum de mente Galeni crism futuram fore est deducendum.

Præterea, quia si motus morbi crism futuram fore ostenderet, vel esset celer, vel tardus, sicut magnitudo ita significat crism futuram, ut parvitas non futuram ostendat; sed si crisis accidat morbo existente magno, advenit sive celeri, sive tardo motu, ergo motus non significat crism futuram. Major est certa, aliàs ex motu nil deduceretur. Minor probatur ex Galen. & Hipp. assignantibus dies judicatorios usque ad centesimum adhuc, 2. progn. text. 57. & 3. prog. text. 6. & pluries alibi, & in comment. & 1. de dieb. decret. c. 10. sed morbi qui ultra vigesimum terminantur non sunt celeris motus: ergo ex motu non potest colligi morbum esse finiendum crisi.

Nec valet si dicas, quod licet uterque motus crisi possit reperiri, nihilominus celeritas morbum magnum crisi esse terminandum significabit, quia significat celeriter advenire accidentia irritantia pro crisi, ratione cujus magnitudo crism ostendit; contra enim in tali casu, est ratione magnitudinis significatur crisis futura, non ratione celeritatis; nam si celeritas illa existeret sine magnitudine, crisis non foret, ut in diaria: si autem magnitudo, quæ ex celeritate advenit, in morbo magno reperiretur, vi magnitudinis præcisè in morbo tardo crisis foret, ut fuit in agrote 5. & 6. 1. epid. ergo non ratione celeritatis est præfagienda crisis in morbo.

Nec alter quod affirmat de idea morbi verum est: inquit enim ideam morbi significare morbum totius pendentem ab humore calido, & tenui defectu cujus tertia, & quotidiana crisi non terminantur; & consequenter morbus totius ab humore calido pendens terminabitur crisi. Hoc etiam falsum est, & contra Hipp. & Gal. nam in-

primis non minus terminantur crisi qui terminantur abscessibus quam excretionibus, ut Gal. 3. de cris. c. 2. & 7. sic. *Sola dubia ad sanitatem conversio simplex crisis nominatur, & fit per manifestas quasdam excretiones, aut effatu dignos abscessus.* Sed abscessus fiunt ex materia crassa, & frigida, ut Hipp. 3. progn. text. 23. Gal. in comm. ita ut solum dicat differre crises quatenus ex humore tenui fiunt per excretiones, & ex crasso, per abscessus: ergo ex idea morbi non significatur crisis futura, quatenus pendent ab humore tenui, & calido et si forsan significetur modus crisis.

Si dicas intelligi per crism excretiones, prout differunt ab abscessibus: contra est, quia ipse Gal. 3. progn. comm. 24. abscessus ex humoribus calidis fieri fatetur, dum facultas est debilis: ergo adhuc licet de crisis agat prout solum excretiones comprehendit, male affirmat ideam significare morbum à calidis humoribus pendentem. Præterquam quod cum agat de cognoscenda terminatione morbi, & hæc possit esse per abscessum, vel excretionem, ratione cujus signa ad quamlibet harum terminationem cognoscendam Gal. adducit, in eadem tamen latitudine est intelligendum dum signa ostendunt, an crisi terminandus sit morbus, adducit, ac per consequens cum tam morbus pendens à crasso, quam à tenui humore crisi terminetur, male per ideam morbi esse intelligendum qui à calido pender humore scripsit; docuit enim expressè Gal. 3. de cris. c. 3. quotidianas, quartanas, & tertianas excretionibus, & abscessibus terminari, & consequenter idea morbi hac ratione non significat fore crisi terminandū morbum: nec ratione magnitudinis est excludenda tertiana exquisita, tū quia ex propria essentia, & ratione partis morbus magnus potest esse, tū quia in ea crism cōcedit Gal. & experiētia.

Tandem non rectè objicit contra Argenterium dicens morbos magnos esse quia crisi non terminantur; certum enim est crism competere morbis à materia totius pendentibus, & de illis, est querenda solutio; nam de illis in quibus est possibilis crisis, non erat dubitandum an crisi terminarentur: est ergo dubium in illis in quibus potest esse & non esse, & cum solum possit inveniri, in illis qui à materia pendent, quia illis solum convenit posse subito mutari cum sensibili evacuatione, de illis solum est controversia, ut videamus non habere locum quod objicit de diaria, hectica, ulcere, inflammatione, & carbunculo; nam morbi, qui terminantur coctione, crisi non terminantur, non coctionem ad crism non tamē dicimus terminari coctione in illis qui absque expulsionem manifesta paulatim terminantur; & cum ita terminentur morbi qui à materia depēdēt, non est de eis controversia; sūt enim morbi partiales, seu partes determinatæ in quibus universaliter non movetur natura ad expulsionem, movetur quidē in morbis totius à materia depēdētibus, & cōstātibus viribus, & sic de illis controversia est.

Pro solutione quæstionis advertendum est signa critica esse in duplici differentia, ut Gal. 1. de cris. c. 14. alia sunt signa tantum, alia sunt signa & causa; signa tantum sunt accidentia ostendentia materiam moveri ad expulsionem ab actione naturæ, talia sunt, quæ motum materiæ, vel perturbationem sequuntur, dolor scilicet, anxietas, pervigilium, delirium, vertigo, difficilis anhelitus, labij tremor, rigor, involuntariæ lachrymæ, & cætera, quæ ante crism accidunt: Signa & causa evacuationes omnes quæ inve-

niuntur per quas mutatur vivens ab statu ægritudinis in melius, vel in deterius, ratione cujus signa, & causæ dicuntur; signa quatenus crism futuram significant; causæ quia vi evacuationis talis mutatio accidit. Quorum omnium sic scripsit Gal. *Criticorum accidentium duplex natura est, quoniam aliqua sunt tamquam causæ, & signa, aliqua tamquam signa solum, infida vero est universa eorum natura, & contraria significans.*

Præter hæc omnia, alia in morbis reperiuntur accidentia quorum alia sunt pathognomonica, alia concomitantia, alia mortis, aut salutis; alia coctionis & cruditatis, de quibus omnibus egit 1. aph. com. 12. & nos ex professo *quæst. 2. de rebus contra naturam.* Ad rem tamen, et si signa in rigore critica sunt omnia posita sub duplici differentia, ratione cujus sic scripsit Gal. *Quæ unā cum crisi ab initio invadunt, vel paululum anticipant; ipsa judicatoria nominamus.* Nihilominus morbum crisi terminaturum, vel secus non solum ipsi dignoscitur, sed aliis ex pluribus, quæ in morbis inveniuntur sunt pathognomonica signa, quæ essentiam ostendunt, concomitantia quæ morem, mortem, aut salutem, quæ pravam, vel bonam naturæ dispositionem significant, vel vitium aliquod vincibile, vel secus coctionis, vel cruditatis, excrementum tantum naturalem dispositionem, aut ab ea recedens quæ ratione temporis in quo apparent, motum morbi, & plura alia significare valent, ita ut non solum coctionis & cruditatis, verum, & critica concomitantia signa sint, seu morem ostendentia. Propter quod omnia signorū genera sub duplici membro comprehendit Gal. 1. de cris. c. 5. sub pathognomonicis, & mox apparentibus, quatenus omnia alia præter essentialia mox sunt, & his quæ mox apparent significantur.

His positis, nobis dicendum est rectè posse à principio dignosci morbum terminaturum fore crisi, si error aliquis in curatione non præcedat: at tamen aliud est, quo cognoscatur, aliud verò quid ad hoc cognoscendū juvet; dicimus tamen morbū esse crisi terminaturū, vel secus, ex magnitudine, & parvitate dignosci præcisè, supposita virium vehementiâ, vel robore, ut voluit Argenterius; nam virium robore deficiente crisis esse non potest. Sic ait Gal. 3. de cris. c. 9. *Ubi natura plurimum à morbo superatur tunc, nec certare adversus ipsum aggreditur, nam sine certamine crisis non fit.* Et c. 10. Defectu viriū non fieri crism in morbis mortalibus docet, sic ait. *Virtus prostrata ad pugnam cōtra morbum non excitatur.* Est ergo qua virtute existēte, & morbo totius à materia depēdēte, aliàs nil mirū quod crisis non esset. Hoc docet Avic. etiā f. 2. l. 4. tr. 1. c. 94. ubi ait. *Cū fuerit virtus fortis, & paroxysmi augmentati in qualitate & quantitate, & ætas, & complexio, & tēpus, declinat ad motionē, ægritudo cōsumetur cū crisi.*

Crisi terminaturū fore morbū, vel secus, cognoscemus præcisè ex magnitudine, vel parvitate morbi. Cōstat hoc ex Gal. 3. de cris. c. 4. id est professo docete, cujus verba supra sūt. Probatum etiā ratione: nā crisis fit materiā correptâ, & pro sui expulsionem totâ simul irritatē; sed valētibus viribus in morbo magno materia simul corrigitur & pro sui expulsionem simul & vehementer excitat facultatē; ergo eo ipso quod morbus magnus sit, crisi terminandū esse dignoscemus. Major est certa, ob quod Avic. c. 4. l. 4. sic morbi statū definit *Est hora in qua apparet pugna inter naturam & materiā, & apparet victoria unius supra aliā, & est pugna hora.* Certum enim est Galeno 3. de cris. c. 5. & 6. Crism in statu fieri, propter quod hora pugne dicitur, nec alia

ratione horâ accessionis crisis fit, nâ quia irritatur magis per eam ad expulsionem, ut Galenus *cap. 4. citato*, docet. Minor probatur: nam in morbo magno materia in statu ad summam pervenit correctionem, quâ suppositâ cum non sit ad quid detineatur, à natura necessariò facultas expultrix excitatur, ergo in illis expectanda est crisis.

Dices: in morbo parvo etiam materia coquitur in statu, & non est ad quid detineatur, ergo excitabit facultatem pro crisi.

Responderetur, crism non fieri quomodolibet naturâ ad expellendum commotâ, sed quando ita excitatur ut impetu operetur contrarium, propter quod crisis impetus nuncupatur à Galeno *3. prog. comment. 3.* sequente Hippocratem *in text.* commovetur tamen ita ut impetu operetur dum causa morbi taliter excitat facultatem, ut valde irriter, quod solum causa morbi magni facit; nam causa morbi parvi paulatim vincitur, & resolvitur, aliàs non faceret morbum parvum, & sic crisis caret, propter quod etiam die quietis crisis non fit adhuc in morbo magno, ut Avic. *fen 2. lib. 4. cap. 2.* & Galenus *3. de cris. c. 4.*

Dices iterum: Ergo eo ipso quod morbus magnus sit, crisi esse terminaturum est prædicendum, dummodò sit ex illis qui à materia dependent toto corpore patiente, cujus contrarium docet experientia, cum pluries sine crisi terminentur morbi magni.

Respondetur morbum magnum crisi terminari necessariò, nâ ratione dispositionis subjecti, remediòrum, vel alicujus alterius materia taliter fuerit paulatim evacuata, ut non maneat quantitas sufficièter pro subitanea expulsionem irritans, vel vires taliter fuerint labefactæ, ut non valeant pro simultanea expulsionem faciendâ, & sic paulatim resolvatur, vel coquatur materia. Diximus, tamen sine certamine crism non fieri, ad quod valde facit aptitudo, vel ineptitudo materiæ, ratione cujus Galenus *3. prog. comment. 24.* à materia tenui excretionem evenire, à crassa abscessus, vel coctione morbum terminari, quia ob ineptitudinem materiæ ad expulsionem, cum non possit ejici à natura, vel abscessus fiunt, vel necessum est quod paulatim materia corrigatur, ratione cujus, et si magnitudine crism futuram colligat, ex aliis quæ dicemus, prænotio juvatur.

Et si magnitudine, vel parvitate crisi morbum terminaturum esse cognoscat Galenus, cum propter dicta, magnitudine adhuc existente, pluries crisis deficiat, plura considerare docet Galenus, ut certius ipsam cognoscamus futuram, non quia crism prænunciant, sed quia ipsa cum magnitudine certiore faciunt cognitionem, & hac ratione ideam morbi, & motum, & tempus anni, & ægtotantis temperaturam, sicut & accidentia critica considerare docet Galenus *3. de cris. cap. 4.* quatenus omnia hæc certius morbi terminationem demonstrant, sic ait. *Vtrum per crism terminabitur morbus, vel non, primum ex motu, ac magnitudine, invenies, deinceps ex idea ipsius, deinde ex anni tempore, & ex aliis, quæ ejusdem sunt ordinis, & ex supervenientibus accidens.* Docet ergo magnitudinem ostendere crism, & post à alia ad hoc facere; motus celeritas & magnitudo faciunt, quia valent irritare naturam, ut ad expellendum moveatur; idea, quia morbum dicit ex his qui crisi terminantur; quia tempus, prout dicit qualitates aptas ut humor

moveatur; & expellatur; accidentia supervenientia, prout ostendant motum materiæ, quæ omnia multum faciunt ut de crisi non dubitemus, intelligit tamen per ea, quæ ejusdem ordinis sunt regionem, victum, & temperiem, sicut per supervenientia critica signa, ut ipse explicat.

Nec obstat dixisse ex motu, & magnitudine crism futuram deduci: nam *infra* postquam dixit magnitudine tantum dignosci, sic ait, *Sed dies crisis ex motu invenitur*, Quasi diceret, motus morbi indicat diem crisis cognita futuræ per magnitudinem. Et ulterius *infra* sic ait. *Liquet enim quod si magnus fuerit, omnino per crism morbus finietur; quod si etiam motus velocitas adiungatur, multo magis id fiet*. Docet ergo per magnitudinem crism dignosci, reliqua verò adjuvare. Quâ etiam ratione *cap. 11. sequenti* dum signum sudoris adducit, urinam suppressam, quasi significans non esse signum criticum sufficiens ad crism prædicendam, dicit rigorem esse expectandum urinâ suppressâ si crisis prope sit, scilicet dum ex alio capite de crisi constat si urina supprimatur, rigor est expectandus.

Non est minimum signum ad crism prædicendam indicatio facta in suo quaternario, scilicet dum aliquod signum coctionis manifestè apparet in excrementis, quod ostendat materiam pro expulsionem disponi in aliquo die indicante: nam cum non adveniat crisis nâ materiâ cocta, dum mutatio aliqua sensibilis cognoscitur in tali die, in suo septenario expectatur crisis; ostendetur enim mutatio materiæ in ordine ad ipsam. Quâ ratione etiam dum perturbatio adventit die judicatorio indicata in suo quaternario, & subito, etsi ex se non sint critica signa, certa, verè critica esse constat, ex eo quod docet Hippocr. *4. aphor. text. 71.* *Quibus crisis septima die futura est, his nebula rubra in urina apparet quarta die*: juxta id quod docet *2. aphor. text. 24.* per illa verba, *Septenorum quartus est index*; ita ut signa coctionis prout hac, vel illa die apparent, crism indicent in suo quaternario, ut ostendit Galenus *3. de cris. cap. 4.* ad quod conducunt accidentia illa, quæ critica dicuntur, id est, quæ perturbationem sequuntur dum subito veniunt, ut Avicenn. *fen 2. lib. 4. tract. 1. cap. 3.* Siquidem critica signa talia esse docet si subito veniant: cognoscetur ergo morbu crisi esse terminaturum ex magnitudine viribus constantibus, præcipuè si idea morbi & accidentia, quæ inveniuntur ad hoc faciant; & ex alia parte materia morbi, tempus, victus, & reliqua pro commotione, irritatione & expulsionem sint, & signa coctionis inveniuntur cum mutatione facta in suo quaternario: quibus deficientibus, vel aliquo eorum, non ita certa erit prædictio: propter quod Galenus *cap. 4. de cris. citato*, optimam crism certò dignosci dicit ex dictis, quia omnia dicta, debent præcedere ad eam, reliquæ verò non nâ conjecturaliter cognoscuntur, quia plura deficient in eis, defectu quorum optimæ non sunt, fiunt enim plures nullâ præcedente mutatione indicante, ut Galenus docuit.

Ad argumenta Resp. quod licet signa critica incerta, & fallacia valde sint, eam tamen crism ostendunt dum cum aliis signis conjunguntur, non tamen, dicimus ipsa rectè ostendere morbum crisi fore terminandum, sed signa magnitudinem ostendentia, quæ sunt essentialia in

motum morbi solum significare brevitatem, vel longitudinem, non verò tempus aut diem in quo futura sit crisis.

Nobis tamen dicendum est quod factâ suppositione quod crisi terminandus sit morbus ex magnitudine morbi deducta simul cum aliis, quæ diximus, tempus crisis ex signis ostendentibus statum, deducetur: dies verò ex signis coctionis tali vel tali die immutatis, primum docet Galenus 3. de cris. cap. 5. in quo expressè scripsit omnem crism in statu fieri nî ratione alicujus erroris, vel irritamenti antecedit, quæ tam à perfectione distabit quàm ab statu recedit. Sic ait. *Si forma victus ad statum instituitur, & crisis optima in illo fit, atque omnium crism ipsa est regula, in nulla re adeò exercitandus est Medicus quantum in status præcognitione.* Ergo crisis omnis perfecta in statu fit. Idem repetit cap. 6. sic. *Si verò vel propter morbi magnitudinem, vel motus celeritatem, vel propter aliqñd aliud irritamentum ante statum crisis venire cogatur tanto hæc optima deterior erit, quò statum anticipaverit.* Ergo cognoscetur tempus crisis ex signis ostendentibus statum morbi. Idem Avic. fen 2. lib. 4. c. 2.

Probatur etiam ratione: nam crisis est mutatio subita in salutem, aut mortem cum sensibili evacuatione, quatenus natura movetur ad expellendum id quod molestat, ratione cujus expulsionis salus acquiritur: sed natura movetur ad expellendum quando aggressa est coctionem in universali materia, ergo in statu, ac per consequens crisis in statu fit. Patet: nam status constituitur per coctionem perfectam, ut Galenus 3. de cris. cap. 18. sed crisis perfecta fit coctione præcedente, ut dicemus, ergo in statu, ac per consequens tempus crisis ex signis ostendentibus statum morbi dignoscetur.

Diem crisis dignosci ex signis coctionis speciali immutatione hoc, aut illo die apparentibus, docet Galenus 3. de cris. cap. 4. sequens Hippoc. 2. aphor. text. 24. dicentem, *Septenorum quartus est index*, &c. & 4. aphor. text. 71. dicentem. *Quibus crisis septima die futura est, his nubecula rubra in urina quarta die apparet.* Ergo ex mutatione reperta in signis coctionis, hæc aut illa die indicante, dies judicatorius, hoc est dies crisis deducitur; dicitur enim dies in quo indicium reperitur crisis futuræ dies indicans, sicut dies indicatus in quo fit crisis, dies judicatorius, juxta verba illa, *Septenorum quartus est index.* De quo ex professo de diversitate dierum indicantium, & judicantium agentes dicemus.

Ex dictis deducitur quantum ad crism prædicendam, necnon ad rectam curationem sit status cognitio necessaria; sunt enim vires usque ad statum servandæ, & in ordine ad ipsum facta comparatione de optima, vel prava terminatione morbi est dicendum. Propter quod Hippoc. 1. aphor. text. 9. ait, *Conjecturare oportet an aeger sufficiat cum victu perdurare usque ad statum, vel morbus antea deficiat.* Et sic in ordine ad ipsum victum præbendum esse docet text. 10. Et cum ex alia parte 2. aphor. text. 29. in principio esse operandum dicat, & in statu quiescendum, tum quia omnia in ipso fortiora sunt; tum quia concoctio debet perfici; ad quam sequitur crisis, ut dictum habemus. Propter quod Galenus 3. de cris. cap. 5. sic scripsit. *Si forma victus ad statum instituitur, & crisis optima in illo fit, atque omnium crism ipsa est regula, in nulla re adeò exercitandus*

est Medicus quantum in status præcognitione; Et supra sic dixerat, Exquisita coctio fit tempore status, atque idcirco admonuimus nulli alteri exercitatiõni tam esse intendendum, quàm ad morbi statum præcognoscendum.

Circa signa statum significantia videtur ideam morbi esse respiciendam; siquidem alij sunt morbi celeris motus ex propria natura, alij tardi; quâ ratione in illis, qui celeris motus citò status venturus est prædicendus; in aliis tardè, juxta Hippoc. 3. progn. text. 2. dicentem, *Ut saluberrima febres, quæ tutissimis firmantur notis, die quarto, vel ante quiescere solent, ita pessima, & quibus periculossima adsunt signa, die quarto vel citius interficiunt*, juxta id quod 1. aphor. text. 7. sic ait. *Vbi morbus peracutus est; statum extremos habet labores.* Quam doctrinam recipiens Galenus 1. de cris. cap. 16. per signa dicta morbum terminatum esse quarto die colligit, & per carentiam ipsorum longius, ad quod fuit anni tempus, victus ratio, ætas, & omnia quæ pro celeri, vel tardo motu conducunt; & docet ipse capite sequenti.

Cum ita necessaria status cognitio sit, necnon omnium morbi temporum, alium modum dignoscendi statum dedit 3. de cris. cap. 3. ex accidentium intensione perseverante; sic ait, *Cum verò symptomata, quæ ad accessiones ambas pertinent equalia fuerint, morbum consistere demonstrant.* Sequitur in hoc Hippoc. 1. epid. part. 1. sic, *Accessiones esse invicem conferendas si citius stant, vel non; si in longius tempus; vel non, si denique magis, vel non;* Quibus verbis per anticipationem, longitudinem, & intensionem accessionum, aut per contrarium tempora morbi dignosci docet, & consequenter 1. aphor. text. 12. sic ait. *Accessiones & constitutiones morbi indicabunt, anni tempora & per circuitus successiva incrementa.*

Galenus etiam doctrinam Hippoc. repetens ex mox apparentibus signis scilicet coctionis, & cruditatis; celeritatem, vel tarditatem dignoscit, ex eo quod statim aut postea appareant; quod repetit 1. de cris. cap. 5. ex eodem Hippoc. sic dicente. *Et ex his, quæ mox apparent indicia sumuntur, quemadmodum in morbo laterali, si statim spiritum appareat, morbum brevitat, si verò postea producit.* Constat ergo signis coctionis motum morbi dignosci, necnon & tempora ejus, ratione cujus in ipso comment. Galenus & 1. de cris. cap. 18. per ipsa coctionis signa tempora morborum constituit & distinguit, quem sequitur Avic. fen 1. lib. 4. cap. 3. à morbo tempora morbi definiens, sic; *Si ab eo quod est nil expuere ad expuere liquida, & omnino cruda fiat transmutatio; nondum est finitum primum egritudinis tempus, quod principium nominamus; integrè ad augmentum morbus convertetur quando ceperit expuere pauca, & cocta; cum verò exquisitè cocta fuerint & multa, & sine educta, tunc status est tempus.* Docet ergo statum dignosci penes hoc quod signa perfecta coctionis appareant, quod de morbo salubri est intelligendum; nam in aliis per signa repugnantia coctionis significatur, ut docent Galen. & Avic. locis citatis.

Esti verum sit tempora morbi, & præcipuè statum per doctrinam dictam manifestari à Gal. & Avic. non rectè dicitur per omnia dicta, & quamvis deducatur per aliqua, non facit ad id quod intendimus: primum constat; nam idea morbi vel natura ejus necnon tempus, tempe-

ries, & victus, solum ostendunt longum vel brevem fore morbum, acutum, vel secus, tardè, vel celeriter moveri, sed hoc est significare motum, non tempora: ergo per ideam & naturam morbi, & per ea quæ ad ejus motum faciunt non significatur status, nec motus, morbi statim fore significat, sed citò futurum: ergo nec ex motu, nec ex rebus ipsum significantibus tempora dignoscuntur. Nec valet dicere ideam morbi ostendere morbum esse ex illis qui terminantur quarto, aut septimo, & consequenter per eam dignoscitur quarto vel septimo futurum fore statum: contra enim est, quod licet idea morbi significet tali vel tali die futurum fore statum, non significat determinatè & directè statum, sed talem esse motum ejus; ergo per ea quæ significant motum, non significatur status. Patet: nam, quæ significant motum, significant tot diebus omnia tempora comprehendi; sed significare hoc, non est adducere signum status, nec dicit quibus diebus erit; ergo non significant statum, quæ motum significant.

Quod verò ad intentum non faciant ea, quæ ex dictis statum morbi ostendant, patet: nam accessionum perseverantia, & intensio, & coctio perfecta, seu repugnantia coctionis, quæ statum significant, existunt dum morbus jam est in statu, ut docent Galenus & Avic. *locis citatis*, præcipuè *cap. 4. lib. 4.* sed ad prædicendam crism futuram in statu, non est expectandus status, quia jam non esset prædictio, sed dignotio, præcipuè cum status in unica accessione vel duplici consistat, ut *cap. 3. lib. 4.* docet Avic. ergo signa posita statum ostendentia, non faciunt ad crism futuram prælagendam. Major est certa: minor quoad omnes ejus partes constat ex Galeno 1. *de cris. cap. 3.* sic dicente. *Sapè in morbis nullum sensibile tempus invenitur hujusmodi, quoniam status momentaneus extiterit, adeò ut nemo cum ad esset agnoverit, sed ut exquisitè dignoscatur, primum tempus declinationis sit necessarium, quod rem maximi momenti in Medicina destruit, præcognitionem scilicet: generosi autè Medici est futurum statum prænoscere, cum omnem victus rationem ad ipsum insituat.* Quibus verbis non esse prædictionem, nec statum signis dictis cognoscendum demonstrat, vel quia insensibile tempus est, aut quia declinatio est expectanda, ut fuisse statum cognoscamus, ac per consequens ad prædicendum tempus, & diem crism futuram in principio non facit quod dictum est; agimus enim in præsentia de signis ostendentibus crism futuram, & tempus ejus ad prædicendum.

Supposito igitur quod crism tempus status est, & quod in principio status debet cognosci ut recta victus ratio instituat & crism prævideatur, ut Galenus 3. *de cris. cap. 5.* signum proprium ad ipsum prædicendum ex constitutione morbi desumitur, seu ex signis ejus constitutionem ostendentibus; habet enim morbus hanc, vel illam constitutionem, ita ut ejus duratio talis sit, quod tantum temporis consumatur, à primo sui esse, ad primum esse augmenti, quantum consumitur in toto tempore augmenti usque ad statum, vel judicationem, ita ut sine principij cognito, & tempus crism dignoscatur. Quatenus obscuræ coctionis signum in medio principij invenitur ex Galeno, ac per consequens post æqualem dierum numerum finem principij invenimus, & tempus crism post tot dies, ac fuerunt in toto principio

consumpti cognoscatur: ergo status, seu crism tempus in morbi principio ex constitutione legitima morbi, & ex signis ipsam ostendentibus quæ sunt coctionis, & cruditatis signa. Quod signa obscuræ coctionis in medio principij inveniantur docet Galenus 1. *de cris. cap. 20.* sic: *Si ad hoc respexeris nil erit amplius difficile invenire si tot primi dies jam abscesserint quo die primum talia apparent, (agebat de obscuræ coctionis signis) quot supersunt usque ad manifestam coctionem, inde autem ascensus incipit.* Docet ergo signa obscuræ coctionis in medio principij esse.

Signa manifestæ coctionis in primo esse augmenti reperiri jam ex dictis constat, jam ex *comment. 12. aphor. 1.* jam ex *cap. 18. lib. 1. de cris.* quibus in locis augmentum per signa coctionis constituit, ut fecit etiam Avic. *fen 1. lib. 4. cap. 3.* esse tamen medium tempus à principio morbi usque ad judicationem dum signa manifestæ coctionis conspiciuntur, & quod talis sit morbi constitutio legitima, colligitur ex Hippocrate 4. *aphor. text. 71.* juxta doctrinam Galeni in *comment.* ait enim Hippocr. *Quibus septima die crism futura est, nubecula rubra apparet quarto die in urina.* Sed ut docet Galenus in *comment.* idèd nubecula in quarto apparens ostendit crism in septimo quia signum manifestæ coctionis est, quod crism futuram æquali dierum numero cum præcedentibus ostendit: Sic ait, *Si quarto die fiat æquale tempus priori, id quod sequitur asumens, non est impossibile, quod judicationem ostendat. In undecimo autem apparens non mihi admodum videtur tribus solis egere diebus, sed etiam pluribus. Cui igitur in septimo apparuit, hic quartodecimo fuit judicatus.* Docet ergo signum manifestæ coctionis in medio morbi inveniri, ac per consequens ex nativa constitutione morbi in principio rectè invenitur & dignoscitur tempus crism, vel status per signa obscuræ coctionis in medio principij apparentia, vel per signa manifestæ coctionis in primo esse augmenti reperta, quod etiam 3. *de cris. cap. 4.* repetit.

Sed dices, vel augmentum morbi est æquale cum principio in constitutione legitima morbi, vel augmentum, & status æquali dierum numero finiuntur; quidquid sit, non sufficienter determinatur tempus crism, ergo ex signis coctionis constitutionem ostendentibus non constat tempus crism. Antecedens patet: nam si augmentum est æquale principio, etsi principium status determinet, tempus determinatum crism non declarat, potest in longum durare, si augmentum, & status durant quantum principium, minus constat tempus crism, cum possit brevius esse augmentum, quàm status, & non constat, nec significetur quando status est.

Secundò quia crism sit pluries in augmento morbi, ergo status non est tempus ejus, ac per consequens ex signis ostendentibus statum, non deducemus tempus crism. Antecedens patet ex Galeno 3. *de cris. cap. 5. & 6.* ubi expressè fateatur crism ante statum futuram, ergo non semper status crism est tempus: quâ ratione *cap. 4.* propter diversas dispositiones temporis, temporis, victus, vel alicujus alterius crism anticipari, vel secus, docet. Sic ait, *Qui die septima aliquod coctionis signum habeat manifestum, si morbus magnus extiterit, & celeriter moveatur, undecimo potius quàm decimo-quarto die crism patietur; quod si minor fuerit, nec celerem motum habuerit,*

habuerit, id est decimo-quarto potius quam undecimo. Ergo concedit crifim ante statum, aut concedit figna manifestæ coctionis, quin tot dies adjudicationem percurrant quod præcesserunt.

Tertiò : Hipp. 2. *aphor. text. 24.* figna coctionis in quarto, judicationem in feptimo docuit ostendere, quæ verò in undecimo apparent, in decimo quarto crifim ostendunt: ergo constitutio legitima non significat tantum temporis consumi usque ad figna manifestæ coctionis, quantum ab his consumitur usque ad judicationem; sic ait. *Septenorum quartus est index. Est autem, & undecimus contemplabilis: ipse enim quartus est alterius septimana: Quà ratione Galenus in comment. undecimum indicem appellat decimum quartum, & decimum septimum vigesimi: ergo signum manifestæ coctionis non apparet in medio morbi; est enim index dies quartus septimi, quatenus in illo aliquid coctionis signum apparet manifestum.*

Urgentiùs arguo: morbus in qua prima die apparent figna coctionis manifesta primo quaternario, terminatur tertio die, vel quarto, vel quinto juxta diverfitatem motus legitimi morbi: ergo non est tempus æquale à principio usque ad augmentum cum tẽpore quod est à principio augmenti usque ad judicationem. Antecedens patet ex Hipp. 3. *prog. text. 20.* in quo febres miriffimas adducit quarto die terminari, quod explicat Galenus 3. *de crif. c. 4.* de illis in quibus prima die figna coctionis inveniuntur; ergo non est æquale tempus à principio esse morbi ad figna coctionis manifestæ ac esse ab ipsis ad judicationem.

Ad argumenta respondetur: ad primum, idem esse ad intentum, vel principium, & augmentum æqualis durationis sunt, vel principium solam æquale sit augmento, & statui; nam status supponendus est in acutis præcipuè breviffimæ durationis, ut ferè non percipiatur, ut docuit Gal. 1. *de crif. cap. 3. & 10.* & sic vel augmento tantum æquale sit principium, immediatè est prædicenda judicatio, vel æquale sit augmento, & statui, ultima die prædicenda est, rationi tamen consonum apparet æquale esse principium duratione subsequenti morbi, quatenus eadem duratio debet judicari necessaria ad perfectè coqui, quanta fuit requisita ut materia ad manifestam coctionem alteretur.

Ad secundum respondetur solutionem habere locum in morbis, qui legitime moventur, qui verò aliter moventur, nil mirum, quod non servant proportionem, cognoscetur tamen an legitime moventur, vel secus penes hoc quod moveatur morbus postquam figna manifestæ coctionis apparuerint ea proportionem, ac antea: non dico eandem servare intensionem, major debet esse in augmento, sed quod eodem ordine, & proportionem moveatur, ac antea dum celerius vel tardius movetur, citius vel tardius expectanda est crifis ut *c. 4. lib. 3. de crif.* docet Galenus.


Ad tertium dicimus Hippoc. non ostendere 2. *aphor.* diem in quo apparent figna manifestæ coctionis qui est primus augmenti, sed diem indicantem in quo aliqua mutatio in signis coctionis antea apparentibus reducet, ut Galenus docet 3. *de crif. cap. 4.* Si manifestum coctionis signum die undecimo appareat: nec tamen morbi magnitudo, aut velocitas festinaverint, ultra diem decimum quartum crifis differetur, sed si atas, & tempus ad frigus declinaverint, speranda non est morbi solutio ante vigesimum diem, quod si mixta signa fuerint, & dies decimus quartus coctionem insigniter

auxerit, die decima-septimâ crifis occurret, si verò nec die decimo-quarto aliquid novatum fuerit, ad decimum septimum, diem est respiciendum: si enim in eo aliquid signum apparuerit, vigesimo die crifim præmonstrabit. Docet ergo dies indicantes non constitui per primam apparitionem signorum coctionis manifestæ, sed per immutationem aliquam in ipsa coctione denuò apparentem.

Ad ultimum dicimus, quod dum primo die signum coctionis apparet, in primo quaternario morbum terminari est certum in uno, aut altero die juxta celeritatem, aut tarditatem motus morbi, ratione cujus ex motu morbi diem crifis determinari docuit Galen. *c. 4. citato*, id est, indicata crifis in suo indicante determinatur dies juxta proportionem motus morbi in tertio, si celeriter; in quinto, si tardè moveatur; & in quarto, si morbus ex his qui moventur per pares est, ut synochus, tales sunt morbi à sanguine pendentes, de quo aliquid diximus agentes de crifis per fluxum sanguinis, quod non est contra dictas quia qui primo die coctionis figna concedit, diem viginti & quatuor horarum cum Hippocr. intelligit, cujus finis, est medium ad tertium; & cum ex alia parte die accessionis crifis debeat fieri, ut docet Galenus *cap. 4. cit. & Avic. f. 2. lib. 4. c. 2.* quatenus ad pugnam movetur natura cum irritatur, & accessiones fiant, vel tertio, vel quinto die in febribus continuis, in tertio, vel quinto, sit crifis, juxta motum morbi, ita ut in quarto ratione tertij diei adveniat, ex ipso Galeno, nisi in Synochis quibus proprium est per pares judicari, quod ostendit per pares moveri sanguinem, si circuitus haberet sub propria forma, etsi in communi opinione per tertios moveretur, ut bilis, de quo suo loco.

Q U Æ S T I O X.

De signis Crifis optima.

 PTIMA & quæ simpliciter crifis dicitur à Gal. est, quæ in salutem integrè terminatur, sic ait 3. *de crif. c. 1.* De prima igitur, quæ repente fit permutatione dicamus, quæ omnium optima est, ipsamque per excellentiam crifim nominant, quoniam naturâ, quæ præternaturam sunt superante, exquisitè perficitur, & c. 2. sic, Sola igitur subita ad sanitatem conversio simpliciter crifis nominatur. Idem repetit *c. 7.* & pluries alibi: Ex quo patet simpliciter crifim dici illam quam nos fidam, tutam, perfectam, bonam, manifestam, & indicatam dicimus, ex Gal. 1. *de dieb. decret. c. 2.* nam simpliciter crifis est subita ad sanitatem conversio, naturâ superante, quæ præternaturam sunt: sed non potest esse subita ad sanitatem conversio, naturâ molestantia pellente, quin omnes conditiones habeat optimæ crifis, quales sunt, quæ ipsam fidam, tutam, perfectam, bonâ, manifestam, & indicatam faciunt; ergo crifis simpliciter dictas conditiones habet, nam ea ex parte quâ deficit ab aliqua ex dictis ab esse optimæ crifis deficit, & consequenter dum figna quærimus crifis perfectæ, & optimæ, modum dignoscendi, omnem perfectionem ejus quærimus.

Ut figna crifis optimæ inveniamus, primû examinare est necessû quæ sint cõditiones ejus, cum ipsæ crifim optimâ ostendat; est nãq; crifis bona, vel mala absolutè quarum quælibet perfecta, vel imperfecta esse potest, quod per completâ, vel defectuosam explicuit Gal. 3. *de crif. c. 7.* quarum mala, & bona, per defectum in aliqua ex conditionibus requisitis, imperfecta, vel defectuosa fiunt; ex

eo tamen quod Galenus 1. de dieb. decret. cap. 2. crifim dicat, aliam tutam, aliam firmam, aliam perf. etiam, aliam bonam, aliam manifestam, aliam indicatam, conditiones esse optimæ crifis voluerunt plures, non tamen loquuntur consentaneè quia nec Galenus eas esse conditiones optimæ crifis dixit, sed potius differentias, nec ita optimæ crifis conditiones existunt; ut sine aliqua ipsarum non possit dari optima, & perfecta crifis. Primum docuit Galenus per hæc verba. *Hoc intercedit discriminis inter illas, quod alia bona, alia mala, &c.* Ergo membra crifis non conditiones adduxit.

Quod sine aliqua conditione ex dictis optima crifis inveniatur constat: nam sine evacuatione sensibili conceditur ab aliquibus optima in salutem subita mutatio, ut Galenus 3. prog. comm. 1. de pueris qui per somnum à morbis liberantur, ergo non debet esse manifesta crifis optima, quod etiam aliud membrum bonæ crifis significat; nam si cõditio esset optimæ, non differret à conditione perfectam constituente; siquidem, quæ perfecta est in salutem terminatur ut bona, si verò significat mutationem in meliùs, differentiam aliam constituit à dictis quæ non convenit optimæ; ergo dictæ non sunt conditiones crifis, vel sine aliqua ipsarum optima invenitur crifis, & adhuc, quamvis conditiones essent, non ex ipsis optima crifis significaretur, & cognosceretur: nam optima crifis, vel est prænotanda, vel dignoscenda; sed hoc quod est futuram esse fidam, tutam &c. non est antequam crifis fiat, nec constat nî postquam visa est: ergo hæc accidentia, & conditiones non manifestabunt ipsam optimam, potius ipsa optima tutam, & fidam esse demonstrabit, ac per consequens per has conditiones ipsa non cognosceretur, sed ipsæ conditiones cognoscuntur per optimam crifim, & signa ejus.

Galenus 1. aphor. comment. 20. per principium optimæ crifis voluit quod excretionem potius quam abscessu fiat. Secundò quod humor peccans evacuetur. Tertio, quod fiat cum rectitudine. Quarto quod adsit tolerantia. Quintò quod præcedat coctio. Sextò, quod fiat die judicatorio: quæ omnia, etsi utilissima in crifi sunt, ad ejus perfectionem minori numero comprehendit 3. de crif. cap. 3. tribus scilicet conditionibus tamquam in proprio loco optimam crifim constitui, dixit. Sic ait, *Primum quidem, & maximum optima crifis indicium sunt coctiones: secundum quod ab aliqua die indicatoria antea indicetur, cui annexa est diei judicantis potentia, deinde si forma morbi excretio respondeat.* Quibus verbis si attentè procedamus, non solum optimæ crifis conditiones pauciori numero explanat, verum etiam distat à contradictione, ut aliqui voluerunt, quod potius his tribus omnes alias comprehendat, ita ut optima crifis necessariò futura sit his conditionibus existentibus.

Probatur primò: nam crifis in die judicatorio indicata in suo quaternario cum signis coctionis per excretionem convenientem morbo, non potest esse sine tolerantia facultatis, quam indicat opus ipsum naturæ ita regulariter factum, & necessariò arguit esse humoris peccantis evacuationem, quia naturam regulariter operante, quod pellendum est cum rectitudine pellit; & quod magis est, dicit fieri excretionem, vel evacuationem fore morbo conveniente, quod est meliùs quam dicere terminari excretionem & non abscessu: nam

licet melior terminatio fiat excretionem quam abscessu, quia significat majus robur facultatis pellentis ad extra, ut Galenus 3. progn. comment. 26. in morbis in quibus abscessus conveniunt, sunt qui ab humore crasso pendent, crifis per abscessum conveniens est, ut in ipso cap. 3. docet, sic ait, *Aliique decubitus omnes febres diuturnas securè judicare consueverunt.* Adducit ibi Galenus crifis convenientes juxta cujuslibet morbi naturam. Quod docuit etiam cap. 2. dicens, *Qua sit simpliciter crifis, inquit excretionem vel abscessu fieri:* ergo cum dicat crifim optimam esse, quæ fit per excretionem morbo convenientem, meliùs ejus perfectionem explanat, quam dicens esse, quæ excretionem, & non abscessu fit, vel ad minus utrumque comprehendit, ac per consequens tribus conditionibus dictis rectè explanatur optima crifis.

Præterea: nam optima crifis est in qua omnia requisita ad esse talis inveniuntur; sed his tribus conditionibus existentibus omnia requisita sunt; ergo sunt conditiones sufficientes optimæ crifis. Major constat ex Galeno 1. aphor. comment. 20. optimam crifim explanante per hæc verba. *Quanam igitur est perfecta, & indeficiens judicatio? nempe in qua cuncta bene procedunt, & cui nullus numerus deficit judicatorius.* Minor probatur: nam coctione existente in evacuationem conveniente pro morbo die judicatorio facta, & indicata, non possunt non cuncta bene procedere, & nil deficit judicatorium: ergo his tribus conditionibus existentibus omnia requisita sunt ad optimam crifim: ostendit enim Hipp. 1. epid. p. 2. text. 45. quem sequitur Galenus 1. de crif. cap. 5. ut cuncta rectè procedant in crifi, solam coctionem esse optimam dispositionem, sic ait Hipp. *Coctiones celeritatem judicij, & securitatem ostendunt.* Sed ubi celeritas judicij, & securitas est, nil timendum esse potest, præcipuè cum nil deficiat judicatorium, id est, nec indicatio in suo quaternario, nec motus in die judicante; ergo tribus signis dictis bene cuncta procedunt, & nil deficit ut optima crifis sit.

Nobis tamen videtur dicendum, quod licet omnia dicta verum teneant, conditiones crifis, aut sunt attendendæ ex præcedentibus ad ipsam, vel ex effectibus, quos causant; primum significatur à Galeno 3. de crif. cap. 3. cum dicat fieri coctionem præcedente indicatione facta in suo quaternario, & evacuatione congruente, in die judicatorio, & sic tres erunt conditiones ad crifim præcedentes, cum crifis mutatio sit in salutem, vel mortem, & mutatio mediæ evacuatione eveniat ad quam alia præcedunt: si verò attendendæ sint conditiones ex effectibus, qui simul cum mutatione adveniunt, conditiones optimæ crifis possunt dici differentia illæ adductæ à Galeno 1. de dieb. decret. cap. 2. scilicet quod sit tuta, fida, perfecta, manifesta, bona, & indicata, ubi per bonam illa, quæ malæ opponitur, significatur, & ad esse optimæ contrahitur per alia accidentia, idè eam sic explanat Galenus *Bonam esse quæ ad sanitatem desinit, non puto quempiam latere:* dicitur tamen crifis indicata, sumpta ex effectibus, quatenus mutatio certius advenit dum indicata est crifis: conditiones verò, quæ 1. aphor. adducuntur, ex antecedentibus defectibus sumuntur & cum tres conditiones dictæ clariùs optimam crifim significet, ipsas esse optimæ crifis cõditiones ad prænotationem dicendū est.

Facit ad hoc omnes alias conditiones comprehendendi, & subsequi necessariò ad dicta: ergo solum istæ conditiones optimæ crisis debent dici, quod jam constat de conditionibus 1. *aphor. de aliis verò, quæ 1. de dieb. decret. adducuntur, cõstabit singulas explanando, sunt enim coctio, materiæ evacuatio, conveniens morbo, indicata, & die critico facta: quòd evacuatio conveniens morbo conferat ut crisis omni commoditate fiat, nemo dubitare potest, inquit enim Hip. 1. *aphor. text. 2. In evacuationibus ventris, & vomitibus spontè factis si purgatio fiat, qualis fieri debet, confert, & leviter ferunt: sin minus contra. Sic & vasorum inanitio si talis fiat, qualis fieri debet, confert, & bene tolerant: sin minus contra: ergo ex evacuatione conveniente omnes conditiones, & effectus optimæ crisis sunt; idèò text. 23. sequenti, sic ait. Dejectiones non multitudine sunt astimanda, sed si talia deiciantur qualia conveniant, cuius ratio est manifesta.**

Dices Hip. immediatè inquit, *astimanda sunt si deiciantur qualia conveniunt, & agri facile tolerant, ergo non est idem, deici qualia conveniunt, & facile tolerari.* Aliàs eo ipso quod deiceretur, quale convenit, esset bona tolerantia.

Resp. primo loco Hip. loqui de evacuationibus spontè factis convenientibus, de quibus affirmat sine dubio conferre, & leviter ferre, quia non tantum re operante dum qualia conveniant ejici bona est tolerantia, idèò text. 20. ait. *Nil novandum dum indicatio integrè fit, & facta est: textu verò 23. agit de evacuationibus à medicamento, ut text. ipso antecedenti & subsequenti constat; & dum à medicamento fit evacuatio, non solum attendendum est, si quale conveniant evacuantur, sed etiam ægri tolerantia; quia cum non sit opus naturæ regulariter operantis, sed medicamenti, potest modum excedere: textu tamen 25. inquit Si qualia oportet purgentur confert, & facile ferunt, quæ verba referenda sunt ad text. 2. vel per illud qualia, non solum qualitas humoris, verùm mensura etiam est intelligenda, qua ratione evacuatio respondens morbo, quantitatem & qualitatem significat.*

Quod evacuatio in die critico facta, & indicata optimam crìsim significet, ostendit Hip. 3. *prog. text. 24. sic, Quibus febres nec salutaribus notis apparentibus, nec in diebus decretoriis conquescent, ij reversionem timere debent. Quali diceret, dum notis salutaribus apparentibus, id est coctionis signis judicantibus in die critico febres cessant, firma est crisis: è contra dum sine ipsis, & in die non decretorio, quod de qualibet circumstantia hujus conditionis repetit diversis in locis, sic ait text. 21. Cum deleatur erysipelas, sed non in diebus decretoriis, nec in exteriores partes convertitur, vel mortem significat, vel dolorem reversionem.* Et 1. *epid. part. 3. text. 25. postquam dies judicatorios pro quolibet morbo enumerat, sic ait, Si indicatio fiat extra prescriptos dies, recidivus fore significat.*

De judicatione sine signo idem repetit 2. *epid. part. 3. text. 8. sic Quacumque sine signo indicationis disparent, malè indicata sunt.* Docet ergo rectè judicari, quæ signo judicatorio judicantur: qua ratione 4. *aphor. text. 71. nubeculam rubram in quarto præcedere docet quibus crisis septima die futura est, quasi diceret crisis bona in septimo non est sine signo in quarto. Constat ex Galeno 3. de crisi. c. 2. crìsim absolutè & pro*
Henriquez Laurea Medica Tom. III.

famofiori dici, quæ in salutem terminatur, & sic cum ad ipsam signum præcedere doceat, optimam crìsim signum requirere ostendit: dicitur crisis cum signo, quæ cum signis indicantibus fit, sine ipso verò, quæ ipsis caret, ut 3. *de crisi. c. 10. constat, & 1. de dieb. decret. c. 2. quo intelligitur Hip. 2. prorrh. text. 17. dicens, Perniciosa sine signis levantia, mortem indicant, idest sine indicante, idèò Galenus in comment. sine signis coctionis dixit esse: ergo crisis cum signis adveniens in die judicatorio optima est. Quà ratione 1. *prog. text. 22. ait, Sudores saluberrimi censentur in morbis si in diebus decretoriis orientur, & 4. aphor. text. 36. dies enumerans ait. Esi sudores indicant morbos; qui verò non ita sunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidivam: ergo optima crisis indicata fit in die judicatorio. Quid hoc faciat ad convenientiam crisis constabit infra, & cuilibet pro quolibet morbo critici dies.**

Signum præcipuum optimæ crisis, vel præcipua conditio est coctio, quia ipsa perfectâ existente, nullatenus prava, aut alitò incommo- do potest advenire crisis. Hoc ita certum fecit experientia, ut hæc scribat Hip. 1. *epid. part. 2. text. 45. Coctiones celeritatem indicij, & securitatem ostendunt: ergo coctione existente, secura salus per breve judicium consequetur: idèò Galenus 3. de crisi. c. 3. sic ait, Neminem unquam interentem vidi, qui præcedentibus coctionibus crìsim habuisset: ergo præcipua conditio ad optimam crìsim est coctio, & ita optima dispositio est, ut adhuc in morbis qui non terminantur crisi coctio perfecta salutem necessariò futuram significet. Propter quod 3. de crisi. c. 5. post statum morbi nullum mori posse docuit; si ergo quando adhuc morbus est, coctione perfecta mors implicat, quantò magis dum per crìsim declinatione morbus privatur, quâ ratione crìsim optimam in statu fieri necessum judicavit Galenus in ipso c. 5. ita ut tantum ab unitate privetur, quantum statum antecedar; evenit enim in tali casu ob irritamentum aliquod materiâ existente crudâ, & sic aut gravibus fiet accidentibus, vel non secura, nec perfecta, & juxta hanc doctrinam 1. de crisi. c. 9. in principio nullam judicat possibilem crìsim, & de ejus signis sic ait: *Etenim hæc si absque coctionis signis apparuerint, sunt pessimiarum dispositionum indicia.**

Ita verum habuit Galenus coctiones optimæ crisis significasse, ut de signorum differentiis agens 1. de crisi. c. 14. signa critica infida, & incerta appellat; signa verò coctionis, & cruditatis è contra, quia illa jam cum coctione, jam sine ipsa inveniuntur, & sic jam critica, jam mortis sunt, bonam aut malâ dispositionem ostendentia; signa verò coctionis semper bona, cruditatis non ita: nam si hujus exitialia sint aliqua, mortem significant; alia verò etiam mortem non ostendant, necessariam longitudinem saltem significant, sic ait. *Cruditatis, & coctionis signa semper stabilem habent potestatem, criticorum verò accidentium infida est universa natura, & contrarium significans.* Docet ergo de quolibet seorsim, quod certum, quod incertum sit, quod bonum, & quod prævum; sunt enim coctionis & cruditatis signa, urina, sputum, & alvi excrementa, prout magis accedunt, vel recedunt à dispositione quam habent per salutem, ut dictum invenire est 2. *prog. vel constabit perfectam coctionem esse dum*

album, læve, & æquale subfidet in urina, etsi principio morbis ex bile nebula seu appendiculum sufficiat aliquando, ut Gal. 1. *de cris. cap. 17.* quod intelligendum est in morbis cujus cruditas, & coctio significatur in urina; nam in quibus non ut pluries in maligna accidit febre, non invenitur securitatis signum in ea cognoscetur, tamen si præcedenti cruditate morbo debita mutetur paulatim, ad coctionem urina sufficiat, tamen in præsentem quod signa perfecta coctionis crism futuram optimam significant, non quia ipsa crism significant, sed ipsam optimam. Ideo Hip. iudicij celeritatem, & securitatem significare dicit, non iudicium ipsum, etsi ex die in quo indicia coctionis inveniantur, dies iudicij significari diximus.

Propter quod cur coctio requiratur ad optimam crism, & cruditas ad pravam conducatur, deducetur facile, si operari facultatum naturalium inveniamus, quibus ita subordinatè operari convenit, ut facultas trahens, id quod pro coctrice & retentrice facit, trahat, hoc est propter potiri, sive particularis sit facultas, sive verò propter totum aliqua operetur, in ordine ad ipsam operatur, quod non est huius loci. Expultrix verò id quod de objecto coctricis non est, habet expellere, nî forsan irritata operetur, ut dum in principiis accessionum expulsiones adveniunt, & cum materia cocta jam sub facultate coctricis non sit, ab expellente pellitur, & crisis advenit in statu; tuta, quia operari proprium, & naturale facultatum, tutum est, aut natura non procederet ut decet; sunt namque omnes naturalium facultatum operationes sine incommodo, & periculo in suo naturali operari; ergo & crisis tuta erit, materia cocta ad expulsionem commotà, nullum valet causare accidens molestum, & consequenter erit bona, & perfecta; nam cum in statu universa materia cocta sit, tota causa morbi ejicitur, & sic fida, seu firma, tandem resultabit crisis, & dum natura ordine perturbato operatur, crisis erit indicata, quia ipsa regulariter operante, coctionem manifestabunt signa in suo quaternario.

Dum verò natura à suo naturali modo operandi extrahitur, nec indicatio præcedit, nec tuta, nec fida, nec bona erit crisis, ut Galenus 3. *de cris. c. 5.* sic, *Si propter morbi magnitudinem, vel velocitatem, vel aliud externum irritamentum crisis anticipet, nec ipsam perfectam, nec omnino bonam quimus sperare; quòd si salubris morbus apparuerit, verendum est ne crisis, vel cum gravibus fiat accidentibus, vel non perfecta, vel omnino revertatur.* Totum quod Hip. *text. 45. citato* comprehendit, sic ait, *Coctio, crisis celeritatem & securitatem significat; cruda autem & incocta, & in malos abscessus conversa crism defectum, aut vehementes labores, aut mortem, aut eorumdem malorum reversionem significant.*

Cujus doctrinæ fundamentum est, quia cum natura à suo regulari operari extrahatur, ad pellendum movetur id quod de objecto ejus non est, id est quod à retinente amplexatur; propter quod corpora sana non esse purganda docet Hip. 2. *aphor. text. 31.* ut voluit Galenus in *comment.* quia cum natura conetur retinere, id quod conatur attrahere medicamentum, quid mirum quod prava adveniant symptomata, & quod totum pravam ejiciendum non ejiciatur, & quod bonum, multum exeat, utrumque noxium hoc, quia cæco impetu natura pellit illud, quia cum ob irri-

tamentum operetur facultas dum quantitas minorata est, non est quod irriter, ut antea, sic imperfecta resultat crisis, si mala non sit & infida; nam *Qua relinquuntur in morbis, recidivas fecere consuevere*, ut docet Hip. 2. *aphor. text. 12.* ad quod accedit specialis horum symptomatum ratio, quia cum materia cruda naturæ sit inimica, in ejus commotione pravi, & putridi elevantur vapores, cor & partes principes molestantes, ut accidit in sterquilinio, ratione quorum valde vires patiuntur in evacuationibus symptomaticis, totum quod dum materia cocta est deficit, cum vapores correcti sint, ut tota materia, etsi pro aliquibus accidentibus sufficiant magis, aut minus, prout magis, aut minus correctæ materia est, ut accidit dum pus conficitur, & in summo morbi vigore in quibus febres, & dolores fiunt, quia ob effervescentiam, vapores, & fuliginis elevantur in majori copia ad dicta accidentia causanda, donec tota materia stet correctæ, & ipsi resolvantur.

Neque valet contra hoc, quod si crisis debet fieri materiâ summè correctâ, jam morbus non esset, aut saltem in declinatione fieret, quod est contra Gal. 3. *de cris. c. 5.* ratione cujus signis manifestæ coctionis existentibus perfectam fieri crism voluerunt plures, de temporibus morbi aliter philosophantes, quam debetur. Hoc (inquam) non valet, quia Galenus expressè in statu fieri optimam crism fatetur, non in declinatione, nec in augmento; si verò signis manifestæ coctionis fieret, in augmento fieret, juxta doctrinam Gal. 1. *de cris. cap. 17.* & 1. *aphor. 12.* & juxta ipsorum doctrinam fieret in declinatione morbi, cum jam morbum declinantem concedam, dum materia incipit corrigi, tamen Galenus docuit *c. 9. citato* morbos, qui terminantur crisi, declinatione carere universali, & in declinatione universali, non posset vivens perire, cujus contrarium esset verum, si morbus minueretur, dum materia coquitur, quia per crism posse vivens perire nemo dubitat ante perfectam materiæ coctionem, ergo in declinatione quoad entitatem ægritudinis periret, & ipsa non careret morbi qui terminantur crisi. Sufficiat in præsentem docuisse Galenum in statu crism fieri coctione summâ existente, saltem in ultimo fieri per quam status constituitur, ratione cujus dum pus conficitur, dolores, & febres sunt magis quam dum jam confectum est, ut Hip. 2. *aphor. text. 47.* & ob eandem rationem *text. 30.* omnia esse fortiora in summo vigore scripsit, & consequenter 1. *aph. comment. 8.* & 2. *aphor. comment. 29.* coctionem & summum vigorem morbi coincidere docuit, propter utrumque alimentum & remedia in statu prohibeat.

QUÆSTIO XI.

Utrum ad perfectam Crism conducatur nocte, vel die fieri.

QUAM conditiones optimæ crisis quæramus, & omne quod pro ejus perfectione conducatur, ipsam faciat optimam, meritò præsens quæstio exanimanda venit, in quantum dubitamus, an ita crisis perficiatur nocte, ut die non possit perfici; potest die, & nocte perfecta, &

Q. XI. An Cris. perf. noct. vel die fier. deb. 263

& optima inveniri, & sic non est conditio necessaria, quid tamen pro ejus majori perfectione faciat, quærimus: quod intelligitur facilius si attendamus ea facere pro majori crisis perfectione, quæ conducunt ut ea quæ mutationi ipsi accidunt commodius fiat, hoc est minori molestia, & majori utilitate; antecedunt enim perturbatio & evacuatio ad mutationem, & sic difficultas est an hæc commodius fiant nocte quàm die. Circa quod Valles. 10. *contro. cap. 11.* evacuationes criticas omnes copiosiores fieri noctu, quàm die affirmat; perturbationes verò comodiùs die quàm nocte, & consequenter asserit crism perfectionem, & comodiorem fieri si perturbatio die fiat, & evacuatio nocte quàm è contrà: si verò die, aut nocte evacuatio, & perturbatio adveniat, quando major est debilitas, quàm humorum multitudo, melior erit die, si autem humorum multitudo, quàm debilitas facultatum, melior erit nocte.

Copiosorem fore evacuationem nocte quàm die in crisi probat Vallesius, quia si per motum humorum ab excrementis ad intrà fiat, ut est per vomitum, dejectionem & renes, sequitur motum naturæ, quæ noctu ad intra humores retrahit, & sic copiosior fiat evacuatio; si verò fiat per motum ad extrà, ut per sudorem & sanguinem narium, cum facultas naturalis fortior sit ex retrocessu sanguinis, & spirituum ad intra, copiosior evacuatio, noctu fit, & consequenter omnis crisis copiosorem evacuationem habebit nocte quàm die. Quòd verò perturbatio comodiùs die quàm nocte feratur, ostendit ipsa consuetudo quiescendi nocte, & laborandi die, ratione cujus labores perturbationis diu feruntur faciliùs, juxta Hippocr. 2. *aphor. tex. 49.* dicentem, consueti solitos labores ferre, etiam si imbecilles, faciliùs ferunt fortibus: Et juxta hanc doctrinam Gal. in *comment. 13. ejusdem libri* noctem ante judicationem difficilem appellat; sic ait. *Gravitas hæc nocte fit manifestior: nam hoc tempore dormire consuevimus, somno igitur à turbatione interrupto, clarius gravitas percipitur: licet similis fiat interdum turbatio.* Erit ergo optima, & melior crisis dum perturbatio die advenit, evacuatio tamen nocte.

Quòd facultate patiente melior sit crisis, in qua omnes ejus partes diu fiunt, constat, quia facultate patiente, tunc erit melior crisis, quando ex evacuatione, & perturbatione minùs patitur facultas; sed quando omnes crisis partes fiunt diu, minùs patitur facultas; ergo diu debent esse. Minor probatur: nam minùs patitur facultas cum perturbatio minùs molestat, & evacuatio moderata est magis, sed hæc ita sunt diu, ut ex dictis constat, ergo diu præferenda est crisis, facultate patiente; è contrà verò multitudo humorum abundante cum facultate robusta, est enim tunc quærenda evacuatio copiosa magis; sed hoc est nocte, ergo facultate robusta, & multitudo existente, noctu faciendâ est crisis.

Contra Vall. doctrinam dixerunt plures nullatenùs esse verum copiosorem evacuationem noctu fieri, ex eo quod talem motum ad intra per noctem non judicant naturalem, nisi per somnum; & cum difficultas solùm sit de crisi nocturna, aut diurna, nullo somno existente, quia ipse potiùs evacuationis cohibet omnes præter sudorem, ut ipse Valles. 1. *meth. cap. 13.* de crisi nocturna in-

telligendum est nullo somno existente, & tunc affirmant non esse ad quid sanguis, & spiritus retrocedant ad intrà, ut evacuationes quæ per motum ad intra fiunt augeantur, & aliæ ex robore facultatis; siquidem somno deficiente, & retrocessus ad intrà deficit: nec ad hoc facere tenebras, cum fugere contrarium sit agentis cognoscitivi proprium, & defectus caloris ad extrà non inveniatur in his, qui judicantur nocte, ut propter frigus cute dissipatâ calor retrocedat: siquidem febricitantes, quales sunt, qui judicantur, non ita possunt à temperie noctis immutari, ut cutis constipetur, ac per consequens, nec evacuatio fiet copiosior noctu quàm diu; fatentur tamen cum hoc, quod si evacuatio & perturbatio debent fieri in diversis temporibus, diu debet fieri perturbatio, noctu verò evacuatio, ut comodiùs molestia feratur, non ut copiosior fiat evacuatio; si verò perturbatio, & evacuatio in una parte dici fiant, meliùs est die quàm nocte, quia meliùs toleratur molestia, & evacuatio non minor fit.

Alij verò absolutè crism nocte factam meliorem judicant, quorum fuit Conciliator, ex eo quòd natura minùs distracta est pro tunc, quàm diu, & sic fortior ad expellendum manet, & consequenter perfecta, & completa fiet crisis, ad quam luna juvat, cum ipsa magis noctu influat.

Alij ob rationem perturbationis meliorem judicant crism die factam; est enim apud istos deterius malum, quod ex perturbatione advenit, quàm utile bonum ex evacuatione; è contrà verò apud illos, etsi juxta diversitatem facultatis operantis aliam crism diu perfectiùs fieri quàm noctu dicant alij, & aliam noctu, illam, quæ à facultate animali juvatur, ut vomitus, & dejectio, hanc, quæ à facultate naturali tantum perficitur, ut sudor & sanguinis fluxus.

Nobis tantum videtur dicendum crism optimam ex parte temporis, juxta doctrinam Vall. esse præferendam, ob ejus rationes. Quod probatur quantum ad evacuationem, de qua est difficultas, nam tantum fit copiosior evacuatio quando natura minùs resoluta, & distracta est; sed noctu est minùs distracta & resoluta ob minores, & pauciores operationes quæ in ipsa nocte fiunt quàm die; ergo copiosior fiet nocte omnis critica evacuatio. Major est certa. Minor probatur ex Avic. *fen 2. lib. 4. cap. 4.* dicente sic. *Et scias quòd agritudines & accidentia fortiora fiunt in nocte, quoniam natura occupatur in ea in digerendo materiam semotâ ab omni re.* Ergo minùs distracta, & magis roborata est noctu natura. Probatur etiam ratione, quia facultas labefactatur magis dum ad plures actiones concurrat anima, quàm dum ad pauciores: sed non potest negari diu ad plura objecta percipienda concurrere vivens ad quæ non concurrat noctu, tum quia lux diei ad majorem spheram illuminat, ratione cujus plura objecta, & ad majorem distantiam percipiuntur, tum quia, ipsa dispositio nobis adhuc absque somno, ut potentia retrahantur pro sui roboratione conducit, jam crassitie aliquâ inductâ adhuc in febricitantibus, jam cognitâ per rationem, roborationis necessitate, ergo noctu valet magis facultas, ac per consequens in ea copiosior fit evacuatio.

His positis manifestum est crism perfectiùs & comodiùs fieri, dum perturbatio die fit, &

evacuatio nocte; si quidem minus labefactatur natura dum non privatur requie, & somno, quam dum ipsis privatur; sed adveniente perturbatione diu, cum dormiendi & quiescendi tempus non sit non privatur eis, ut noctu: & ex alia parte copiosior fit evacuatio noctu: ergo crisis tali participatione commodè, & utiliter fiet. Si dicas etiam per evacuationem privari quiete, & somno laborantes, ergo etiam evacuatio diu debet esse. Antecedens patet; cum tales evacuationes somno opponantur, præcipuè illæ, in quibus facultas animalis operatur, ut sunt vomitus, & dejectio, ad quorum augmentum motum consulit Hipp. 4. aphor. text. 44. necnon omnes aliæ, etiam si à facultate naturali tantum fiant, sudore excepto, cum omnes evacuationes præter sudorem somnus cohibeat, ut experientia, & Vall. 1. meth. cap. 3. probant: ergo diu desideranda est evacuatio, ac per consequens absolutè melior erit crisis die facta secundum omnes ejus partes.

Respondetur quod licet evacuationes quieti opponantur, & somno, cum non ita molestant naturam, nec ita continuè ut perturbatio, major utilitas consequitur eò quòd fiant copiosè, quam damnum ex inquietudine, præcipuè cum secluso vomitu, & dejectione, cæteræ evacuationes corpore quieto fiant, perturbatio verò antecedens cum continuò molestat, & nullam præstet utilitatem, fugienda est dum quies desideratur.

Quod verò facultate existente robusta cum multitudine humorum dum ambæ partes crisis simul debent esse, utiliùs sit fieri noctu quam diu, patet quia tunc copiosa est magis evacuatio, etsi patiatur facultas, sed dum humores abundant, & facultas valet, utiliùs & copiosam fieri evacuationem, etsi facultas patiatur; ergo noctu debet fieri in tali casu. Major est certa. Minor probatur, quia dum facultas valet, est resistentia sufficiens pro molestia, à perturbatione veniente, & ex alia parte evacuatur quantitas proportionata juxta causam morbi; ergo major est utilitas ex evacuatione copiosa, quam damnum ex passione facultatis: dum verò è contrà facultas debilis est, & humores non abundant, dum ambæ partes crisis simul debent esse, meliùs est diu fieri quam noctu, quia magis timendus est lapsus facultatis ex molestia perturbationis, quam utilitas amanda ex evacuatione copiosa; sed noctu facta crisi magis patitur facultas, quam diu, etsi evacuatio fiat copiosior: ergo diu est eligenda talis crisis.

Ad opposita respondetur quòd noctu adhuc somno deficiente, sunt plura quæ impediunt distractionem naturæ, & motum spirituum ad extrà, & alia, quæ pro retractione ad intrà faciunt; deficit enim lux extrà & objectorum naturalis proportio ad quorum cognitionem potentia excitantur, & spiritus moventur ad extrà, & est ipsa hora & necessitas quiescendi, ratione ejus & naturaliter & voluntariè ab operari cessant facultates, & consequenter spiritus non resolvuntur ad extrà, immò etiam retrahuntur in facultatum patientium subsidium, aut non communicantur ad sensoria, & intus manent; quid mirum ergo quòd pro copiosiori evacuatione facultas interior valeat.

QUÆSTIO XI.

Utrum sine conditionibus optimæ Crisis possit perfecta evenire.

NON est idem quærere utrum sine signis optimæ crisis possit esse perfecta, ac si dicamus posse esse optimam; esset enim implicatio in terminis; nam si requiruntur conditiones dictæ ad optimam crism, sine ipsis optima non erit: quærimus tamen an perfecta crisis sine talibus conditionibus possit evenire; certum enim est bonam crism esse posse, siquidem in meliùs mutatur vivens, etiam si evacuatio congrua non sit, scilicet integra, ut visum est pluries, adhuc materià existente crudâ, & nullâ indicatione præcedente, nec in die critico facta, ut videre est 1. epid. part. 3. agror. 6. ubi Hippocr. plures evacuationes humoris crudi fatetur incompletas, & ad meliùs trahentes, nec indicatas, nec in die critico factas: ergo sine conditionibus optimæ crisis bona poterit esse, ipsamque manifestam, non tutam esse deducemus facilliter, cum fiat evacuatione manifesta humoris crudi, ex cujus commotione plura incommoda & prava symptomata advenire ostensum est *quæstione 10. ratione quorum non esse tutam crism docuit Galenus 1. de diebus decret. cap. 2.*

Dubitamus ergo an sine dictis conditionibus crisis ita possit fieri, ut perfecta, & fida sit, id est, ut in salutem ægrotantis completam terminetur securè, hoc est sine recidiva, conditiones etiam optimæ crisis, ex Galeno. Si quæ fiat indicata in die judicatorio cum signis perfectæ coctionis, cum evacuatione congruenti morbo, quarum ultima necessaria, ut ipsa deficiente, non solum non optima sit crisis, verum nec perfecta nec segura, asserit Hippoc. 2. aphor. text. 12. *Quæ relinquuntur in morbis post judicationem, recidivas facere consuevere;* Quod est ut voluit in comment. Galen. quia reliquæ malorum humorum, quæ in corpore manent, necessariò debent causare febrem; debet ergo evacuatio proportionari morbo, id est, sufficiens, & qualis convenit, quod significavit 3. de cris. c. 3. dicens. *Deinde considerare oportet, quod forma morbi excretio respondeat.* Hoc fiet dum evacuatur humor peccans, per regionem & rectitudinem convenientem, in debita quantitate, aliàs non responderet formæ morbi excretio, ut in ipso cap. docet Galenus, & consequenter super illa verba, *Quæ judicantur, & judicata sunt,* 1. aphor. comment. 20. non esse imperandum inquit, dum integrè fit judicatio, maximè tamen dum deficit, si per loca conferentia fiat, est ergo simpliciter necessaria ad completam, seu perfectam, & securam crism, quod formæ morbi excretio fiat & respondeat.

Difficultas major est de duabus aliis conditionibus, utrum sine signis coctionis, & in die non judicatorio evacuatio non indicata possit facere crism perfectam & fidam; quæ difficultas communiter proposita est de evacuationibus symptomaticis, nam cum tales sunt, quæ sine signis coctionis sunt in die non indicata, quærimus an utiles possint esse symptomaticæ evacuationes, ita ut completa, & segura sanitas consequatur; circa quod

quod major difficultas est de coctione: nam cum ipsa securitatem significet ex Hip. & Gal. videtur necessarium crifim perfectam esse non posse coctione deficiente, sic ait, Hip. 1. epid. p. 2. text. 11. *Coctiones securitatem indicationis & celeritatem sanitatis significant: cruda verò, & incocta, & in malos abscessus conversa, aut indicationis sublationem, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut eorumdè recidivas significant.* Videtur ergo coctione deficiente perfectam, & firmam non posse advenire. In cujus confirmationem 2. epid. part. 1. text. 9. ait Hip. *Qua indicant in melius non statim apparent, ubi per verbum statim, principium intelligit Gal. 1. de crif. c. 7. ut ex ipso text. constat, sic ait immediatè, Indicatoria non indicantia, partim lethalia, partim debilis indicij: Qua vero pramatura indicationem dum adhuc cruda sunt omnia occupant, morborum recidivas convehunt: Ergo in coctione perfecta, esse non potest crifis.*

Ita certum judicavit Gal. evacuationes materia cruda, factas pravas esse, juxta doctrinam Hip. ut pluries eas damnet, non posse bonas esse affirmans; ergo nec crifim perfectam causare. Antecedens constat 4. aphor. comment. 21. super illa verba: *Deiectiones nigrae spontè venientes; vel cum febre, sine sine illa, pessima, sic ait Gal. Quare ab initio nunquam ad bonum sunt huiusmodi evacuationes.* Et in hujus confirmationem Hip. adducit, & comment. sequenti idem repetens sic ait. *Quo enim tempore à causis morbum facientibus, natura gravatur, adest cruditas humorum, tunc aliquid bene evacuari est impossibile.* Et infra, *Si excernantur sine signis coctionis, exstialis est casus.* Quantum in morbi principio semper signa sunt cruditatis, mala semper erit humorum talium evacuatio: constat ergo sine signis coctionis perfectam crifim esse non posse.

Probatur etiam ratione: nã coctio idè signum est optimæ crifis, & securæ sanitatis, quia materia victa à natura ejicitur sine incommodo, & irritatione: sed materiã existente crudã, necessarium operatur natura irritata, & contra internam inclinationem: ergo non poterit perfectam expulsionem facere, ac per consequens, nec crifim perfectam. Major est certa. Minor constat, quia coctio expectatur ex eo quod natura non rejicit id quod coquere valet, quod probatur, quia dum natura operatur contra internam inclinationem malè se habet, valde patitur, & non sine magno labore, ut videre est quando movetur ad expellendum humores vi medicamenti in corpore sano, ob quod non esse purganda corpora sana docet Hip. 2. aphor. text. 37. sed quando natura pellit materiã crudam operatur contra internum impetum, ergo non faciet perfectam crifim. Confirmatur hoc, quia Hip. & Gal. diastas evacuationes damnant, pravasque appellant, sed non alia ratione pravæ sunt nisi quia natura valde patitur vi commotionis materiæ crudæ, & quia plurimum boni evacuatur simul cum malo; ergo semper hoc est timendum, ac per consequens perfecta crifis sine coctione esse nõ potest.

Quod non detur perfecta crifis si in die judicatorio non sit, & indicatio præcedat probatur etiam; nam crifis perfecta, & fida est, quæ in integram ægrotantis salutem sine recidiva terminatur: sed quæ in die judicatorio non fit non est sine recidiva; ergo crifis perfecta in die judicatorio debet fieri. Major constat ex Gal. 1. de crif. cap. 2. Minorem probat Hip. 1. epid. p. 3. text. 15.

in quo postquam dixit morbos aliquos judicari per pares, alios per impares, sic ait, *Nosse oportet quòd si aliter judicatio fiat extra præscriptos dies, recidivas fore significat, & fuerit sane perniciofa; ergo extra diem criticum non erit fida.* Idem affirmat 4. aphor. text. 36. sic *Sudores febricitanti si inceperint boni, 3. die, & 5. & 7. & 9. & 11. & 14. & 17. & 21. & 27. & 31. & 34. Hi sudores indicant morbos, qui verò non ita sunt, labores significant, & morbi longitudinem, & recidivam.* Quibus verbis ostendit Hip. id quod dixerat 1. epid. de crifis materiã crudã existente; ergo in die non judicatorio non erit perfecta crifis, & text. 61. sic ait, *Febricitantem nisi diebus imparibus febris reliqueris, solet recidivare.* Quà ratione supra text. 29. sic ait, *Quibus in febris 6. die rigores sunt, solent recidivare, & consequenter Gal. 1. de diebus decret. c. 4. sextum diem tyrannum appellat, septimum verò benignum.*

Tandem Hipp. 3. prog. text. 22. comprehendens ad crifim perfectam coctionem, & diem criticum, sic ait, *Quibus febris, nec salutaribus notis apparentibus, nec in diebus decretoriis conquiescunt, hi reversionem timere debent.* In cujus comment. Gal. intelligens per signa salutaria signa coctionis sic scripsit. *Quoties neutrum existat ex his, qua dixi, tantum expectare oportet recidivam, & ubi alterum adsit, alterum desit: ergo non solum per defectum coctionis crifis fiet imperfecta, sed etiam quia fiat in die non judicatorio; & licet plures vertant, Expectare oportet recidivam, non ubi alterum adsit, alterum desit: Non ita intelligendum est, ut advertit Mus. in margine, in qua ut in aliis Galeni locis constat virtus diei ad perfectionem judicij facit, aliàs non interesset magis uno, quàm altero die judicium fieri, tum quia deficiente coctione, etsi dies sit judicatorius, non est segura crifis: ergo non solum deficiente coctione, & die prava erit, sed etiam una, vel altera deficiente, ita ut verum sit non solum recidivam esse expectandum dum crifis fit, neutro existente, sed etiam ubi alterum adsit, & alterum desit.*

Hanc partem probat etiam ratio: nam quid sit de causa dierum criticorum, certum est facilius & securius crifim fieri in die ex propria natura judicatorio, quàm extra ipsum, quia causa ejus conducit pro perfectione crifis; sed in diebus aliis tale juvamen deficit: ergo extra dies criticos non erit perfecta, & fida crifis. Major est certa ex Hip. Galeno & Avic. & costabit infra. Minor probatur: nam si eadem virtus adjuvans pro crifis esset in omnibus diebus, non magis unius quàm alter judicatorius diceretur: sed sic est quod omnes non sunt judicatorij, ergo quia in aliis est juvamen, quod deficit in aliis, ac per consequens extra diem criticum ob defectum juvaminis non fiet perfecta crifis. Quod argumentum non solum probat de die judicatorio, sed etiam de indicante; est enim indicatio utilis quia significat pro tali die concurrere specialem causam crifis: sed ubi talis indicatio deficit, talem causam deficere significatur, & adhuc coctionem & dispositio-nem ad crifim, cum per coctionem, seu per ejus signa dies criticus indicetur, ergo perfecta crifis sine indicante coctione, & die judicatorio esse non potest.

Nobis tamen videtur dicendum, quòd licet crifis optima tres illas condiciones requirat, ita ut per eas, seu per earum signa sufficienter dignos-

catur, futura crisis optima, nihilominus rectè potest perfecta, & fida crisis resultare aliqua, aut utraque ex conditionibus duabus deficiente. Ostendit hanc veritatem Hippocr. 1. *epid. part. 3.* per plures ægrotantes præcipuè per sextum de quo plures evacuationes symptomaticas fatetur habuisse, & in omnibus diebus, quibus tandem perfectè judicatus fuit, & ægrotum septimum adducit, quem adhuc, cum signis repugnantiam coctionis ostendentibus à duabus ad quinque evacuationes symptomaticas habuisse scripsit, & ipsum sine recidiva judicatum fuisse; ergo utraque conditione deficiente, crisis perfecta, & fida esse potest: quod idem visum fuit *agrote 10. & 13. & lib. 3. epid. part. 1. agrote 1.* sudore decimo die factò judicari fatetur, etsi abscessum postea sublequi affirmet, & *agrot. 3.* variis & diversis evacuationibus omnibus diebus factis materiâ crudâ existente, & malignè putrida absolutus est: ergo sine coctione in die non critico crisis perfecta esse potest.

Probat etiam ratione: nam tunc erit perfecta crisis cum integra salus sine recidiva speratur: sed non implicat naturam ita robustam dari ut materiam morbi pellat in principio sine reliqua ad recidivam, sive materia putrida sit cum capacitate coctionis, sive secus: ergo poterit dari perfecta, & fida crisis coctione deficiente in die non critico. Major est certa. Minor probatur: nam etiam si aliquid boni simul cum malo ejiciatur, & facultas patiatur propter commotionem materiæ crudæ, & malignæ, non implicat facultatem valere ut materia illa pellatur, ipsâ perseverante cum sufficienti robore, ex eo quòd potest esse major utilitas ex evacuatione, quàm damnum ex debilitate; ergo poterit dari evacuatio symptomatica faciens fidam & perfectam crissim. Quod confirmat id quod diximus ex Hipp. & Galeno de stillicidio sanguinis, ubi constat evacuationem illam, in quantitate sufficiente utilem esse, & morbum terminare, ergo dabitur crisis perfecta & fida materiâ evacuatâ crudâ in die non critico: non dico crissim esse optimam, sed perfectam, & fidam, quæ in omni modam salutem sine recidiva terminatur, sive una evacuatione, sive pluribus repetitis.

Ad ea quæ posita sunt responderetur, tales evacuationes damnasse Hippocratem & Galenum, quia ferè semper periculosa sunt, & in perniciem ægrotantis; est enim ferè semper majus damnum, ex debilitate facultatis ob accidentia talis commotionis & irritationis, quàm utilitas ex evacuatione materiæ; siquidem talis crisis fit semper propter causæ irritationem, sive ratione velocitatis, sive magnitudinis morbi, & sic nec tuta, nec perfecta est. Totum quod docuit Galenus 3. *de cris. cap. 10.* sic. *Quæcumque verò præsumunt, ob aliquod irritamentum, id patiuntur, & tantò deterior fit crisis, quàm illa qua in statu fit, quantò magis anticipaverit. Quæ omnia sic explicat cap. 5. Est igitur ut in die decimoquarto spes sit fore statum, & aut ob morbi magnitudinem vel motus velocitatem, vel propter aliud externum irritamentum crisis die undecimo, anticipet, nec ipsam perfectam, nec omninò bonam quævis sperare; quod si salubris apparuerit, verendum est ne crisis, vel cum paucioribus fiat accidentibus, vel gravibus, vel non perfecta, vel omninò revertatur. Quibus verbis id quod communiter evenit explicatur; quod non tollit posse, etsi incommodo aliquo*

morbum omninò evanescere, materiâ totâ evacuatâ & consequenter materiâ existente crudâ in die non judicatorio fiet perfecta, & fida crisis, non tamen tuta, cum natura operetur irritata & præter ordinem debitum facultatibus, ratione cujus symptomatica est evacuatio, & majori molestia & resolutione virium quàm dum optima est crisis.

Difficultas major est cum evacuationes symptomaticæ aliquando in bonum, aliquando in malum terminentur, quomodò cognoscendum sit cujus naturæ sint; siquidem cohibendæ, & timendæ sunt pravae, & quæ in mortem ducunt; juvandæ tamen, aut permittendæ saltem, quæ in salutem, aut in melius; ad quod discernendum nulla regula invenitur præstantior, quàm illa quam dedit Hipp. 1. *aphor. text. 2.* inquit. *In perturbationibus ventris & vomitionibus spontè factis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leviter ferunt, sin minus è contra.* Quæ verba, etsi de qualibet evacuatione ab intro procedant, propriè locum habent in evacuationibus symptomaticis, ubi per conferentiam, & tolerantiam, evacuandum evacuari determinat, & consequenter ejus quantitatem per eadem signa mensurat: *text. tamen 23.* sic ait. *Dejectiones non multitudine sunt astimanda, sed si talia dejiciantur, qualia conveniant, & agri facillè tolerant.* *Text. tamen 25.* jam de evacuationibus à medicamento agit per eadem signa describens, ita ut tunc bene judicandum sit de evacuatione, cum confert morbo, & vires tolerat, ut etiam docet 1. *prog. text. 22.* & Galenus in *comment.*

Recentiores sequentes Vallesium 2. *meth. c. 13.* etsi vera sit doctrina apposita non valere ad determinandam evacuationis bonitatem, vel vitium, affirmant, quia conferentia, & tolerantia posteriores sunt evacuatione ipsa, & sic jam damnum, aut utilitas erit consecuta, dum conferentia, aut tolerantia evacuationem discernit, & consequenter non fiet cognitio quando ad ejus juvamen, aut prohibitionem debet fieri, ratione cujus bonam, aut malam fore determinant ex qualitate, quantitate, impetu, & rectitudine evacuationis, ex regione & die; ita ut quando qualitas humoris, qui evacuat formæ morbi responderet. Impetu, & quantitate proportionali per regionem convenientem cum rectitudine in die judicatorio bona sit prædicenda, vel utilis evacuatio; è contra verò prava, ut si pro tertiana, utriusque ventris adveniat fluxus cholericus, aut sudor in quantitate, & impetu proportionali, utilitas est expectanda; si verò aliquod horum deficiat, contrarium, ut 3. *de cris. cap. 3.* docet Galenus, aut si affecto liene venter solvatur modo debito, congruens est crisis, non ita si urina, teste Galeno 13. *meth. cap. 16.* & 2. *ad Glauc. c. 2.*

Etsi omnes evacuationes optimæ conditionis attendere utile sit, ad ipsam prædicendam bonam, futuram, aut malam, quatenus melior debet judicari, quæ pluribus bonis conditionibus est, quàm quæ paucioribus, id est, si una mala aliis principalior non sit, nihilominus ad dignoscendam evacuationis symptomaticæ malitiam, aut bonitatem, impertinenter se habent signa dicta, hoc est insufficientia sunt; fit enim cruda, ergo non die judicatorio; nam dies judicatorius non est quartus, aut septimus, sed qui pro illo morbo est talis ut pro morbo terminan-

duo decimus quartus, septimus non est judicatorius, ergo non ex inde bonitas evacuationis deducenda est; est enim implicatio in terminis evacuatio symptomatice, & quod fiat die judicatorio; nam talis est materia cocta, & quod magis est, quia evacuatio materiae crudae in die judicatorio, seu indicante, deterior dicitur ab Hippoc. *text. 1. prorrh.* ergo bonitas non est praedicenda ex eo quod fiat die judicatorio.


Præterea: Evacuatione existente humoris peccantis per convenientem regionem cum rectitudine, & impetu proportionali, quotidie dubitamus de utilitate, non ergo per dicta signa bonitas, aut malitia est praedicenda. Antecedens patet: nam adveniente fluxu ventris bilioso, aut sudore pro febre continua, non dubitatur de qualitate, & regione, ut Gal. 3. *de cris. c. 3.* & adhuc impetu, & quantitate proportionali, dubitatur de convenientia, aut quia simul cum malo plurimum boni potest ejici, quod non dignoscitur antecedenter, aut quia talibus accidentibus, ut tandem virtus deficiat, quod etiam antecedenter non dignoscitur, ergo adhuc dictis conditionibus non discernitur evacuatio utilis ab inutili. Nec valet dicere per prava accidentia discerni sufficienter. Contra est: nam difficultas constat de evacuationibus symptomatice, & in ipsis prava accidentia debent esse necessaria, unde ergo dignoscetur talia esse futura, ut debeat evacuatio prohiberi, vel secus, siquidem omnia antecedentia dubia sunt.

Mihi tamen videtur dicendum in criticis evacuationibus rectè ex die & indicatione ex coctione, & congruentia bonitas evacuationis praenoscitur magis aut minus prout plures, aut pauciores fuerint conditiones optimae crisis, ratione ejus 3. *de crisis cap. 6.* sic ait Galen. *Statu tempus crisis spectat, & hac quidem optima crisis est, sit enim morbo jam cocto, si verò propter aliquod irritamentum ante statum crisis venire cogatur, tantò hac optima deterior erit, quanto statum anticipaverit.* Significat enim his verbis coctionem, & diem deficere, quantum à statu recesserit, & cum hæ evacuationes, quæ symptomatice dicuntur, malæ, & bonæ esse possint; malæ prout natura irritata operatur; bonæ, prout humor peccans evacuat, nil antecedens invenitur, ut utilis ab inutili secernatur, sed solum per effectus sunt discernendæ quod est per conferentiam, & tolerantiam, ut Hipp. *locis citatis*, nil esse antecedens ex dictis constat, & quia licet facultatem fortem cognoscamus, ipsam sufficere ad tolerandam evacuationem, & accidentia prava ejus non est cognoscibile, ratione cujus ad praedicendam salutem ex pulsu non desumunt Medici signum certum.

Quod per conferentiam, & tolerantiam de utilitate evacuationis symptomatice sufficienter, sit judicandum, patet: nam evacuatio, aut tollit plus de morbo, quam de virtute, vel plus de virtute, quam de morbo, aut æqualiter de utroque; unum, aut alterum fieri necessum est; nam adhuc veræ criticae evacuationes vires resolvunt, & minuunt, resolutis & evacuatis spiritibus pluribus cum humoribus simul: vires namque solum per accidens augentur in crisi gravitate semotà, non quia verè augeantur, ergo cum adhuc in criticis evacuationibus vires patiantur, multò magis in symptomatice, & sic dum morbi cognoscitur diminutio major, quam virium

debilitas, permittendæ aut juvandæ sunt evacuationes, præcipuè cum prava naturæ sunt: nam non aliter materiae putredo cessare potest pro morbo, post modum verò virium debilitas major est, aut æqualis cum diminutione morbi, si vires conjecturabiliter cognoscuntur futuræ sufficientes, ut maneant, etsi debiles, morbo jam victo, permittenda est evacuatio; secus verò si ipsas ante morbi ablationem deficere timemus, aut simul cum morbo, quia nec major utilitas spectanda est in morbo quolibet, quam quod vires maneant morbo sublato, nec majus damnum quod ipsæ deficiant ante morbum, aut cum ipso: ergo evacuatio illud faciens, est permittenda, aliæ verò cohibendæ.

Ex dictis patet evacuationes symptomatice esse discernendas attendendo ad id quod faciunt, & ad mutationes, quæ in facultate conspiciuntur in pulsu scilicet: nam licet verè non augeatur prout magis, aut minus percipitur debilitas, est judicandum simul cum diminutione accidentium morbi, ad quod assistentiam Medici commendat Vall. ut attendendo uni, & alteri mutationi, de utilitate, aut malitia certò judicet, quod cum ita difficile sit, inexperti Medici in magna incidunt incommoda. Totum quod intelligendum est dum vires ex se pro evacuatione valent; Nam aliàs adhuc critica evacuatio non esset permittenda, quantum minus symptomatice, quæ saltem ut signum prava est semper, & ex hoc capite plura causeret incommoda, quæ mala, ut causa dicitur, cum plus lædit quam prodest, & sic dum evacuatio ex se debilem facultatem significat, quatenus ipsam insufficientem ostendit, prava omninò est habenda, quia etsi pro morbo esset, plus læderet quam prodesset, talis est sudor frontis, vel pectoris, vel frigidus, ut Hippoc. 1. *progn. text. 22.* & evacuationes, quæ inceptæ non perficiuntur, de quibus 2. *prog. text. 68.* de abscessibus agens, & 1. *prorrh. text. 1.* & Gal. *in comment. sic. Sudores quoque, qui ceperunt, sed protinus cessarunt pravi sunt, dejectiones item, & quæ sanguinis eruptiones, vel in mulieribus per uterum vacuantur; omnia siquidem hæc deteriora his sunt, quæ nullo apparent pacto, si ubi ceperint, cessent, in illis verò apparent, veluti excitatio quadam conante naturâ excernere quæ molesta sunt, atque ita ob imbecillitatem quod proposuerat perficere nequente.* Constat ergo quod dum vires debilissimæ non sunt, aut evacuatio languorem facultatis non significat per conferentiam, & tolerantiam, evacuationis symptomatice est discernenda utilitas, vel damnum.



SECTIO II.

De diebus Decretorijs, & c.

QUÆSTIO I.

Utrum in morbis dies Critici, aut aliter contemplabiles inveniantur, & qui.

CRISIS morborum tutiores & omni ex parte perfectiores fieri in aliquibus diebus quam in aliis, docet ex professo Galen. per *lib. de dieb. decret.*

decret. sequens Hippoc. lib. de morbis vulg. & aphor. in quibus experientiâ approbatum dedit, ita fieri ut crisis in septimo tutior, perfectior, & firmior sit, quàm in sexto, & sic de aliis diebus scripsit Hippoc. de crisis seu judicationibus, & diebus ejus libros duos, docens morbos alios unis diebus, aliis alios judicari perfectè. Sic ait, lib. de dieb. decret. In principio oportet exactè prædicere temporum constitutionem, & morbam, & qui morbus bonus sit, & qui periculosus, & qui longus, & lethalis, & qui longus, & non perniciosus, & qui acutus, & lethalis, & qui acutus, & superesse sinens, ex his enim ordinem dierum criticorum considerandi, ac prædicendi facultas datur. Quasi diceret, ex ipsa natura morbi deducendus est cujuslibet critici dies; nam, etsi plures tales sint pro quolibet morbo, non omnes, sed illas, in quo futura est terminatio juxta ejus naturam, sive ex morbo, sive ex constitutione; nam alij morbi sunt breves ex se, ut tertiana, & longi ex constitutione, sive ratione regionis, aut victûs, aut alicujus alterius. Totum quod docuit loco citato, Hippocr. & juxta eandem doctrinam in fine, & lib. de cris. scripsit, quod 3. prog. text. 4. repetit sic, Placidissima febris, & signis securissimis quarto die desinunt, aut prius, lethalissima verò & signis horrendissimis quarto die aut prius occidunt. Primus igitur ipsarum insultus sic desinit, alter ad septimum deducitur, alter ad undecimum, &c. Docet ergo alias febres aliis diebus, alias aliis judicari, quâ ratione etiam 1. epid. part. 3. text. 14. diversos dies criticos numerat pro diversis morbis juxta diversum motum eorum.

Ita certam dierum criticorum doctrinam judicavit Galen. ab Hippoc. adductam, ut nil aliud posse per experientiam confirmari doceat, sic ait 2. de dieb. decret. cap. 5. Si veritatis studiosus quis existat, sophistarum nugis relicta, ad experientiam ipse veniens, cum octoginta, seu mille egros conspexerit, hunc indubiè novi, non alia de diebus decretoriis pronuntiatum quam Hippocr. indicavit. Avic. etiam mentem utriusque amplectitur, quos communi experientiâ commoti sequuntur ferè omnes Medici: videtur ergo dies criticos necessariò esse concedendos, in quibus bene terminetur morbi respectu aliorum in quibus terminatio tuta non est, idè Hippocr. text. 14. cit. postquam dies criticos numeravit sic ait. Si judicatio fiat extra præscriptos dies recidivas fore significavit Et 4. aphor. text. 36. adducens dies ad sudores optimos sic ait. Hi sudores judicant morbos, qui non ita sunt, laborem significant, morbi longitudinem, & recidivam. Negandum ergo non est quod tot experientiis Hippocr. & Galen. confirmarunt, dies scilicet reperiri in quibus crisis utilis sit, alios verò in quibus inutilis.

Contra hanc veritatem non deficit ratio ostendens talem dierum differentiam fictitiam esse, nihilque ad morbi optimam, aut pravam terminationem facere hoc, aut illo die crisis fieri, ratione cujus ante Hippocr. pluries talium dierum differentiam non invenerunt, & consequenter Recentiores rationem eorum manifestam non inveniunt, ipsos omninò negant, per accidensque judicant crisis bonam, aut malam fore hoc, aut illo die.

Probatur primò: nam Hippocr. 3. prog. text. 1. sic ait. Febres terminantur eodem die, sive ad mortem, sive ad salutem. Ergo nulla differentia est ad crisis ratione diei, Patet: nam si dies criticus

aliquam differentiam haberet, ita ut utilior esset in septimo crisis quàm in sexto, non eodem die liberaretur æger, & periret; sed asserit Hippoc. eodem die perire & liberari; ergo ad crisis bonitatem nihil facit dies.

Secundò: Crisis fit naturâ ad expulsionem materiæ morbificæ commotâ: sed materiâ existente coctâ non est ad quid diei specialis requiratur virtus, sive à se, sive ab alio, ad crisis bonam, ergo frustra ponitur. Major est certa, & ostenditur ab ipso Gal. 3. de dieb. decret. c. 8. Minor probatur: nam facultas expultrix materiæ coctam expellere habet postquam coctrix cessavit à sua coctione; sed dato requisito ad opus frustra ponitur aliud fundamentum: ergo materiâ existente coctâ virtus diei non est concedenda. Majorem ostendit Galenus pluries, præcipuè in ipso cap. 8. sic ait. Quippe virtus ipsa est alienorum expultrix, agebat de facultate faciente criticam evacuationem, Tempus autem coctionis post finem alteratorie facultatis est. Minor constat; quia talis virtus diei non habet physicum fundamentum: ergo non est concedenda, certum enim est crisis coctione existente, fieri, ut docuit Galen. 3. de cris. cap. 1. ergo requisitum ad optimam crisis datur sine dierum speciali virtute.

Neque valet dicere hoc probare de optima crisi, non verò de prava in qua coctio non præcedit, & sic facultas, expultrix non nî ratione diei movetur ad expulsionem: hoc inquam non valet, est enim difficultas de virtute diei ratione cujus crisis bona sit, quæ cum signis coctionis debet esse, & ut ad expellendum moveatur nihil aliud petit natura, & sic non constat, quod dies adjuvans requiratur: præterea quia si dies adjuvans aliquid haberet, non conduceret ad pravam morbum, qualis reperitur in crisi prava, potius est ob irritamentum naturæ, ut ipse Gal. docet, sed irritatione existente, datur etiam sufficiens determinans, ut expultrix facultas operetur, ergo diei virtus sine necessitate conceditur.

Tertiò: Crises fiunt die accessionis, propter quod Hippocrat. 1. epid. part. 3. text. 12. sic ait. Morbi qui moventur per pares, terminantur per pares: qui verò per impares moventur, per impares terminantur, & consequenter asserit quod qui aliis diebus judicantur, pravè judicantur: sed accessiones quotidie possunt esse, ergo quotidie possunt fieri judicationes utiles. Patet: nam si judicari debent morbi in diebus in quibus fiunt accessiones, ut utiliter judicentur, accessiones in qualibet die possunt esse, & in qualibet die erit utilis judicatio, præcipuè cum hoc doceat Hippoc. tam de morbis, qui moventur per pares, quàm per impares.

Quartò: quia crisis debet fieri materiâ existente coctâ; sed materia potest ad perfectam coctionem pervenire in qualibet die: ergo in qualibet poterit fieri perfecta crisis. Major est certa: minor probatur, quia coctio materiæ fit agente naturâ circa ipsam: sed contingens est materiam coqui sufficienter tribus, quatuorve diebus, aut pluribus, ratione cujus alij sunt morbi longi, alij breves: ergo contingens est coqui ad quartum aut sextum, aut ad septimum, ac per consequens in qualibet die potest advenire crisis perfecta. Antecedens patet ex proportionem cujuslibet agentis ad passum, actio tardius, aut citius fit